FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ,

CONTULIT

FERDINANDUS DE MUELLER,

Philosophiae et Medicinae Doctor, Ordinis Regii Britanici Sanctorum Michaelis et Georgii Socius, Ordinis Coronae Regalis Italicae, Ordinis Coronae Regiae Wuerttembergicae, Ordinis Regii Danici Dannebrogici, Ordinis Imperialis Franco-Gallici Legionis Honoris, Ordinis Imperialis Austriaci Francisci Josephi, Ordinis Regii Italiani Sanctorum Mauritii et Lazari, Ordinis Regii Coronae Borussicae, Ordinis Grandi-Ducatus Megapolitani Venediorum, Ordinis Ducalis Gothaici Domus Ernestinae Eques, Guberni Coloniae Victoriae Phytologus, Horti Botanici Melbournensis Director, nunc ibidem Societatis *pro Acclimatione et Societatis pro Horticultura* Propraeses, Societatis Regiae Londinensis, Academiae Imperialis Carolino-Leopoldinae Naturae Curiosorum nec non Societatis Imperialis Rossicae Naturae Scrutatorum membrum, Societatis Imperialis Franco-Gallicae Acclimationis, Societatis Botanicae Canadensis, Societatis Agriculturae et Acclimationis Siculae, *Academiae Scientiarum Californicae, Societatis Pollichianae* Palatinatus, Societatus Universalis Germanicae Moeno-Francofurtanae, Societatis Zoologicae Coloniensis, Societatis Scrutatorum Naturae Hercynicae, Societatis Investigatorum Naturae Hamburgensis, Societatis Acclimationum et pro Historia Naturali Borbonicae, Unionis Phytologicae Brandenburgensis, Societatis Zoologicae Rotterdamensis, *Societatis Regalis Victorianae, Societatis Medicorum Victoriae*, Societatis Pharmaceuticae aeque ac Societatis Germanorum Melbournensis, Societatis Regiae Tasmanicae, Societatis Philosophicae sicut ejus Acclimationis Neo-Zelandicae, Societatis pro Horticultura Tasmanicae, Societatis Horticulturae Adelaidensis, Societatis Historiae Naturalis Hanoveranae, Societatis Pharmacopolarum Austriacae, *Societatis Wuerttembergicae pro* cognitione naturae patriae, Instituti Penolensis nec non Collegii pro examinibus medicis in Universitate Melbournensi membrum honorarium, Societatis Anthropologicae Londinensis Secretarius localis, Collegii Guberni Coloniae Victoriae ad scientias spectantis et ejus ad promovendam Agriculturam instituti nec non Societatis Linneanae Londinensis, *Societatis* Regiae Geographicae Londinensis, Societatis Zoologicae Londinensis, Musei Historiae Naturalis Parisiensis, Instituti Imperialis Austriaci Geologici, Societatis Regiae Archaeologicae Hafniensis, Academiae Regiae Goettingensis, Societatis Regiae Scientiarum Upsaliensis, Societatis Imperialis Rossicae Acclimationis, Societatis Amicorum Naturae Moscoviensis, Academiae Regiae Scientiarum Monacensis e Classi Physico-Mathematica, Instituti Franco-Gallorum Africani, Societatis *Zoologicae et* Phytologicae nec non ejus pro Horticultura Vindobonensis, Societatis Botanicae Hafniensis, Societatis Geographicae pro Colonisatione Dresdensis, Societatis Imperialis Horticulturae Petropolitanae, Societatis Physico-Medicae Erlangensis, Societatis Regiae Botanicae Ratisbonensis et ejus Edinensis, Societatis Regiae Artium et Scientiarum *Mauritianae, Societatis Scrutatorum Naturae Halensis*, Societatis Physiographicae Lundensis, Societatis Silesicae pro Patriae Cultura, Societatis Geographicae Darmstadiensis, Academiae Physiocriticae Sienensis, Societatis scientiarum naturalium Cherburgensis, Unionis scrutatorum naturae Bremensis aliarumque unionum scientias colentium sodalis vel *ordinarius vel per literas conjunctus*.

"OMNIA AUTEM PROBATE ET QUOD BONUM EST TENETE."

Epistol. Pauli ad Thessalon. I., Cap. V., 21.

VOL. VI.

Melbourne:

AUCTORITATE GUBERNI COLONIÆ VICTORIÆ. EX OFFICINA JOANNIS FERRES.

1867-1868

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLI.

Anonaceæ.

Fitzgeraldia.

Sepala 3 cordato-ovata, demum deltoidea, denique decidua. *Petala sex, æqualia, late subulato-linearia*, mox cadentia. Stamina numerosa. Antheræ sessiles, pertenues, lineari-filiformes, apice connectivi ovato acuminato superatæ. Germina 11–14, plurigemmulata. *Stigmata in pileum hemisphæricum stamina intima retinentem conglutinata.* Carpidia lignescentia, pyriformia, oligosperma. Albumen ruminatum. Embryon perminutum.

Arbor alta Australiæ orientali-septentrionalis, foliis chartaceis oblique ovatis, paniculis corymbiformibus lateralibus et axillaribus, floribus flavis fragrantissimis.

Genus Unonæ et Canangæ propinquum, sed quantum vidi stigmatum cohæsione et staminum interiorum adhæsione apicali facile divellendum, ornavi nomine viri honorabilis Joannis Fosteri Vesey Fitzgerald, olim coloniæ Victoriæ Præfecti.

Fitzgeraldia mitrastigma.

Unona Fitzgeraldii, F. M. coll.

In silvis ad sinum Rockingham's Bay. Dallachy.

Truncus gracilis, a basi usque ad primi rami originem 60′ et ultra metiens. Cortex albidus, lævis. Lignum satis molle. Ramuli fere glabri. Folia alterna, petiolo tenui sæpe semiunciali prædita, 3–6″ longa, 1½–2″ lata, acute acuminata, tenui-penninervia, pæne glabra, ad basim obtusam paulo obliqua. Paniculæ foliis breviores, e ramis tam juvenilibus quam vetustis emergentes, odorem amœnissimum ample per silvas effundentes, undique brevissime pubescentes. Bracteæ lanceolatæ; bracteolæ lanceolato-lineares, breves. Pedicelli sæpe unciales. Sepala circiter 2‴ metientia, utrinque velutina. Petala 1–1½″ longa, undique velutinella. Stamina circiter 200. Antheræ circiter 1‴ longæ; intimæ ope apicis connectivi pileo stigmatis adhærentes et soluta basi eum fimbria-

rum instar cingentes, tali modo apparatui genitalium mox formam mitræ præbentes. Massa stigmatum pæne diametro sesquilineari. Carpidia stipitata, nondum statu perfecto nota, ante maturitatem semuncialia.

In eadem regione provenit arbor anonacea nondum describenda Fitzgeraldiæ similis, jam foliis brevius petiolatis, ligno duro flavescente, nec non pericarpio tenui facillime divellenda.

Melodorum Uhrii.

Foliis perbreviter petiolatis ovatis obtuse acuminatis conspicue penninerviis supra glabrescentibus basi obtusis subtus cum ramulis petiolisque ferrugineo-tomentosis, pedunculis bi- v. paucifloris pedicellisque brevibus, *connectivo antherarum peltato*, pistillis numerosis.

In silvis ad sinum Rockingham's Bay. Dallachy.

Frutex scandens. Folia 3–5″ longa, 1½–2″ lata; nervi subtus valde conspicui. Sepala cordato-deltoidea, vix lineas duas excedentia, intus superne sed extus undique velutinella. Petala coriacea; exteriora deltoideo-cordata, 4‴ metientia; interiora rhomboidea; utraque præter basim interiorem ferrugineo-velutinella; interiora exterioribus parum breviora, sed conspicue angustiora. Stamina numerosissima (circiter 250), pæne 1‴ longa, tenuiter et angulate clavata, glabra. Pistilla 60–70. Styli compresso-cylindrici, sub anthesi ⅓‴ longi. Germina ferrugineo-sericea. Fructus ignoti.

Speciem dicavi in memoriam viri æstimati Uhr, qui per plures annos loco detectionis peregrinationes collectoris benigna protectione sustentavit.

Melodorum Leichhardtii ostendit folia basi acuta, subtus haud prominenter nervosa, multo minus vestita, pedicellos longiores, aliis autem signis, nisi forsan fructibus, parum distat. Hancce speciem nunc etiam cognosco e vicinia sinus Edgecombe-Bay, a monte Muelleri et a fluvio Tweed.

Flores in statu recente fere aurantiaci odorem fortem et amœnissimum spirant. Rami satis scandunt. Fructus cibum nativorum constituunt.

Polyalthia nitidissima vergit saltem usque ad sinum Rockingham's Bay. Cortex trunci albidus, lævis. Carpidia 3–9 maturant et omnino succulenta et læte rubra evadunt. Petala recentia a viridi in colorem flavum transiunt. Hæc species variat minutiflora.

Eupomatia laurina sinu maris Rockingham's Bay tenus provehitur.

Eupomatia Bennettii, monente Carron, crescit ad fluvium Richmond-River haud procul a Mount Lindsay.

Olacineæ.

Gomphandra Australiana.

F. M. Documents Intercol. Exhib. p. 38 ; Lasianthera Australiana, F. M. coll.

Glabra, *foliis magnis lanceolato-ovatis acuminatis* chartaceis basi parum acutis, *pedunculis axillaribus* cymoso-paucifloris solitariis v. geminis, calyce perbrevi cupulari integerrimo v. minutissime denticulato, stigmate pæne hemisphærico radiato-costato, fructibus ellipsoideis.

In silvis insulæ Gold-Island et vallis Dalrymple's Gap ad sinum litoreum Rockingham's Bay, ubi etiam Erycibe paniculata aut species finitima crescit. Dallachy.

Arbor minor. Petioli circiter semiunciales. Folia semipedalia v. breviora, passim 8″ longa, $1\frac{1}{2}$–3″ lata, minutissime pellucenti-punctulata, subtus paulo pallidora et hinc nervationem dissite pennatam conspicue ostendentia, venatione undique pertenui percursa. Pedunculi saltem fructigeri revera axillares, nec foliis oppositi, nec supra-axillares, passim spinam unam alteramve producentes ; primarii plerumque paulo post anthesin semipollicares ; secundarii breviores. Flores præter calycem patellarem ignoti. Germen ellipsoideum. Fructus immaturus $\frac{2}{3}$″ longus, calyce brevissimo crispulo cupulatus, stigmate $1\frac{1}{2}$‴ metiente coronatus, uniloculatus, monospermus. Semen pendulum.

Statio plantæ generica propter florum absentiam adhuc dubiis vexata, vix inter Lasiantheras erit. A Lasianthera Vitiensi (Stemonuro Vitiensi Seem. Flor. Vit. 39, t. xii.) jam foliis basi haud obtusissimis, cymis minus divitibus, floribus ipsis dispersis nec confertis longe distat. A Gomphandra polymorpha (Wight Icon. Plant. Ind. Orient. 953 & 954,) facillime dignoscitur foliis majoribus basi minus acutatis, cymis fructificantibus plurifloris, stigmate majore et ab utraque congenere fortasse aliis notis e materiis melioribus futuro tempore divulgandis. Unio generum Lasiantheræ, quæ prioritate gaudet, et Gomphandræ a præclaro amico Seemann optime videtur effecta.

Cognosco etiam e vicinia sinus Rockingham's Bay Ximeniam Americanam. Hujus fructus ad optimos Australiæ edules pertinent. Pericarpium flavum, acidulum, exsiccatione parum ultra unciam metiens, fere globosum. Endocarpium crustaceum. Semen magis ovatum quam globatum, semipollicare. Testa rugulosa, cinereo-fusca. Albumen amygdalinum, sapore suavi. Embryon vix lineam longum, ovatum. Radicula supera, semiovata. Cotyledones radicula paulo longiores, semiovatæ, sursum compressæ, rectæ. Rima longe per albuminis axin extendens v. ejusdem indicatio facile pro embryonis extensione sumendæ. Cansjera leptostachya obvenit ad flumen Victoriæ et sinum Carpentariæ ; fructus flavi, ovales, unciales, sapore haud injucundi. Est frutex haud valde elatus,

imperfecte scandens. Opilia amentacea nuperius allata est e silvis prope Rockingham's Bay, ubi arbores alte circumscandit. Fructus magnitudine ovi columbini. Pericarpium album, carnosum, edule. Endocarpium tenui-crustaceum. Albumen album, forsan antiquiore statu indurato-farinosum, extus læve et fuscum.

Pennantia Cunninghami altitudinem 80′ attinet.

Saxifrageæ.

Davidsonia.

Calyx 4–5-fidus, æstivatione valvatus. *Petala nulla.* Stamina 8–10, hypogyna. Filamenta setacea, libera. Antheræ dorsifixæ, oblongæ, biloculatæ, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Styli 2, setacei, liberi. Stigmata minutissima, terminalia. *Fructus indehiscens*, siccus, globoso-ovatus, biloculatus. *Semina in loculis solitaria, exalbuminosa*, pendentia, compressa, exalata. Cotyledones plano-convexæ, ovatæ, rectæ. Radicula brevissima, supera.

Arbor Australiæ septentrionali-orientalis, hirsutie pruriginem concitante in modum Dysoxyli rufi induta, *foliis sparsis imparipinnatis stipulatis*, floribus glomerato-spicatis et simul paniculatis uni- et bisexualibus, fructibus majusculis.

Generi tam ad Spiræopsidem quam ad Gumilleam accedenti assigno nomen præclari cultivatoris Davidson, qui primus in loco detectionis plantationes sacchari extensas paravit.

Davidsonia pruriens.

In silvis irriguis ad sinum Rockingham's Bay. Dallachy.

Arbor 30–40′ alta. Rachis foliorum sesquipedalis v. brevior, aculeolato-aspera, aptera. Stipulæ paucas v. plures lineas latæ, herbaceæ, indutæ, cordato-renatæ, denticulatæ. Paria foliolorum sæpe 5–6. Foliola præter impar basi decurrens brevissime petiolulata sive sessilia, inferiora magnitudine decrescentia, superiora ad pedem longa, ad 3″ lata, omnia coriacea, ovato-lanceolata, acuminata, argute irregulari-dentata, penninervia, reticulari-venosa, supra glabrescentia, subtus simul cum rachi paniculis ramulisque pilis urenti-irritantibus vestita. Paniculæ ex axibus foliorum superiorum, confertæ, longe pedunculatæ. Bracteæ et bracteolæ parvæ, lanceolato- v. lineari-subulatæ. Calyx rubellus, ultra medium fissus, 2–3‴ longus, extus intusque velutinus, inde etiam hispidulus; laciniæ semilanceolato-deltoideæ. Filamenta $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, glabra. Styli circiter 2‴ longi. Germen disco perangusto cilioso cinctum. Fructus junior ex inventoris notis ruber, senior cœrulescens, maturatus circiter uncialis. Pericarpium potius suberosum quam ligneum; loculi intus lævissimi et rubelli, passim et forsan monstrose locellati. Semina orbiculari-ovata, compressa, pæne semipollicaria, ad extremitatem radicularem brevissime acuminata. Testa brunnea, lævis, glabra.

Stylideæ.

Stylidium Barleei.

(Sect. Tolypangium.)

Perenne, scapigerum, undique dense breviterque glanduloso-pubescens, *foliis omnibus radicalibus ovato-lanceolatis argute serratis* in petiolum satis longum angustatis, squamis interjacentibus nullis, scapo folia longe superante bracteis lanceolato- v. subulato-linearibus remotiusculis prædito, racemo simplice pluri- v. multifloro, pedicellis calyce paulo longioribus, calycis laciniis 5 late lineari-subulatis, labello appendiculato.

In Australia occidentali detexit J. Drummond.

Herba pulchra, inventore sub numeris 274 et 329 distributa, spithamam ad pedem alta. Radix fibras longas capillares emittens. Folia plana, $\frac{1}{2}$–1″ longa, in petiolum sæpe æquilongum angustata, passim in formam rhombeam vergentia, præter basin cuneatam integerrimam serraturis insigniter dentata, apice simpliciter acuta. Bracteæ scapi seu pedunculi scapiformis semipollicares vel breviores. Pedicelli tenues, ad basin bracteola lineari-subulata suffulti, præterea sæpe bracteola una alterave prope medium obsessi. Totus calyx mox 3‴ longus; tubus turgidus, lacinias longitudine fere æquans. Corolla, quantum e statu emarcido judico, glabra et albida; sic etiam nisi fallor columna glabra. Capsula polysperma, statu maturato me nondum visa.

Hoc Stylidium ab omnibus aliis jam insolita foliorum dentatione discedit, quum omnia alia congeneria mihi nota foliis integerrimis vel non revera dentatis prædita sint.

Speciem autem dicavi honorabili Frederico Barlee, Guberni Australiæ occidentalis Ministro principali, progressus explorationum illius terræ digno fautori.

Stylidium crossocephalum.

(Sect. Tolypangium.)

Perenne, foliis omnibus radicalibus linearibus elongatis hispidulis acutis margine involutis, squamis stipularibus nullis, scapis glabris ebracteatis folia paulo v. dimidio superantibus, *capitulo terminali solitario bracteis subulato-lanceolatis scarioso-fimbriatis involucrato*, pedicellis brevissimis apice bracteolas duas lineari-lanceolatas scariosas laceras gerentibus, *calycis tubo ovato ad apicem villoso-barbato, labio ejusdem supero bifido, infero tripartito, laciniis lanceolato-subulatis scarioso-laceris*, corolla majuscula parce glanduloso-pilosa, capsula ovata.

In Australia occidentali. J. Drummond.

Rhizoma breve, fibrillas copiosas elongatas descendentes filiformes parum ramosas agens. Folia numerosa, $2\frac{1}{2}$–5″ longa, circiter 1‴

lata. Scapi 1 v. pauci e quovis rhizomate, spithamæi v. breviores, crassiuscule filiformes. Bracteæ numerosæ flores involucrantes, capitulum unciale struentes, 6–8‴ longæ, pauciseriatæ, apicem versus et dorso herbaceæ sicut puberulæ, margine inferne late scariosæ et laceræ. Flores in capitulo plures. Bracteolæ circa 3‴ longæ. Totus calyx semuncia vix brevior; barba tubi alba, mollis; labia 2–3‴ longa. Corolla tantum statu destructo visa. Capsula ovata, turgida, fere glabrata, 2‴ longa, laciniis calycis terminata. Semina ignota.

E vicinia sinus Great Bight possideo Stylidium quoddam S. obtusato affine foliis omnino orbiculatis donatum.

Stylidium eglandulosum ab equite Thoma Mitchell tam ad rivum Alice quam ad originem fluvii Maranoa inveniebatur; sic etiam a W. Hill in Darling's Downs.

Stylidium Floodii occurrit orientem versus ad originem fluvii Cape's River secundum specimina Bowmanio allata.

Stylidium eriorrhizum reperitur ad flumen Isaac's River, ad sinum Broad Sound, ad rivum Herbert's River, nec non ad sinum Rockingham's Bay.

Stylidium floribundum extendit usque ad originem fluminis Nicholson's River.

Stylidium soboliferum variat passim labio supero tripartito.

Stylidium calcaratum occurrit labello integerrimo et tridentato.

Stylidium graminifolium in alpes adscendit et in regiones subtropicas (e. g. ad flumen Burnett's River) vergit.

Stylidium debile nunc cognovimus a fluminibus Hastings's et Richmond's River (Moore), a fluvio Tweed (Fawcett), ab oppido Tenterfield.

Stylidium alsinoides, quod Epilobii facie, attinet sinum Rockingham's Bay.

Stylidium uniflorum cum varietate biflora repertum est Oldfieldio ad flumen Blackwood's River. Plura Stylidiorum Australiæ occidentalis usque ad flumen Murchison's River et sinum Great Bight migrant.

Goodeniaceæ.

Calogyne distylis.

Foliis radicalibus perpaucis nullisve, caulinis lanceolatis v. linearilanceolatis in petiolum angustatis denticulatis, pedunculis flore duplo longioribus, corollæ labiis longitudine parum inæqualibus, superiore profunde sed inferiore tantum ad medium diviso, *stylo vix ultra medium bifido* pilosulo, capsula ovata, seminibus orbicularibus alatis.

In locis humidis ad flumen Oldfield's River. Maxw.

Herba annua, digitum ad spithamam alta, undique breviter pilosa. Indumentum ex parte glandulosum. Radix filiformis, flexuosa, parum fibrillulosa. Caulis solitarius, simplex. Folia

omnia petiolata ; inferiora ad sesquipollicem longa et semipollicem lata, superiora per gradus breviora et angustiora. Pedunculi ebracteolati, tenui-filiformes. Calyx florifer circa 3‴ longus ; laciniæ æquales, lineari-lanceolatæ, tubo paulo longiores. Corolla flava, semipollicaris, extus pilosula, intus fere glabra ; tubus fere basi tenus fissus ; lobi omnes alati nec tamen latis membranis ; loborum superiorum ala pro receptione indusiorum auriculari-flexa. Filamenta glabra. Antheræ mucronulatæ. Stylus cum indusiis vix ultra 2‴ longus. Orificium indusiorum albo-ciliatum. Germen ovatum, superiore parte liberum. Capsula pleiosperma. Semina plana, latiuscule alata, statu maturo nondum visa.

Planta forsan Distyli Berardianæ (Gaud. Botaniq. Voyage Freycen. 460, t. 80) conspecifica ; differt autem foliis minus profunde dentatis ad radicis apicem haud numerosis, corollæ laciniis superioribus disjunctis et hoc modo longioribus, stylo nec (ut in icone laudata) pæne ad basim bipartito nec glabro. Ceterum permultæ stirpes a sinu squalorum ad sinum Great Bight extendunt.

Calogynem pilosam seu speciem proxime finitimam notavi in pratis juxta partes australes fluvii Victoriæ.

Distylis Berardiana, si certe a Calogyne distyli separanda, nomen specificum retinebit.

Specimina, ut apparet, transitum inter plantam australem et occidentalem mediantia reperio in collectione Drummondii sub num. 409. Pedunculi longiores sunt, florum lobi latius alati. Semina fusco-nigra, margine livida. Eadem species occurrit in collectione Oldfieldiana.

Velleya cycnopotamica.

Pilosula, foliis omnibus radicalibus cuneato-lanceolatis serrato-dentatis, scapis folia pluries superantibus cyma dichotoma terminatis, bracteis bracteolisque distinctis, pedicellis pertenuibus bracteolas minutas longe superantibus, *sepalis quinque lanceolatis æqualibus hispidulis fructu conspicue brevioribus*, corolla parva æqualiter 5-loba intus imberbi, lobis semilanceolatis apteris, stylo brevi glabro, capsula orbiculata oligosperma parum pubescente, septo rudimentario basali perangusto vix ullo, seminibus fulvis reticulato-rugosis latiuscule alatis.

Ad flumen cygnorum. Drummond (410).

Herba circiter spithamam alta, forsan annua. Folia addito petiolo biuncialia v. breviora, ad 4‴ lata. Bracteæ ad basin inflorescentiæ semipollicem longæ v. breviores, partim dentatæ. Pedicelli unciales v. breviores, ad basim bracteola sæpe tantum 1‴ longa suffulti. Sepala vix ultra 2‴ longa. Corolla tantum in statu imperfecto visa semper tantum paucilinearis videtur, extus tenuiter pubescens. Stamina glabra, quantum vidi tantum 1‴ longa. Antheræ ovatæ, muticæ. Stylus vix 1‴ metiens, glaber. Indusium

breviter denseque ciliatum, faciebus glabrum. Capsula 3‴ metiens, compressa, lenticularis, omnino supera, basi tenus bivalvata. Seminum nucleus spatulato-orbiculatus, planus, circa 1‴ longus; ala dilute fulva, $\frac{1}{2}$‴ lata. Maceratio e seminibus largam mucilaginis copiam extrahit.

Leschenaultia agrostophylla.

(Sect. Latouria.)

Annua, glabra, scabrida, *foliis planis* latiuscule linearibus acutis longiusculis, calycis tubo elongato, limbi segmentis tubo corollæ paulo brevioribus, *corollæ cyaneæ tubo haud inferne fisso, capsulis sessilibus in collum longum tenueque coarctatis*, seminibus angulato-prismaticis basi apiceque appendiculatis.

Ad rivulos rupestres plagæ elevatæ (Sandstone-Tableland) juxta fluminis Victoriæ partes australes passim proveniens. Eandem nisi cognatam speciem reperi ad flumen Macarthur's River sinus Carpentariæ.

Herba amara, utplurimum 1–1$\frac{1}{2}$′ alta, sæpe multicaulis, decipienter Lobeliam simulans. Radix simplex, albida, flexuosa, fibrillis tenuissimis prædita. Caules erecti, angulati, fere semper simplices, interdum parum ramosi. Folia alterna, sessilia, sensim acutata, $\frac{3}{4}$–1$\frac{1}{2}$″ longa, totidem lineas lata, statu recente omnino plana, floralia magnitudine decrescentia. Flores axillares et terminales, solitarii. Calycis tubus tetragonus, primum tenui-filiformis; limbi segmenta 5 appressa, angusto-linearia, acuta, 2–3‴ longa, supremum paulo longius. Corolla bilabiata, tenera, circiter pollicem longa, secus suturam a divisione labii superi decurrentem calyce tenus barbellata, ceteroquin extus glabra, intus præsertim secus carinulas puberula; labium superum adscendens, infero brevius, bipartitum; lobis utraque latere extus autem latius alatis, 2–2$\frac{1}{2}$‴ longis, vix emarginatis, truncatis, nonnunquam latere exteriore apteris; labium corollæ inferum horizontale, tripartitum, lobis fere obcordatis, scilicet utroque latere alam latam acutiusculam 3–4‴ longam producentibus, crenulatis v. integerrimis; lobus medius lateralibus paulo minor; tubus supra calycem ampliatus, hoctenus fissus in partes labiis respondentes; harum infera planiuscula intus bicarinulata, carinis flavis et ciliatis; harum supera a lateribus leniter compressa, cum stylo accumbente curvata, longitudinaliter divisa, sed divisiones ciliis arcte cohærentes; tubi pars infima limbo calycis cincta, glabra, tenuior, angulato-cylindracea, nullo modo fissa, stamina 5 includens. Antheræ cohærentes, basifixæ, oblongæ, luteæ, 1‴ longæ, biloculares, longitudinaliter dehiscentes, glabræ, apice emarginatæ. Filamenta angustissime linearia, alba, circiter 1$\frac{1}{2}$‴ longa, libera. Pollen flavum e globulis. Stylus tempore fœcundationis staminibus æquilongus, minutissime puberulus, rectus, mox postea elongatus et tubum corollæ pæne æquans, declinatus,

cyaneus, 4–5‴ longus. Indusii 1‴ longi et lati clausi labia dense albo-ciliata; inferum e lata basi quadratum, incurvum, interne denso-sericeum, externe glabrum; labium superum altero brevius et latius, deflexum, fere semiorbiculare, externe semiglabratum. Capsula 1–1½″ longa, 1‴ lata, tetragona, bilocularis, quadrivalvis, valvis basi sicut apice cohærentibus, calycis collo filiformi semiunciali superata. Semina 10–24, circiter 1½‴ longa, vix ultra ½‴ crassa, biseriata, cano-fusca; appendices compressæ, bidentatæ, ½‴ longæ.

Leschenaultia filiformis.

R. Br. Prodr. 581, (Sect. Latouria.)

Herbacea, glabra, foliis angustissime linearibus acutis, calycis tubo longiusculo, limbi segmentis tubo corollæ cyaneæ conspicue brevioribus, *capsulis distincte pedicellatis in collum longum tenueque coarctatis*, seminibus fere cylindraceis.

In vicinia sinus Rockingham's Bay. Dallachy.

Herba forsan annua, spithamæa usque pedalis. Folia ½–1″ longa, semilineam lata v. angustiora. Corolla circiter semuncialis, lobis inferioribus profunde bilobis. Indusium breviter sed dense ciliatum. Pedicelli fructiferi 2–3‴ longi. Capsula (speciminum suppetentium nondum maturata) addito collo longo tenuique vix unciam excedens, circiter 12 semina continens. Semina vix ultra 1‴ longa.

Leschenaultia hirsuta.

Frutescens, undique *hirsuta* simulque aspera, foliis semitereti- v. lineari-filiformibus longiusculis muticis, floribus lateralibus et terminalibus solitariis, calycis laciniis tubo filiformi duplo corolla fere quater brevioribus, *corollæ coccineæ extus glanduloso-pubescentis lobis valde inæqualibus* inferioribus latissime et angulate superioribus breviter et anguste alatis, tubo basi tenus fisso intus inferne breviter barbato, stylo glanduloso-pubescente, indusio brevissime ciliato.

In Australia occidentali. Drummond (145).

Species, quantum eam cognovimus, indumento præ omnibus singularis. Folia inferiora ad 1½″ longa, superiora longitudine sensim ad semipollicem reducta, ½–1‴ crassa, haud rigida, omnia cum ramulis hirsutiem eglandulosam gerentia. Flores laterales et terminales, undique glanduloso-pubescentes. Tubus calycis sub anthesi ⅔–1″ longus; laciniæ subulato-lineares, 2½–4‴ longæ. Corolla circiter pollicem metiens; lobi tubo vix longiores. Stamina glabra. Filamenta fere 3‴ longa. Antheræ mox secedentes, lineam paulo excedentes, flavæ, oblongo-lineares, apice emarginatæ. Stylus corollam æquans. Indusii breviter barbati labia semiorbicularia.

Leschenaultia longiloba.

Frutescens, glabra, humilior, foliis linearibus breviusculis cuspidulatis, floribus in corymbum foliosum confertis, ***calycis lobis corollam fere æquantibus*** v. ea triente brevioribus, corollæ flavidæ laciniis omnibus latiuscule alatis parum inæqualibus, tubo intus vix barbellato, stylo infra medium parum puberulo, stigmate brevissime ciliato.

In Australia occidentali. Drummond.

Planta spithamæa usque pedalis. Folia 4–10‴ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$‴ lata, superiora sæpe opposita. Calycis laciniæ lineari-subulatæ, semunciales v. paulo longiores. Corolla fere pollicaris; tubus lobis æquilongus, basi tenus fissus. Filamenta vix 3‴ longa. Antheræ luteæ, oblongo-lineares, vix 1‴ longæ. Stylus semuncialis. Indusii labia semiorbiculata. Fructus junior jam 1″ longus, senior incognitus.

Leschenaultia superba.

Fruticosa, glabra, foliis lineari-setaceis acutis confertis, ***corollæ luteæ tubo lacinias calycis saltem duplo excedente labiis etiam conspicue longiore,*** laciniis labiorum inferioribus breviter et truncate superioribus anguste et obtuse alatis, tubo ad basim dense barbato, stylo fere glabro, indusio breviter ciliato.

Ad flumen Phillip's River, in collibus quarzosis. Mx.

Frutex circiter ulnaris. Folia uncialia v. breviora, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ lata. Calycis laciniæ circiter $2\frac{1}{2}$‴ longæ. Corolla unciam longa, fere ad basin eminenter obtusam fissa; labia tubo duplo breviora; laciniæ omnes appendicula angusta acuta terminatæ; tubus præter barbam basalem glaber. Stylus parum pilosulus, corollam vix æquans. Filamenta 3‴ longa. Antheræ vix 1‴ excedentes, luteæ. Capsula, si planta Drummondiana sub numero 354 distributa huc pertinet, compresso-cylindracea, basi et apice attenuata, sessilis. Semina circiter 14, cubico-ovata, livida, 1‴ longa, in extremitatibus truncata.

Goodenia Hassallii.

Herbacea, ***glabra, foliis*** radicalibus fugacibus, caulinis satis numerosis ***linearibus v. lanceolato-linearibus integerrimis v. remote et obtuse dentatis*** nunc lobulatis, axi barbato, pedunculis axillaribus unifloris passim bifloris prope medium breviter obtuseque bibracteolatis primum florem æquantibus demum eo longioribus, calycis lobis oblongo-lanceolatis tubo sub anthesi æquilongis, corollæ cœrulescentis extus glabræ intus parum barbatæ laciniis omnibus late alatis, stylo cum faciebus indusii villoso, capsulis ellipsoideis ultra medium septatis pleiospermis, ***seminibus angustissime alatis*** planis fulvis.

In Australia occidentali. Drummond.

A simili G. cyanea recedit foliis plerisque latioribus et longioribus in caule magis numerosis, corollæ alis latioribus apice magis truncatis, seminibus haud late alatis.

Speciei affixi nomen præclari J. Hassall, qui diu examinationes plantarum Australiæ occidentalis benigne promovit.

Velleya paradoxa vergit usque ad flumen Condamine's River.

Velleya pubescens nisi planta congenerica arcte affinis provenit ad sinum maris Rockingham's Bay, ubi herbam pumilam perennem sistit.

Euthalis genus mihi nil aliud demonstrare videtur quam sectionem Goodeniæ. Divisio calycis in variis Goodeniæ speciebus valde diversa est, ita valde profunda in G. hispida. Inæqualitas loborum calycis valde prominet in Velleya paradoxa (ut de aliis taceam), sed hanc ob rem species e genere haud excluditur. Euthale macrophylla (Vriese Goodenov. 170, tab. 33) igitur nunc Goodenia macrophylla appellari debet.

Color luteus in floribus Goodeniarum prævalet, cœruleus v. cyaneus prædominat in iis Dampierarum; ruber in ambabus rarus est; color omnium specierum insigniter constans.

Goodenia Strangfordii.

Suffruticosa, humilis, erecta, caule folioso ad axillas petiolorum barbato, *foliis angusto- v. lineari-lanceolatis integerrimis* in petiolum sensim angustatis parcissime v. evidenter sericeo-hispidulis quasi trinerviis, *pedunculis axillaribus tenui-filiformibus flore aliquoties longioribus* ebracteolatis v. supra medium bracteolas nunc longe lineares nunc breves lineari-setaceas gerentibus cum flore sericeis, calycis laciniis subulato-linearibus tubo æquilongis, corollæ luteæ majusculæ laciniis omnibus utroque latere conspicue alatis superioribus scarioso-auriculatis, stylo præter apicem glabro corolla conspicue superato.

In locis ripariis a fluvio Victoriæ usque ad rivum Flindersii.

Planta pæne herbacea, vix ultra spithamam alta. Folia pleraque 3–4½″ longa, 5–9‴ lata, trinervia, nervis lateralibus margini approximatis tenuioribus optime venas considerandis. Pedunculi 4-unciales v. breviores. Calyces 8‴ longi. Corolla uncialis. Antheræ obtuse apiculatæ. Indusium sesquilineam latum. Fructus ignotus.

Speciem summa cum veneratione tribuo illustri Percyo Ellenio Comiti de Strangford, itineris sortem Leichhardtii pervestigantis generosissimo et nobili patrono.

Species characterem, quem de bracteolis desumpsimus, fallacem reddit. Nam bracteolæ sæpius omnino absentes nunc in eodem specimine longitudine pollicari occurrunt, nunc ad minutam formam vix ultra lineam longam reductæ sunt, nunc omnino deficiunt.

Goodenia hispida.

R. Br. Pr. 577.

Herbacea, hirsuto-hispida, *foliis caulinis oblongo- v. ovato-lanceolatis argute v. minute dentatis* vix petiolatis, pedunculis axillaribus ebracteolatis calyce mox conspicue longioribus, *calycis lobis lanceolatis sub anthesi tubo pluries longioribus foliaceis* dentatis v. integerrimis, corollæ luteæ majusculæ extus hirsuto-sericeæ lobis inferioribus latiuscule alatis, superioribus inæquilatero-alatis, tubo ad basim indiviso, stylo villosulo, *capsula globoso-ovata uniloculata pleiosperma, seminibus collateralibus* vix superpositis ovalibus majusculis planis livido-fuscis asperulis extremitate basali brevissime alatis cetero apteris.

Ad portum Camden-Harbour, nec non ad flumen Fish-River. Dr. Martin.

Herba jam primo anno florens. Foliorum plerorumque longitudo inter $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}''$ vacillat; dentatio passim runcinata. Pedicelli biunciales v. breviores. Calyx florens fere basi tenus quinquepartitus; laciniæ utplurimum semipollicares. Stamina brevia. Stylus corolla insigniter brevior. Capsula tantum $2\frac{1}{2}'''$ alta, bivalvis, hispidula. Septum saltem conspicuum nullum, revera brevissimum, bidentatum. Semina numeravi undecim usque duodecim; longitudine tenent vix sesquilineam.

Varietas glabrior ni fallor ad hancce speciem pertinens crescit in vicinia fluminis Flinders's River.

In hac stirpe forsan vera G. hispida quærenda erit.

Varietatem alteram collegi ad flumen Victoriæ, indumento breviore molliore, foliis inferioribus in petiolum desinentibus, pedicellis brevioribus, floribus minoribus et capsulis oligospermis insignem.

Varietas tertia hujus plantæ proteæ amplexifolia a fluvio Victoriæ producit caules prolixos, folia basi profunde cordata amplexantia, pedicellos flore aliquoties longiores.

Iterum planta similis provenit in campis aridioribus terræ Arnhemicæ, foliis inferioribus runcinato-pinnatifidis, pedicellis brevibus, calycis lobis setaceis, corollis parvis, capsulis oligospermis et seminibus foveolato-punctulatis recognoscenda et forsan G. heterochilæ jungenda.

Legitima G. heterochila a fluvio Victoriæ ostendit folia inferiora in petiolum cuneato-contracta, lacinias corollæ superiores lateraliter conspicue barbatas, capsulam basi dissepimento quadranti-lunari septatam, semina dilute fusca foveolato-punctulata haud asperulata sed margine tenui alari circumdata. Hæc etiam ad Camden-Harbour nascitur.

Goodenia strongylophylla.

Herbacea, undique *hirsuto-pubescens, foliis rhombeo- v. cordato-orbiculatis serratis* inferioribus in petiolum brevem angustatis

superioribus sessilibus, *pedunculis axillaribus unifloris folio aliquoties brevioribus prope basim bibracteolatis*, calycis lanuginoso-pubescentis laciniis lineari-setaceis tubo paulo longioribus, corollæ extus villoso-sericeæ lobis superioribus scarioso-auriculatis, tubo glanduloso, stylo glabro, capsula oligosperma ad basim tantum septata, seminibus lividis planis ovalibus apteris.

Ad rivum Princhester Creek Australiæ orientalis capricornicæ. E. Bowman.

Herba ut videtur minor. Folia acutiuscula, $\frac{1}{2}$–1″ metientia. Pedunculi sesquilineam–2‴ longi, lanuginosi. Bracteolæ lineam paulo excedentes, setaceæ. Calycis laciniæ circiter 2‴ longæ. Corolla circiter 4‴ metiens; color in speciminibus transmissis non recognoscendus. Capsula turgide ovata, 3‴ metiens. Semina circiter 6, lineam longa.

A G. hederacea amplius distat quam a G. rotundifolia; sed ab hac etiam facile separatur propter bracteolas haud sub calyce sitas et propter petiolos et pedunculos minus elongatos. G. mollis huc pertinere nequit, quum bracteolis careat.

Goodenia leptotheca.

Fruticosa, subtiliter glanduloso-pubescens, *foliis lineari- v. angusto-oblongis dentatis* confertis sessilibus margine recurvatis, *spicis terminalibus*, pedicellis brevissimis, bracteis lineari-oblongis bracteolas lineares paulo superantibus, calycis florentis tubo lobis linearibus parum acutis breviore, corolla extus velutinella, stylo pilosulo, indusio breviter ciliato, *capsulis lineari-ellipsoideis* profunde bivalvibus basin versus septatis.

In Australia occidentali. J. Drummond (195).

Vidi tantum ramulum floribus nondum expansis et capsulis, quarum semina jam ejecta. Folia 1–2″ longa, $1\frac{1}{2}$–3‴ lata. Spicæ demum paucipollicares. Bracteæ cum bracteolis persistentes, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longæ. Calycis lobi 3‴ longi. Corolla inaperta pæne semipollicaris, forsan flava. Capsulæ 3–4‴ longæ, vix 1‴ latæ.

G. spicatæ approximanda.

Goodenia quadrilocularis.

R. Br. Pr. 578; Tetraphylax quadrilocularis, Vriese Goodenov. 165; Dampiera Lindleyi, Vriese in Lehm. Pl. Preiss. i. p. 402.

Suffruticosa, erecta, *foliis inferioribus rhombeo-obovatis, superioribus gradatim cuneato-lanceolatis omnibus argute denticulatis* crassiusculis glabris, illis in petiolum latum longius angustatis, racemis ramos simplices terminantibus, bracteis lanceolato- v. canaliculato-linearibus integerrimis pedicellum demum æquantibus quocum glabris, bracteolis ad calycis basim sitis eodem bis usque quater brevioribus, calycibus pedicello parum v. sæpe duplo

longioribus subtilissime puberulis, laciniis eorum tubo duplo triplove brevioribus, corollæ luteæ extus velutinæ laciniis omnibus latiuscule alatis, tubo intus conspicue barbato, stylo albo-villoso breviusculo, *capsula cylindraceo-oblonga imperfecte quadriloculata* polysperma, septo primario ex axi anguste septulato, seminibus ovato-orbicularibus fulvis planis apteris.

Ad extremitatem occidentalem sinus Great Bight in collibus arenosis; e. g. Orleans Bay.

Conservo in nostro museo specimina forsan conspecifica corollam extus glabram tenentia, quorum alia foliis linearibus integerrimis alia foliis grosse pauci-dentatis donata. Harum plantarum fructus nondum allati sunt.

Goodenia calcarata (Picrophyta calcarata, F. M. in Linnæa, 1852, 422) crescit ad lacum Gillesii sec. cl. Burkitt; nec non inter flumen Darlingi et montes Barrier-Range sec. cl. Panton.

Goodenia amplexans occurrit ad torrentem Nile Rivulet.

Goodeniam grandifloram attulit ex Australia centrali J. Macd. Stuart.

Goodenia pinnatifida, nuperius in Dietr. Fl. Univers. depicta, extendit usque in Novam Angliam. Glabrities corollæ fere perfecta plantam primo visu a pluribus affinibus separat.

Goodenia geniculata Australiam occidentalem intrat, a fluvio Murchisonii usque ad Caput le Grand.

Goodenia stelligera provenit a fluvio Hastings's River usque ad Montem Imlayi.

Goodeniam flagelligeram collegi ad Peak-Downs, Suttor's River, Fitzroy's River. Cl. O'Shanesy eam ibi recentius vidit. Ad flumen Gwydir vidit eam Leichhardt, nec non ad Bockhara Creek. Semina plana, fulva, aptera.

Goodeniam glaucam accepi a Dom. Forde prope oppidum Wentworth collectam et a cl. H. W. Looper ad Ballandool River repertam. Varietas sericea occurrit ad flumen Flindersii et rivum Sturtii et in Australia centrali. Semina haud nigrita etsi passim badia.

Goodeniam heteromeram reperit ad Yandilla H. Law, in Australia orientali subtropica Eq. Mitchell, ad montes Barrier Range Dr. Beckler, ad flumen Gwydir Dr. Leichhardt.

Goodeniam elongatam notavi ad flumen Buffalo-River et in locis magis australibus coloniæ Victoriæ. Collectione etiam Leichhardtii continetur.

Goodeniam cyclopteram invenit ad sinum Spenceri Major Warburton, ad flumen Lachlani cl. Burkitt, ad lacum Gardneri Hersch. Babbage, ad Stokes's Range cl. Wheeler. Semina præter marginem atrata. Obvenit monstrositas fasciata.

Goodeniæ filiformi quoad varietates jungendæ sunt G. pulchella et Aillya umbellata. Occurrit a sinu Great Bight usque ad fluvium Murchisonii fide collectionum Drummondi Oldfieldii et aliorum.

Goodeniam corynocarpam misit a sinu squalorum (Shark-Bay) Maitl. Brown.

Goodenia rotundifolia provenit ad urbem Rockhamptoni, sec. P. O'Shanesy; in Nova Anglia sec. C. St.; ad oppidum Morphetti sec Dr. Leichhardt. Varietas ovata nascitur ad Castle Creek Australiæ orientalis subtropicæ.

Goodeniam hederaceam accepi e montibus cæruleis a L. Atkinson; e regionibus fluviorum Lachlan et Bogan a Lockh. Morton; e vicinia urbis Liverpool a Leichhardt. Forma angustior foliis angusto-lanceolatis reperienda est ad Bockhara Creek; varietas hypotephra foliis subtus incanis insignis detecta fuit Leichhardtio ad fluvium Gwydir. Species calycis forma, magnitudine et indumento sat peculiaris.

Goodenia barbata legebatur Leichhardto ad vicum Camden. Color corollæ non solum in hac specie sed etiam in omnibus aliis congeneribus singulariter constans.

Goodeniam dispermam vidit Leichhardt ad rivum Thermometer Creek.

Goodeniæ ovatæ varietatem lanceolatam observavit idem infelix peregrinator ad urbem Newcastle; folia omnino lanceolata, pleraque $2\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}''$ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}''$ tantum lata. Servavit etiam varietatem cordatam, foliis profunde ad basin emarginatis brevius petiolatis in vicinia portus Jacksonii collectam.

Scævola Groenerii.

Fruticosa, fere *glabra, foliis lanceolatis v. ovato-lanceolatis tenui-coriaceis integerrimis* planis breviter petiolatis, pedunculis axillaribus brevibus 1–3-floris, bracteolis subulato-linearibus persistentibus corollam vix semiæquantibus, calycis limbo truncato, corolla unilabiata extus pæne glabra intus inferne imperfecte sericea, fauce pilis ciliatis barbata, laciniarum alis angustis parce ciliatis, filamentis glabris, antheris imberbibus, stylo villoso, indusii faciebus glabris ore dense ciliato, drupa parva exsuccosa truncato-ellipsoidea 1–2-loculata 1–2-sperma.

In Australia occidentali; Drummond (363); ad ripas fluvii Thomas's River et in collibus sabulosis prope caput Point Malcolm et circum sinum litoris Israelite-Bay. Mx.

Frutex 4–5′ adspectu Eremophilæ. Folia bene evoluta $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}''$ longa, concoloria, nitidula, tenuiter uninervia, vix visibili modo venosa, conferta quidem sed non fasciculata. Axes barbellati. Pedunculi bilineares v. breviores; pedicellus floris solitarii nullus, floris unius alteriusve lateralis perbrevis usque bilinearis. Bracteolæ vix ultra $2'''$ longæ. Corolla vix ultra semuncialis, forsan flava; laciniæ tubo perfecte fisso parum breviores, acutæ, nec truncatæ; alæ haud venosæ. Filamenta $2'''$ longa, tenera. Antheræ $\frac{2}{3}'''$ longæ, lineares; connectivo truncato, lenissime emarginato. Stylus

circa 4‴ longus. Stigmatis indusium 1‴ metiens. Drupa 2½‴ longa, paulo urceolata.

Species quibusdam notis S. spinescentem, aliis S. goodeniaceam, aliis S. Oldfieldii approximat. Ei affigo nomen amici C. Groener, per plures annos in instituto meo amanuensis.

Scævolam phlebopetalam invenit ad flumen Glenelg's River Australiæ borealis Dr. J. Martin. Planta ibi altitudinem 3½′ attinet. Ad hanc speciem pertinent plantas Drummondio (sub numeris 189 et 399) distributas. Plures Goodenias cyanifloras imitat.

Planta Preissii 2032 ad Diaspasim filifoliam pertinet. Calycis lobi paulo longiores quam in stirpe normali.

Scævola microcarpa in regiones glaciales adscendit. Huic speciei attribuenda videtur Goodenia pubescens.

Casuarineæ.

Casuarina acuaria.

Ramulis quaterno-verticillatis biarticulatis, membro ramulorum infero perbrevi in dentes sive folia diminuta quatuor semilanceolata desinente, *membro ramulorum supero in folium acuarium inarticulatum elongato*, amentis masculis longiusculis, strobilis ambitu globosis, bracteis ciliatis breviter cuspidatis, paribus bracteolarum valviformium fere octo-seriatis dum seminigeris semiemersis, lamina earum exteriore in rostrum longum tenueque protracta, lamina interiore e dorso brevius rostrata intus subtiliter pubescente, seminis nucleo spadiceo ovato-rhombeo, ala eorum deltoidea excursu nervi medii curvato-mucronulata.

In Australia occidentali. Drummond.

Planta ob singularem foliorum structuram miranda, Hakeas filifolias seu subulifolias simulans, Drummondio sub numeris 240 et 241 signata. Altitudo stirpis ignota. Ramuli conferte verticillati ; internodium basale præter dentes linea breviores appressos 1–1½‴ longum ; articulus terminalis acum formans, 1–1½″ longus, circiter semilineam crassus, glaber, leniter sulcato-angulatus, dentibus apicalibus in mucronem brevem conglutinatis. Amentum masculum statu evoluto nondum notum, prima ætate tenui-cylindraceum, squamis acutiusculis imbricatum. Strobili maturi 1–1½ unciales, breviuscule crasseque pedunculati. Pars bracteolarum valvarium emersa præter rostrum utrumque 2–3‴ longa. Rostrum exterius setaceo-subulatum, ad 4‴ longum. Seminis nucleus nitenti-niger, lineam paulo excedens ; ala verticalis sesquilineam longa et lata.

Plura Casuarinarum discrimina specifica prodeunt e ramulorum situ, forma bractearum spicæ masculæ, colore sicut directione loculorum antheræ, magnitudine seminis, figura alarum.

Species Callitris, quibus Casuarina Sumatrana et quædam species Neo-Cambrica non dissimiles, eandem demonstrant concretionem foliorum cum ramulis.

Casuarina microstachya ostendit internodia haud raro ad 3‴ longa. Amentum masculum globoso-ovatum, sæpe tantum $1\frac{1}{2}$‴ longum, nunquam ultra 3‴ metiens. Bracteæ passim uncinato-acuminatæ. Strobilus 7-stichus, vix maturus semipollicaris, ovato-globosus. Bracteæ apice deltoideo-membraneæ. Bracteolæ valvares vix apice emersæ, evidenter obtusæ, dorso verruculari-areolatæ. Planta jam altitudine spithamæ crebre floret.

Casuarina thuyioides occurrit prope Kalgan. Est frutex monoicus, 3–5′ altus. Amentum masculinum 2–3‴ tantum longum.

Casuarina trichodon sistit ad flumen Fitzgeraldi et Caput Richei arborem 25–30′ altam, aliis autem locis jam altitudine 6 pedum floret. Videtur dioica. Strobilus truncato-ovatis v. subglobosus, 14–20-stichus, sesquipollicem longus. Bractearum acumen setaceum, uncinatum. Bracteolæ valvares breviter emersæ, brevissime cuspidulatæ, intus ferrugineo-velutinellæ ; dorso producto quasi bilaminatæ ; lamina exterior interiori conformis. Semen spadiceum, nitens, rhombeo-ovatum, $1\frac{1}{2}$‴ longum, vertice in alam 2–$2\frac{1}{2}$‴ longam cuneato-ovatam muticam extensum.

Casuarina equisetifolia crescit in variis locis oræ borealis et tropico-orientalis Australiæ et quidem in regionibus magis litoralibus quam montanis. Varietatem vidi tomentellam, ramulis rigidioribus strobilisque cano- v. fusco-tomentellis. Austrum versus saltem usque ad Curtis's Island occurrit secundum collectionem clarissimi Thozet nec non ad Moreton Bay, sec. Leichhardt. Internodia speciminum Ceramicorum a Teysmann allatorum passim semuncialia. Planta conspecifica ab amico Seemann in insulis Vitiensibus collecta ostendit strobilos depresso-globosos vix semipollicem altos. Arbor monoica. Valvæ fructus fusco-cinereæ. Semina pallida. Ala acutiuscula, nucleo parum longior. Varietas *microcarpa*, strobilis circiter semuncialibus obvenis prope montes Barrier Range (Beckler), ad flumina Hastings River et Genoa (F. M.), ad Glendon (Leichh.). Huc sine dubio pertinet C. Cunninghami. Flores masculi comparatione adhuc egent.

Casuarinam nodifloram nondum in Australia reperimus, nihilominus quærenda. Specimina Amboinica Teysmanni habent internodia ad 3‴ longa, sed valde tenuia. Specimina ex insulis Fejensibus Seemanniana producunt fructus majores et ramulos rigidiores. Totum semen $\frac{1}{2}$‴ longum ; ala elliptica, ter longior quam lata. Limites inter hanc speciem et C. Sumatranam et C. Webbianam mihi haud apparent clari.

Casuarina torulosa nascitur in Australia orientali magis litorali a portu Jacksonii usque ad flumina Fitzroy's et Burnett's River. Arbor altitudinem saltem 25 pedum attingit, ut videtur dioica. Internodia ramulorum usque ad 4‴ longa. Folia dentiformia

sæpissime nisi constanter quaterna. Pedunculi fructiferi unciales v. breviores. Strobili 8–10-stichi, passim depresso- frequentius ovato-globosi. Bracteolæ valvares dorso papilloso-tuberculosæ, qua nota speciem ab omnibus aliis statim distinguimus. Nucleus seminum æque longus fere ac ala. Testa fusca. Ala apice rotundata, mutica. Discriminatio ex ampla speciminum serie semper facilis. Forest-Oak Colonorum, nomen valde ineptum. Amenta mascula gracilia, ad 3″ longa. Antheræ fulvæ, circiter $\frac{1}{3}$‴ metientes. C. tenuissima ad hanc speciem reducenda est. Definitio C. torulosæ in Aitonii Hort. Kew. ed. 1, vol. iii. 320, clare et haud dubie characteres cardinales exprimit.

Casuarina quadrivalvis crebre a sinu Spenceri usque ad partes australes Novæ Cambriæ nec non in Tasmania occurrit ad litus arenosum, in pratis virgultisque planitierum et montium. Internodia longitudinem $1\frac{1}{3}$″ attinent. Arbor dioica. Ramuli cernui v. pendentes. Strobili interdum ad 2″ longi. Semina ellipsoideo-cuneata, 4–5‴ longa; nucleus fuscus, alæ mucronulatæ æquilongus. Bracteæ fructuum juvenilium uncinato-reflexæ. Amenta mascula ad 4″ longa. Antheræ fulvæ, circiter $\frac{2}{3}$‴ metientes. Jam statu fruticante passim floret.

Casuarina glauca, quæ a C. torulosa Miquelii sed haud Aitonii specifice non distat, extendit ab ora orientali ad occidentalem; occurrit nempe a portu Jacksonii usque ad Edgecombe-Bay et Novam Angliam, a fluviis Murray et Avoca usque ad rivum Cooper's Creek et lacum Torrensii, porre ad sinum Great Bight, ad flumen Murchisonii, ad rivos Bogan, Suttor alibique in Australia interiore et forsan centrali. Arbor sæpe ni semper dioica, ad 80′ alta. Ramuli assurgentes, haud pendentes. Cortex suberosus, minus rimosus. Ramulorum internodia usque ad $\frac{3}{4}$″ raro ad 1″ longa. Striolatio haud profunda. Folia dentiformia 8–16, appressa. Amenta mascula ad 2″ longa, sæpe autem conspicue breviora, rarissime longiora; verticilli arcte approximati. Hæc species Swamp-Oak ad Parramatta vocatur. Semina ellipsoideo-cuneata, 2–3‴ longa, semper pallida; testa nunc paulo fuscescens, nunc frequentius argyrophana. Ala rotundato-obtusa, brevissime mucronulata, longitudine nuclei. Strobili plantæ litoralis fuscescentes, plantæ eremicolæ pallescentes. Glaucedo ramulorum in arboribus eremi prævalens nisi universa, in arboribus tractus orarii colori viridi passim cedens, sed inconstans. Antheræ fulvæ, circiter $\frac{1}{2}$‴ metientes. Textura ligni perdensa. Strobili unciam longi v. breviores. Species occurrit æqualiter in montibus petræis ac in collibus mobili-arenosis, immo in paludibus haud profundis. Strobili passim unicum tantummodo verticillum seminum maturatorum producunt et tali modo depressissimi evadunt.

Casuarina humilis, de cujus synonymia præclarus Miquel in Flora (Ephemerid. Ratisbon. 1865, 22) tradit, occurrit tantum in Australia occidentali extratropica, ubi saltem usque ad flumen

Murchisonii extendit. Valvæ fructus e bracteolis auctis ortæ dorso emergente tuberculato-rugosæ, quo modo planta paulo ad C. torulosam (C. tenuissimam Sieb.) et C. microstachyam approximat. Brevitas et densitas amentorum masculorum satis insignes. Seminum ala truncato-obtusa, mutica, conspicue latior quam longa, nucleo lucenti-spadiceo semiovato-rhombeo longitudine vix æqualis. Species apparet dioica. Ramuli nunc magis angulati, nunc magis teretes, sæpe pallidius virentes. Antheræ pæne latiores quam longæ.

Casuarina Huegeliana æqualiter tantum Australiam occidentalem extratropicam inhabitat a fluvio Phillips River usque ad flumen Murchisonii. Arbor minor, monoica. Strobili maturi ovato-cylindracei rarius ovato-globosi, sæpe sesquipollicem longi, passim apice sterili contracti. Seminum nucleus nigro-fuscus, ala mutica rotundato-obtusa paulo brevior.

Casuarina Fraseriana, optime Ver Huellio depicta (in Miq. Casuar. t. vi. D.) nuper illustro amico C. strictæ adscripta est (Ephemer. Ratisbon. 1865, 20), abs qua autem fructu valde discedit. Occurrit tantum in Australia extratropica occidentali. Bracteolæ valvares dorso crassæ, tomentellæ et verruculoso-rugosæ. Seminum nucleus fusco-niger; ala cuneato-semiovata, nucleo fere duplo major, mutica.

Casuarina stricta, Ait. Hort. Kew. ed. i. vol. iii. 320, crescit sparsim per magnam Australiæ extratropicæ partem tum litoralem tum ripariam et rupestrem.

Synonyma ample traduntur præclaro scriptore Miquelio in Flora (Ephemer. Ratisbon.) 1865, 20. Includit inter alias C. distylam, Vent. Discr. Pl. Nov. t. 62; J. Hook. Flor. Tasm. i. 348. Frutex pauci- v. pluripedalis dioicus, eximie varius, interdum omnino pubescens. Amenta mascula 3″ longa v. breviora. Antheræ fere obovatæ, flavæ v. fulvæ. Bracteolæ valvares obtusissime dorso carinato- v. laminato-incrassatæ. Semina 2–3‴ longa; testa nitenti-nigra; ala rotundato-obtusa, nucleo paulo longior v. passim brevior. Internodia varietatis rigidæ passim pollicem longa. Ad hanc speciem pertinet planta Sieberi, Flor. Mixt. 605. In montibus Blue Mountains dumeta humilia sed densa format. A Casuarina stricta difficillime separavi jure varietatis C. paludosam solummodo propter ramulos minus profunde angulato-sulcatos, sæpe tenuiores, flores saltem sæpe monoicos, spicas masculinas breviores, folia dentiformia magis acutata, bracteas strobilorum magis cuspidato-acuminatas, bracteolas valvares tenuiores minus in tuberculum turgentes, semina minora, alam proportione nuclei majorem minus obtusam. Provenit ample per Australiam extratropicam præsertim in vallibus silvaticis, circum paludes. Antheræ rubellæ. Attinet altitudinem 10′. Amenta mascula partim solitaria, partim conferta. Sed hæ distinctiones non semper notatu faciles et fortasse haud specificæ, nisi formis hybridis nunc limites origi-

nales destruuntur. In positionem C. nanæ ad hancce speciem inquirenda.

Casuarina suberosa Australiam felicem et Neo-Cambriam inhabitat, præterea partem Tasmaniæ saltem boreali-orientalem. Intrat etiam regiones australes territorii Queensland usque ad circulum capricornu. Arbor monoica, crescendi ratione a C. stricta valde discedens et C. torulosæ affinior, sed plerisque characteribus ab illa non valde dissita. Amenta mascula satis brevia et pertenuia, confertiflora rarius sesquiuncialia. Antheræ parvæ, interdum latiores quam longæ. Bracteolæ valvares acutiusculæ v. apiculatæ, saltem haud obtusissimæ, qua nota speciem ab omnibus C. strictæ formis statim divellimus. Semina ambitu obovato-cuneata; nucleus nitenti-spadiceus, longitudine alæ satis obtusæ. Dentes (folia) numerosi 5–9. Styli rubri. Ramuli nonnunquam tenuitate eorum C. torulosæ.

Ex horto botanico Berolinensi possideo specimen floribus fructibusque destitutum cujusdam Casuarinæ, initio hujus sæculi ipso Willdenowio sub nomine *C. suberosæ* distributum. Hoc exemplar omni linea, quantum sit, cum C. leptoclada concurrit. Iconi C. suberosæ Tasmanicæ, quæ dissertionem Miquelii ornat (Revis. tab. vi. B.), omnimodo respondunt specimina e parte orientali terræ Gipps Land, ubi cortex fruticis v. arboris minoris, si e rupibus graniticis enata, cano-fuscus, exaratus (aliquotenus suberosus), vix nigrescens observatur.

Eandem Casuarinam cognosco e Nova Anglia, a fluviis Brisbane's, Hastings's et McLeay's River, a portu Jacksonii, a promontorio Cape Howe, a plaga Peak Range, aliisque locis Australiæ orientalis.

C. Muelleriana (Miq. Nederl. Kruidk. Archief iv. 99) ab ipso præclaro nominatore in Ephemerid. Ratisbon. 1855, 24 ad C. suberosam tracta, formam C. strictæ sive C. paludosæ sistit. Vera enim C. suberosa, species arborea, ad sinum St. Vincenti non viget. Icon C. suberosæ Fitchii (in J. Hook. Fl. Tasm. t. xcvi.) formam robustius ramulosam jam magis C. strictæ advergentem exprimit. In gracillimis C. strictæ formis ramuli haud crassiores, quam ii C. suberosæ.

Fasciculus XLI. editus Julio 1867.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLII.

Capparideæ.

Gynandropsis pentaphylla.

Cand. Prodr. i. 238.

Foliis inferioribus magnis plerisque quinquefoliolatis longe petiolatis, floralibus parvis trifoliolatis brevissime petiolatis, omnium foliolis cuneato- v. rhombeo-obovatis ciliolato-repandulis, floribus conspicue pedicellatis, *sepalis minutis*, petalis parvis obovatis pallidis gracillime unguiculatis, filamentis ad columnæ initium disjunctis, *stigmate fere sessili*, germinis stipite columnam staminum evidenter superante, capsula compresso-cylindracea siliquiformi, seminibus fuscis corrugato-asperis.

Circum pagum Gracemere apud capricornu Australiæ orientalis. Edw. Bowman.

Herba forsan annua, breviter glanduloso-pubescens. Petioli foliorum inferiorum ad 4″ longi. Foliola eorumdem fere sessilia, lateralia terminali sæpe biunciali breviora, basalibus duobus longiora. Folia floralia ad basim pedicellorum sita et alia pedicellis interposita, magnitudine sensim decrescentia ; foliola lateralia terminali utplurimum inter 3 et 6‴ longo evidenter breviora. Racemus multiflorus, demum pedalis. Pedicelli denique unciales v. paulo breviores. Sepala circiter 2‴ longa, anguste lanceolata, libera. Petala si unguem addas 4‴ metientia, ut in statu exsiccato apparet alba, glabra, copiose venosa. Staminum columna $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longa. Filamenta quoad partem liberam satis inæquilonga, capillaria ; longiora 6–8‴ longa. Antheræ circiter lineam metientes, ætate uncinatæ. Stylus vix ullus. Stigma peltatum, renato-hemisphæricum, vix ultra semilineam latum. Germen pilis glanduligeris copiose obsessum. Capsulæ maturæ $2\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}$″ longæ, circiter 2‴ latæ, striolatæ, polyspermæ. Semina renato-rotunda, circiter $\frac{2}{3}$‴ longa.

Rutaceæ.

Eriostemon Nottii.

(Sect. Phebalium.)

Ramulis dense lepidotis mox teretibus, *foliis cuneato- v. ovali-oblongis obtusis retusisve fere planis parum repandulis subtus densissime lepidotis* supra minute scabridis, petiolo conspicuo, floribus in apice ramulorum solitariis v. sæpius geminis ternisve breviter pedicellatis, bracteis lineari-canaliculatis caducis, *calycibus majusculis ad medium* 6–7*-fidis extus intusque cum pedicellis et petalorum dorso sicut germine dense lepidotis*, petalis 6–7 lanceolatis sensim in basin nudam membraneam unguiculatis calycem semisuperantibus intus e purpureo pallescentibus, *staminibus* 12–14 *nudis*, filamentis setaceis persistentibus, antheris oblongis basifixis haud appendiculatis, stylo stamina æquante glabro, stigmate parvo peltato, *germine dense lepidoto* 6–7*-mero*, carpidiis calycem vix superantibus obtusis.

In montibus Newcastle-Range. J. Sutherland.

Frutex ad 10′ altus. Folia pleraque inter $\frac{2}{3}$ et $1\frac{1}{3}''$ longa, 2–3‴ lata. Pedicelli 1–3‴ longi. Calyces fere campanulati, circiter $2\frac{1}{2}'''$ alti; lobi deltoideo-semilanceolati, præfloratione valvares. Petala 3–4‴ longa. Antheræ vix lineam metientes. Stylus bilinearis v. paulo longior. Carpidia rhombeo-ovata, 2‴ longa.

Speciem aucto numero omnium partium floralium valde insignem, præterea ab E. lepidoto jam calyce majore et corollæ colore diversam dicavi Doctori Nott, civium urbis Gawleri prætori, expeditionis Leichhardtum quærentis arduo et benigno promotori.

Leguminosæ.

Albizzia Sutherlandi.

Arborea, glabra, foliis 6–16-jugis, pinnis 12–24-jugis, glandula depressa ad basim pinnarum infimarum et aliquot superiorum, *foliolis parvis oblongo-linearibus sessilibus* obtusis concoloribus fere planis, glandula minuta inter foliola superiora, *spicis cylindraceis* parvifloris solitariis geminis v. paucis aggregatis, calycibus sessilibus inæqualiter fere ad trientem tri- v. quadrifidis præter apices dentium glabris unilateraliter profundius incisis, *corolla calycem paulo superante* ad quadrantem longitudinis quinquedentata apice barbellata, filamentis irregulariter breviterque coucretis.

Ad ripas fluvii Flindersii sparsa. J. Sutherland.

Arbor parva v. mediocris, ad 40′ alta. Lignum pallidum, haud durum. Stipulæ nullæ. Rachis foliorum tenuis. Foliola $2\frac{1}{2}$–3‴ longa, circiter $\frac{2}{3}'''$ lata. Pedunculi $\frac{1}{2}$–1″ longi, prope v. infra medium bracteis brevibus latis amplexi. Spicæ $1\frac{1}{2}$–2″ longæ, flavæ.

Calyces sesquilineares. Stamina circiter 3‴ longa. Antheræ minutæ. Fructus ignoti.

Inter species Australianas tantum A. lophanthæ cognata.

Umbelliferæ.

Actinotus Gibbonsii.

Annuus, debilis, decumbens v. adscendens, *foliis trisectis et profunde incisis dissitis* concoloribus ambitu rhombeis v. cuneatis inferioribus longe superioribus brevius petiolatis caulibusque imperfecte pilosulis, laciniis lanceolato-linearibus acutis, *umbellis parvis folio oppositis perbreviter pedunculatis*, involucri foliolis circiter novem angusto-lanceolatis pubescentibus umbellam plurifloram paulo superantibus, *floribus fere omnibus fertilibus apetalis*, pedicellis fructum vix semiæquantibus, *calycis lobis semilanceolatis, fructibus ovato-orbicularibus margine dense ciliatis* utraque facie unicarinatis.

Ad rivum McLeoad's Creek prope vicum Timbarra Novæ Angliæ. C. St.

Caules pedales v. breviores, flexuosi, simplices v. parum ramosi. Petioli radicales ad 4″ longi, graciles. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa; divisiones tres primariæ bi- v. tri- v. plurifidæ, in foliis superioribus indivisæ v. tantum dentigeræ. Pedunculi denique 1–2‴ longi. Umbellæ 4–6‴ diametro. Flores 30 v. pauciores, quorum pauci exteriores imperfecti seu fructum haud maturantes. Calycis lobi $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{6}$‴ longi, ciliosi. Fructus lineam longi, nigrescentes, faciebus vix præter carinam puberuli, margine albo-ciliati.

Ab hac specie facile distingues A. minorem radice perenni, brevitate pedunculorum, indumento foliorum et bractearum alio, pedicellis dense pilosis, copia florum majore sicut eorum diversitate sexuali. Confundi nequit cum ulla alia specie nisi A. glomerato, cujus autem lobi foliorum lineares, flores masculi magis numerosi, fructus majores.

Speciei apposui nomen Guilielmi Sydneyi Gibbons, Chemici periti, artis microscopicæ seduli cultoris.

Myrtaceæ.

Kunzea calida.

(Sect. Salisia.)

Ramulis appresse villosulo-pubescentibus, *foliis imbricatis lineari-semiteretibus* canaliculatis obtusis supra densius subtus parcius sericeo-pubescentibus, capitulis terminalibus globosis v. passim ovatis, bracteis lanceolato- v. lineari-cymbeis calycem æquantibus, bracteolis canaliculato-linearibus sericeis calyce campanulato vix brevioribus, staminibus 50–60, *petalis filamentisque*

purpureis, germine triloculato, gemmulis numerosis placentas dense tegentibus.

In montibus Newcastle-Range ad originem fontesque fluminis Flindersii latitudine 18°. J. Sutherland.

Indumentum canum, in ramulis et florescentia inexplicata densius. Folia bene evoluta 2–3½‴ longa, ⅓–⅔‴ lata, apice haud manifeste recurvata. Calyces circa 3‴ longi, extus villoso-sericei ; dentes deltoidei, acuminati, tubo fere ter breviores. Petala rotunda, lineam longa, filamentis capillaribus bis terve superata. Antheræ minutæ, luteolæ, fere globosæ, dorsifixæ. Stylus fere 3–4″ longus, glaber, purpureus. Stigma parvum, depressum. Fructus nondum observatus.

Species prima e zona intratropicoli allata, K. capitatæ et K. parvifoliæ interponenda.

Kunzea opposita.

(Sect. Salisia.)

Ramulis velutinellis, *foliis minutis oppositis lineari-oblongis appressis inferne canaliculatis apicem versus cylindrice concurvatis* extus glabris intus albido-velutinellis, capitulis terminalibus globosis parvifloris, bracteis ovatis brevi-acuminatis, bracteolis lanceolato-cymbeis, calycis campanulati tubo sericeo-tomentello, staminibus circiter 30, *petalis filamentisque roseis, germine triloculato*, gemmulis numerosis placentas dense tegentibus.

In clivis graniticis ad oppidum Timbarra Novæ Angliæ. C. St.

Frutex facie Bæckeæ. Ramuli plerique oppositi. Folia primum sæpe approximata et tetrasticha, tunc vix ultra lineam longa; demum magis distantia et usque ad 2‴ longa; tandem in ramulis antiquioribus ample dissita. Bracteæ fuscescentes, circiter 1½‴ longæ et 1‴ latæ, ciliatæ. Bracteolæ circiter 1‴ longæ. Capitula fere semper pauciflora. Calyces sub anthesi sesquilineam longi; dentes deltoidei, tubo aliquoties breviores. Petala dentes calycis fere duplo superantia, orbicularia. Stamina uniseriata, petalis bis terve longiora, ad 2‴ tantum longa. Antheræ dorsifixæ, didymo-rotundæ, rimis dehiscentes; glandula exigua dorsalis. Stylus usque 2‴ longus, pertenuis. Stigma minutum, depressum. Fructus 1½–2‴ longus et latus, coriaceo-crustaceus, non lignescens. Placentæ renato-ellipsoideæ, ⅓–¼‴ longæ, prope medium axis sessiles. Semina pauca maturantia, ¼‴ longa, fulva v. fusca, fere ovata; sterilia angustiora et pallidiora. Embryo ovatus. Cotyledones plano-convexæ, radicula aliquoties longiores.

Sola generis discrimina, quibus a Bæckea separabile, ponunt in embryonis figura et longitudine staminum.

Eucalyptus ficifolia.

F. M. Fragm. ii. 85 & 176.

Fruticosa, arborescens, *foliis* modice petiolatis sparsis v. passim oppositis *ovato-lanceolatis v. ovatis* tenui-acuminatis parum inæquilateris firme coriaceis patentissime prætenuiter et crebre penniveniis indistincte punctatis arcte subtiliterque reticulari-venosis *subtus pallidioribus, vena peripherica margini contigua*, umbellis paucifloris paniculatis, pedicellis satis tenuibus angulatis flori æquilongis, alabastris pyriformibus, tubo calycis longitudinem alabastri depresso-patellaris pluries latitudinem duplo excedente, *filamentis cinnabrinis* omnibus fertilibus, antheris parvis ellipsoideo-ovatis parallele loculatis longitudinaliter dehiscentibus, fructibus magnis urceolari-ovatis exangulatis 3–4-loculatis, vertice capsulæ incluso plano, seminibus fertilibus magnis, sterilibus parvis angustis.

In Australia occidentali prope extremitatem sinus Great Bight occidentalem.

Pulcherrima species in horto botanico Melbournensi jam statu fruticis elatioris quarto anno floruit, et forsan provectiore ætate in altitudinem arboris excrescet. Differt ab E. calophylla foliis longioribus magis acuminatis haud evidenter perforato-punctatis, alabastris majoribus rubellis (nec virentibus) proportione latitudinis longioribus, filamentis lætissime rubris crassioribus et longioribus, stylo magis procero, et si recte plantam spontaneam fructificantem et cultam florigerentem conjungo colore et alatione seminum embryonem gerentium. Flores psittacis grati.

Folia cotyledonaria sicut ea juventute præcocissima producta speciebus Eucalypti non minus quam omnibus aliis plantis characteres optimos pro diagnosi eligendos attribuunt, quum hæcce folia nullis variationibus extensis subjecta sint.

Rubiaceæ.

Webera expandens.

Ramulis tenuiter pubescentibus, foliis magnis ovato-lanceolatis chartaceis longiuscule petiolatis vix acuminatis supra fere glabris subtus ad nervos distinctius pubescentibus, stipulis semilanceolato-deltoideis, *cymis multifloris trichotomis* terminalibus, dentibus calycis parvi semiorbicularibus dense ciliolatis, *corollæ tubo elongato* lobis ovalibus ter longiore extus perbreviter pubescente, antheris linearibus omnino emergentibus, stylo medium versus pubescente, gemmulis in utroque loculo 4–5.

Ad sinum marinum Adam's Bay. Hulls.

Frutex nisi arbor Pavettæ habitu. Ramuli compresso-tetragoni. Petioli ad pollicem longi. Folia 5–7″ longa, 2–2½″ lata, prominule penninervia, tenuiter venis reticulata, exsiccatione haud nigrescen-

tia, in petiolum semper acutata. Stipulæ 2–2½‴ longæ. Pedunculi cymæ primarii usque pollicem longi. Bracteæ lineari-subulatæ. Bracteolæ minutæ. Calyces floriferi fere 1⅓‴ longi. Tota corolla uncialis v. paulo longior, intus fere glabra; tubus gracilis; lobi 5, æstivatione imbricati. Stamina 5. Filamenta fauci inter sinus limbi inserta, lineari-subulata, ½‴ longa. Antheræ 1½–2‴ longæ, dorso infra medium affixæ, basi breviter bidentatæ. Stylus tubum fere semisuperans, in stigma indivisum tenuissime clavatum transiens. Fructus nondum notus.

A Webera Dallachiana (F. M. in Benth. Flor. Austr. iii. 412) jam floribus longioribus diversa.

Sapoteæ.

Chrysophyllum pruniferum.

Ramulis ferrugineo-tomentosis, foliis ovato-lanceolatis v. ovatis basi acutiusculis apice breviter acuminatis supra mox glabratis subtus diutius tomento ferrugineo indutis, glomerulis axillaribus petiolo brevioribus, *pedicellis calyce parvo quinquepartito extus ferrugineo-relutino brevioribus*, corolla calycem vix semisuperante ad medium 5-fida extus glabra staminibus breviter superata, *filamentis anthera cordata quater longioribus* setaceis, stylo filamentis fere æquilongo basi excepta glabro, germine ferrugineo-tomentoso, bacca primum ferrugineo-velutina demum purpureo-cyanea monosperma ovato-globosa, albumine nullo, radicula perminuta.

In silvis ad sinum Rockingham's Bay et ad flumen Mackay's River. Dallachy.

Arbor minor. Folia coriacea, usque ad 6″ longa et 2½″ lata, remotiuscule penninervia, prominule reticulari-venosa, petiolo ½–⅔″ longo prædita. Fasciculi ad glomerulos abbreviati, pluriflori. Calycis lobi ovati, ½–⅔‴ longi. Corollæ laciniæ semiovatæ, ætate recurvæ. Stamina prope corollæ basim inserta, lobis ejusdem opposita et revolventibus semiexserta. Antheræ flavæ, dorsifixæ, ¼–⅓‴ longæ, loculis rima laterali hiantibus. Stylus sesquilineam longus, setaceus. Stigma perminutum. Bacca fere sessilis, circiter uncialis extus tarde glabrescens. Pericarpium crustaceum, intus fuscescens v. fulvum, venis crassis pallidioribus et venulis anastomosantibus percursum. Semen globosum, pæne pollicem metiens, extus reticulari-impressum et saturate fuscum. Cotyledones semiglobosæ. Radicula inclusa, ne quidem lineam longa.

Eandem seu cognatam speciem amicus C. Moore reperit intra Neo-Cambriæ fines ad montes Bellinger's Range. Hujus stirpis fructus nondum cognosco, sed monente inventore magnitudinem pruni attinent et colore nigro-purpureo gaudent. Corolla et antheræ paulo majores quam in planta e regione magis septentrionali.

Bassia galactoxyla.

Alte arborea, ramulis robustis cicatrisato-verrucosis, *foliis glabris oblongo-obovatis* basi cuneatis apice rotundatis, pedicellis fructiferis petiolo æquilongis folio multoties brevioribus glabris, calycis lobis 6 exterioribus semiorbiculatis, interioribus semiovatis, *baccis ovato-ellipsoideis basi et apice attenuatis* 1- *rarius* 2-*spermis*, pericarpio recente extus albido.

Ad sinum Rockingham's Bay secundum fluviorum ripas.

Arbor fere centipedalis, diametro quadripedali. Truncus vulneratus humorem lacteum copiose fluens. Petioli semiunciales v. paulo longiores. Folia $3\frac{1}{2}$–5″ longa, $1\frac{1}{3}$–$1\frac{2}{3}$″ lata, tenuiter penninervia, subtiliter venosa. Flores deficientes. Sepala persistentia, fructus tempore circiter 1‴ lata. Pedicelli fructiferi solitarii v. gemini, circa $\frac{3}{4}$″ longi. Drupa 1–$1\frac{1}{2}$″ longa. Pericarpium glabrum, exsiccatione crustaceum, indicatione inventoris albidum. Semina $\frac{3}{4}$–1″ longa, utroque latere turgida si solitaria, plano-convexa si geminata. Testa crustaceo-chartacea, latere libero dilute et nitide fulva, latere adnato opace fusca. Cotyledones (tantum statu prætermaturo visæ) rectæ, plano-convexæ v. saltem percrassæ. Radicula basalis, brevis, inclusa. Plantam ad interim, donec flores cognoscemus, huc locavi.

Solaneæ.

Solanum magnifolium.

Ramulis tomentosis parcissime aculeatis ; *foliis magnis ovatis acuminatis repando-dentatis* inermibus basi inæquilateris subtus pallidioribus utrinque stellari-pubescentibus, petiolis conspicuis, axillis aphyllis, cymis lateralibus paucifloris tomentosis haud aculeigeris, calycibus corollam vix semiæquantibus quinquepartitis, laciniis semilanceolatis acuminatis, *corolla extus stellari-pubescente* cœrulea, antheris corolla ter brevioribus filamento aliquoties longioribus sursum leniter attenuatis apice truncatis, *stylo tomentoso.*

In vallibus sylvaticis prope sinum Rockingham's Bay. Dallachy.

Aculei 1- $1\frac{1}{2}$‴ longi, tantum in ramulis occurrentes. Folia ad 9″ longa, ad 5″ lata ; indumenti stellulæ pilo longiore terminatæ. Pedunculi $\frac{1}{2}$–1″ longi. Calyces 3–4‴ metientes. Annulus ad basin corollæ e staminum parte adnata ortus denticulum scilicet accretum inter filamenta emittens. Antheræ pæne 2‴ longæ, fulvescentes, poro geminato apertæ. Stylus fere 3‴ longus. Baccæ ignotæ.

Compositæ.

Senecio Daltoni.

Parce pubescens, *foliis lanceolatis v. lineari-lanceolatis* integerrimis in petiolum exauriculatum angustatis, *pedunculis monocephalis capitulo majusculo radiato* multo longioribus, bracteis

ad basim involucri pluribus longiusculis, involucri phyllis 16–20 lanuginoso-tomentellis, floribus discoideis circa 50 involucrum conspicue superantibus, *ligulis circiter* 12 *tubo paulo brevioribus*, acheniis glabris, pappi setis copiosis tenerrimis.

Ad flumen Warrego, loco Currewillighi dicto. J. D. Dalton.

Vidi tantum ramulos plantæ fortasse altioris. Folia superiora incluso petiolo 2–4″ longa, 1½–6‴ lata. Bracteæ hypocephalæ 1½–4‴ longæ. Involucri foliola 7–8‴ longa, angusta, acutata, abraso indumento virentia, haud eminenter nervata. Corollæ tubulosæ circiter 5‴ longæ, graciles. Antheræ conspicue exsertæ. Lamina florum radiantium vix 3‴ longa et 1‴ lata. Achenia matura incognita.

Species proxime venit S. macrantho, differt autem foliis non auriculatis, involucris longioribus, radiis brevioribus.

Goodeniaceæ.

Calogyne pilosa.

R. Br. Prodr. 579.

Foliis oblongo- v. angusto-lanceolatis inferioribus in petiolum basimve angustatis superioribus basi utrinque lobo lineari-lanceolato auriculatis, pedicellis calyce bis v. aliquoties rarius paulo longioribus, calycis laciniis lineari-lanceolatis, corolla parva extus parum pilosula, *styli trifidi lacinia media brevissima*, indusiis minutis, capsula parva globoso-ovata oligosperma uniloculari, seminibus lividis læviusculis apteris pæne æquialte collateralibus.

In locis humidis ad Rockingham's Bay.

Planta congenerica boreali-occidentalis comparanda. Seminum dispositio eadem ac in Goodenia hispida.

Dampiera Linschotenii.

Dampieræ sp. R. Br. Append. to Sturt's Central Austr. ii. 66; Linschotenia discolor, Vriese in Mitch. Trop. Austr. i. 345; Vriese Goodenoviaceæ, 120, t. 22.

Ramulis teretibus foliosis, *foliis lanceolatis integerrimis* breviuscule petiolatis supra glabrescentibus subtus cum ramis et inflorescentia fulvido- v. cano-tomentosis, spicis terminalibus paniculatis, bractea cymbeo-lanceolata bracteolas duplo superante corollam fere semiæquante, corolla cœrulea extus præter alas velutino-tomentosa, *labio infero superum saltem duplo excedente, laciniis labii superi altero latere pæne apteris altero breviter alatis* medio auriculum cupularem sive cyatheum gerentibus, lobis labii inferi conspicue obtuseque alatis, fauce styloque glabris, indusio imberbi.

In vicinia montis Faraday Actinoto Helianthi consociata. Eques Thom. Mitchell.

Examinavi specimen e loco indicato fructibus destitutum.

Dampiera stricta, quacum illustris J. Hooker (Fl. Tasm. i. 230) recte conjungit Dampieram oblongatam, a montibus Grampians in Novam Angliam et usque ad sinum Moreton's Bay vergit. Eandem ad vicum Falmouth Tasmaniæ reperit Walt. Bissell.

Dampiera ferruginea nunc nota est a sinu Rockingham's Bay, a fluviis Burdekin's River et Burnett's River.

Indumentum insigniter variat.

Dampiera Brownii.

D. undulata, R. Br. Pr. 587; D. rotundifolia, R. Br. l. c.; D. ovalifolia, R. Br. l. c. 588; D. purpurea, R. Br. l. c.

Ramulis cylindraceis angulato-striatis, *foliis orbicularibus ovatisve* integerrimis repandis v. passim dentatis subtus ramoso-tomentosis, petiolis perbrevibus, pedunculis remotiuscule paucifloris axillaribus et terminalibus, floribus pedicellatis, *corolla* cœrulea v. passim purpurea *extus præter alas plumoso-tomentosa*, lobis labii inferi eos labii superi paulo excedentibus.

In montibus rupestribus ad fluvium McAllister's River, F. M.; in tractu Blue Mountains, Woolls; ad urbem Liverpool, Leichhardt; ad portum Jacksonii, Woolls; ad Camden Haven, C. Moore; in Nova Anglia prope flumen Severn, C. St.

Gradus et color tomenti variabiles. Ad hanc speciem pertinere videntur D. omissa, Vriese Analect. 8; D. melanopogon, R. Br. in Vries. Goodenoviac. 87.

D. Cunninghami a fluviis Bogan et Murray's River usque ad flumen Murchisonii extendit.

Dampiera eriocephala, quæ tum Primulam cum Brunoniam æmulatur, occurrit in tractu Stirling's Range et variat foliis utrinque glabris.

Dampiera Reinwardtii, quæ corollis flavis admodum insignis, provenit ad flumen Murchisonii.

Dampieri rosmarinifolia a fluviis Murray- et Darling-River in Australiam occidentalem trans sinum Great Bight vergit.

Epacrideæ.

Styphelia plumuliflora.

Leucopogon plumuliflorus, F. M. coll.

Fruticulosus, erectus, foliis subcordato-ovatis passim rhombeo- v. oblongo-ovatis muticis margine recurvis primum cum ramulis hirtello-pubescentibus demum scabridis plerisque sparsis aliquot sub floribus et ad junctionem ramulorum verticillari-confertis, floribus in apice ramulorum capitatis, *sepalis lineari-subulatis plumoso-barbatis corollam parvam conspicue superantibus*, corollæ lobis brevibus fulvo-barbatis, stigmate pæne sessili.

In Australia occidentali. Drummond (122).

Fruticulus 1–2′. Folia 3–6″ longa, breviter et latiuscule petiolata, potius chartacea quam coriacea, patentia, subtus opaca sed non pallida, tenuissime nervata. Capitula pluriflora. Bracteolæ 2 breves, lanceolato-cymbeæ. Sepala $2\frac{1}{2}$–3‴ longa, e basi latiore sursum perangusta, pilis albis dense barbata. Corolla $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, campanulato-cylindrica. Antheræ 5 minutæ, ovatæ, ad faucem corollæ pallido-barbatam affixæ. Stylus brevissimus, vix ullus. Discus 5-lobus. Germen glabrum, fere ovatum. Fructus ignotus.

Planta adspectu alieno fere Pimeleæ, ulterius in statu fructigero examinanda.

Styphelia conantha.

Conostephium planifolium, F. M. coll.

Ramulis fere glabris late cicatrisatis, *foliis concoloribus planiusculis* oblongo- v. lineari-lanceolatis subtus subtiliter sulcato-lineatis apice acutis margine scabridis, pedunculis axillaribus unifloris solitariis velutinellis pluribracteatis flore aliquoties brevioribus, sepalis ovato-orbiculatis lateribus latissime invicem tegentibus scariosis muticis extus velutinello-sericeis sursum ciliolatis, bracteolis hypocalycinis orbicularibus, *corolla acute conico-cylindrica calycem breviter superante extus præter apicem sericea intus fere a basi ad limbum usque dense barbata, limbi lobis tubo pluries brevioribus lineari-subulatis glabris* haud expandentibus, staminibus medio tubi insertis, filamentis brevissimis, *antheris apertis obverse lineari-sagittatis* supra basim filamento junctis, stylo corollam æquante inferne pubescente, stigmate perminuto, germine triloculato vertice velutino, perigynio indistincto.

In collibus sabulosis inter promontoria Cape Malcolm et Point Culver. Mx.

Frutex ad 3 pedes altus. Folia 3–6‴ longa, lineam lata vel paulo latiora, in petiolum brevem latumque desinentia, haud crassa. Flores cernui v. nutantes. Bracteæ pedunculorum pro longitudine latæ. Bracteolæ inter summas bracteas et sepala quoad formam transitoriæ. Sepala $2\frac{1}{2}$–3‴ longa, sursum purpurascentia, exteriora interioribus paulo minora. Corolla circiter 4‴ longa, diametro 1‴ tenens; lobi circa $\frac{3}{4}$‴ longi, fulvescentes v. flavescentes, æstivatione valvati et subulam fingentes. Antheræ lineam paulo excedentes; valvæ superne in lacinias 2 subulatas solutæ; septum ad divisionem valvarum extendens, haud altum, inferne crassius. Perigynium nullum sive ab germine non separatum. Drupa nondum nota.

Planta proxime accedit ad Conostephium minus (Lindl. in Bot. Reg. xxv. p. 37), foliis utrinque æqualiter virentibus margine non recurvatis, corolla intus pæne basi tenus barbata divellitur.

Styphelia melaleucoides (F. M. Fr. iv. 97) habitat ad oram sinus Great Bight. Planta inter Leucopogonem et Stypheliam sensu

arctiore contemplatam stat. Varietas cuspidato-ovata, foliis ovatis acuminatis divellenda, detecta est ad sinum Israelite-Bay.

Styphelia Leucopogon (F. M. Fr. iv. 97 ; Leucopogon exsertus, F. M. Fr. iii. 143) ad sinum Great Bight et rivum Phillip's River inventa est. Alteram Stypheliam genuinam sensu Brownii floribus magnitudine reductis repræsentat. Huc spectat planta Drummondi 327.

Styphelia exarrhena (Leucopogon exarrhenus, F. M. Fr. i. 178) e nullo alio loco, quam Tattiara-country cognita. A præcedente eam distingues sepalis bracteolisque mucronulatis, foliis lanceolato-ovatis margine lævibus. A Stypheliæ melaleucoidis varietate cuspidato-ovata separo ab bracteolas et sepala cuspidulata, corollæ tubum calyci æquilongum, antheras breviores aperte oblongas, folia supra convexa. Fructus harum trium examine egent.

Styphelia apiculata (R. Br. Pr. 536 in nota generali ; Spr. Syst. i. 656 ; Leucopogon apiculatus, Br. Pr. 542) obvenit ad promontoria Cape Le Grand et Cape Arid, ubi fruticem 2–4′ sistit.

Styphelia polystachys (Br. Pr. 536 ; Leucopogon polystachys, Br. Pr. 542) crescit ad sinum regis Georgii.

Styphelia squarrosa (Leucopogon squarrosus, Benth. in Hueg. Enum. 77) nascitur ad vicum Hamdeni.

Styphelia tetragona (Leucopogon tetragonus, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 317) exstat in herbario Drummondi sub 151. Occurrit etiam ad montem Blandii in rupibus. Folia ex parte opposita.

Styphelia hirsuta (Leucopogon hirsutus, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 310) legebatur tam Preissio quam Drummondio.

Styphelia rubicunda (Cyathodes rubicunda, F. M. Fragm. iv. 99) viget ad sinus Great Bight oram magis occidentalem.

Styphelia obovata (Labill. Nov. Holl. Pl. Spec. i. 48, t. 67 ; Leucopogon obovatus, Br. Pr. 542 ; L. revolutus, Br. l. c.) quæ S. ericoidi cognata, inveniebatur a promontorio Cape Riche usque ad Eyre's Relief et Cape Le Grand, tunc etiam in insula Bald Island. Varietas angustior, foliis margine revolutis crescit ad King George's Sound alibique in Australia occidentali. Discus repandus, minus distincte dentatus quam eum icon Billardierii exprimit, folia semper margine magis recurvata. Varietas angustissima, foliis linearibus, occurrit ad Gordon's River. Nomen autem specificum plerisque formis haud idoneum.

Styphelia capitellata (Leucopogon capitellatus, Cand. Pr. vii. 747) tum ad præcedentem tum ad L. linifolium appropinquat. Habeo plantam a fluvio Salt-River.

Styphelia polymorpha (Leucopogon polymorphus, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 309 ; L. assimilis, Benth. in Hueg. En. 77) est species certe multiformis, materiis mihi exstantibus quoad omnes limites nondum tute intelligenda. Extendit a sinu Regis Georgii ad cycnopotamum. Frutex 3–4′. Drupa 3- v. 4- v. 5-loculata. Bracteolæ nervosæ, sæpe sepala æquantes v. paulo superantes. Sepala uni-

nervata. Huc forsan Leucopogon striatus (R. Br. Pr. 544) ducatur.

Styphelia multiflora (Br. Pr. 536 in nota generali ; Leucopogon multiflorus, Br. Pr. 542) distributa est e collectione Drummondi sub. n. 134. Spicæ æque terminales ac axillares. A Styphelia virgata recedit floribus minoribus magis copiosis, pedunculis sæpe longioribus semper pluri- v. multibracteatis.

Styphelia pluriloculata (Leucopogon pluriloculatus, F. M. Fragm. i. 37) vidit ad Camden Leichhardt et in Australia orientali subtropica Eq. Mitchell.

Styphelia distans (R. Br. Pr. 536, sec. notam generalem ; Spreng. Syst. Veg. i. 655 ; Leucopogon distans, R. Br. Pr. 544) format ad Kalgan et Wilson's Inlet fruticem quadripedalem. Folia usque ad 3‴ longa. Panicula quasi cymosa usque 60 flores continens. Drupa ætate baccata, rubra, ovata, obtusa, calycem semisuperans.

Styphelia Brownii (Spreng. Syst. v. 683 ; S. reflexa, Br. Pr. 536 non Rudge ; Leucopogon reflexus, Br. Pr. 544) occurrit in arenosis ad Mount Manypeak, Point Irwin, Kalgan, Phillip's River, Fitzgerald's River, Doubtful Island. Fruticulus 1–2′. Folia evoluta $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{2}$‴ longa.

Styphelia glabella (R. Br. Pr. 536 ; Spr. Syst. i. 655 ; Leucopogon glabellus, R. Br. Pr. 544), cui forsan L. cordatus, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 313 adsocianda, provenit in collectione Drummondi sub 311. Fruticulus sæpius sesquipedalis. Folia iis L. rotundifolii similia, flores autem in spicas multifloras terminales dispositi.

Styphelia variifolia (Leucopogon variifolius, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 314 ; L. elatior, Sond. l. c.) exstat in museo nostro a fluminibus Vasse's, Blackwood's et Phillip's River aliisque locis Australiæ occidentalis. Frutex 2–3′.

Styphelia oppositifolia (Leucopogon oppositifolius, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 316) extendit orientem versus saltem usque ad fluvium Phillip's River.

Styphelia pleurandroides (Leucopogon pleurandroides, F. M. Fragm. iii. 143) occurrit, quantum hactenus scimus, tantum ad litora sinus Great Bight magis occidentia.

Styphelia cucullata (Br. Pr. 536 ; Leucopogon cucullatus, Br. Pr. 545) e diagnosi haud facile recognoscitur. Planta Preissii egregio Sondero descripta (Pl. Preiss. i. 320) erit comparanda exemplaribus authenticis Brownii.

Styphelia rudis (Leucopogon rudis, F. M. Fr. iv. 106) proxime venit Leucopogoni cucullato e collectione Pressiana, sed nervatio foliorum crassior et eorum forma alia. Habitat ad Cape Le Grand et in Bald Island. Drupula sicca, 1‴ metiens, truncato-ovata, quinqueloculata, sepalis pro longitudine latis vix æquilonga. Species fortasse ad Leucopogon nervosum referenda.

Styphelia megacarpa (Leucopogon megacarpus, F. M. Fr. iv. 102) est tantummodo a fluvio Murchisonii nota.

Styphelia lissanthoides (Leucopogon lissanthoides, F. M. Fragm. iv. 101) provenit ad flumen Phillipi. Drummond plantam sub numero 324 distribuit. Huic Leucopogon breviflorus (F. M. Fragm. iv. 102) affinis.

Styphelia subulifolia (Leucopogon subulatus, F. M. Fr. iv. 103) nascitur ad Great Bight.

Styphelia strongylophylla (Leucopogon strongylophyllus, F. M. Fragm. iv. 101) solum, quantum scimus, viciniam fluminis Murchisonii inhabitat.

Styphelia pendula (Br. Pr. 536 ; Leucopogon pendulus, Br. Pr. 545) occurrit a sinu regis Georgii saltem usque ad locum Eyre's Relief. Altitudine 1–4′ variat. Stigma prominutum. Varietas pluriflora superbit pedunculis 3–6-floris, floribus brevi spatio dissitis, bracteolis longioribus acutatis, foliis $\frac{1}{8}$–$\frac{1}{2}$″ longis, $\frac{2}{3}$–2‴ latis, ovato- v. lineari-oblongis passim late ovatis muticis v. brevissime mucronatis. Huic speciei simillima Leucopogon Woodsii (F. M. Fragm. i. 178) præsertim foliis supra concavis divergens. Hanc speciem seu varietatem a loco Eyre's Relief cognosco, a plaga Tattiara-country, et etiam in herbario Drummondii reperio. Cum Leucopogone rotundifolio, L. Richei, L. australi pertinet ad illas species paucas, quæ a regionibus orientalibus Australiæ ad occidentales vergunt.

Styphelia flavescens (Leucopogon flavescens, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 322, F. M. Fragm. iv. 100) nascitur passim in Australia occidentali. Huc pertinere videntur plantæ Drummondii 153 et 312.

Styphelia crassifolia (Leucopogon crassifolius, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 316) extendit ad promontoria Cape Le Grand et Cape Paisley. Altitudinem 2′ attinet.

Styphelia racemulosa (Leucopogon racemulosus, Cand. Pr. vii. 747), quæ potius Epacridis quam Leucopogonis habitu, vergit usque ad flumen Murchisonii. Folia passim ultra 1″ longa. *Drupa* in exemplaribus omnibus me examinatis (nihilominus forsan casu) obliqua, leguminulum referens, *semilunari-ovata, quasi dimidiata,* modice compressa, exsucca, monosperma, 3‴ longa, lineam latitudine paulo excedens, basi styli fere lateraliter rostellata. *Semen arcuato-cylindraceum, unicum,* curvaturæ exteriori putaminis ossei parallelum. Putamen igitur lateraliter uniloculatum. Sulci a folio ad folium currentes sat peculiares. Germen 5-loculatum.

Styphelia erubescens (Leucopogon rubicundus, F. M. Fr. iv. 102) habitat ad Mount Manypeak, Warrieup, Mount Gairdner, Lake Leven, Gordon's River. Proxime stat Leucopogoni racemuloso, folia autem nec sessilia, nec quasi decurrentia, nec margine revoluta, præterea breviora. Huc trahendæ sunt plantæ Drummondi 309 et 482. Drupa calycem paulo superans, clavato-obovata, circiter sesquilineam longa, quinqueloculata, obtusa, neque truncata. Discus cyatheus integer.

Styphelia Allittii (Leucopogon Allittii, F. M. Fragm. iv. 103) ad flumen Murchisonii provenit. Non solum S. racemulosæ sed etiam L. pungenti cognata.

Styphelia pungens (Leucopogon pungens, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 324) progreditur usque ad tractum montium West Mount Barren. Pedunculi interdum 5–6-flori. Calyces pallidi dum inexpansi haud male flores Paronychiæ simulant. In varietate abbreviata invenies folia breviora et mucronem bracteolarum pæne absentem.

Styphelia conostephoides (Leucopogon conostephoides, Cand. Prodr. vii. 753) præcedenti affinis, migrat usque ad flumen Murchisonii.

Styphelia cymbiformis (Leucopogon cymbiformis, A. Cunn. in Cand. Prodr. vii. 750) occurrit ad Tone-River, Kalgan alibique sec. collectiones Drummondii 182, 188, 323. Sepala acuta, tubo corollæ breviter superata. Species ciliis germen cingentibus, ut luculenter monet amicissimus Sonder, singularis. Folia usque ad 4‴ longa. Fruticulus 1–1½′.

Styphelia pulchella (Leucopogon pulchellus, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 310) nota est a montibus Darling's et Stirling's Range, a sinu Dillon's Bay, a fluvio Tone's River. Fruticulus sæpe ulnaris. Folia satis crassa. Drupa minuta, 1- v. 2- v. 3-sperma, apice truncata, stylo brevissimo terminata.

Styphelia blepharophylla (Leucopogon elegans, Sond. in Lehm. Pl. Pr. 318) cognita est a promontorio Richei, a Warrieup, Kalgan, Mount Manypeak. Folia supra valde concava. Nervi foliorum 5, paralleli, tenues. Drummond habebat speciem sub 150 et 308.

Styphelia gracillima (Leucopogon gracillimus, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 312) obvia est in collectione Drummondi sub 75. Approximat Leucopogon pulchellum. Folia minutie extraordinaria, sæpe vix 1‴ metientia.

Styphelia brachycephala (Leucopogon brachycephalus, Cand. Prodr. vii. 746) crescit ad oppidum Hamdeni, et aliis locis fide collectionis Drummondianæ, sub 321, 463, 467 et forsan 187 et 322. Fructus harum omnium comparandi.

Styphelia exolasia.

Leucopogon exolasius, F. M. coll.

Ramulis pubescentibus, foliis late linearibus sessilibus mucronatis margine lævibus revolutis, *pedunculis axillaribus 2–3-floris*, passim 1- v. 4-floris calyci æquilongis vel eodem brevioribus, *sepalis elongatis* lineari-lanceolatis bracteolas cordato-orbiculatas mucronulatas aliquoties superantibus fuscescentibus, *corolla extus insigniter pubescente*, tubo cylindraceo-obconico sepalis fere æquilongo limbi longitudinem paulo excedente, fauce parce villosa, filamentorum parte libera antheris semiexsertis æquilonga, stylo longiusculo ger-

mineque glabris, stigmate perminuto, *squamis hypogynis liberis lanceolato subulatis*, germine 5-loculato.

In vicinia pagi Camden Dre Ludiv. Leichhardt anno 1843 detecta. Vidi ramos copiose foliatos, indumento brevi patente. Folia bene evoluta circiter semiuncialia, supra scabriuscula, subtus striis pertenuibus parallele lineata, hic pallidiora sed non albida. Pedunculi inferne bracteis minutis imbricate obsessi, pilosuli. Sepala 2‴ longa, glabra. Corolla basim versus extus intusque glabra; cetera pars extus pilis fulvis tenuiter lanuginosa; laciniæ lineari-subulatæ, æstivatione scilicet valvatæ. Antheræ ellipsoideæ, pæne $\frac{1}{2}$‴ longæ, dorsifixæ, erectæ, extrorsæ; septum rudimentarium. Stylus subulato-setaceus, 2‴ longus. Germen passim apice parce villuliferum. Drupa non exstans.

Species indumento etiam partem exteriorem corollæ tegente, si hæc nota firmum characterem præbet, inter omnes affines facillime recognoscitur. Proxime stat Leucopogoni setigero.

Styphelia Baxteri.

Astroloma Baxteri, A. Cunn. in Cand. Prodr. vii. 739; Stenanthera squamuligera, F. M. Fragm. iv. 97.

Erecta, ramulis hirto-pubescentibus, foliis lato-linearibus mucronatis denticulato-ciliatis margine leniter recurvatis subtus parum pallidioribus tenuiter pauci-nerviis, floribus axillaribus solitariis sessilibus, bracteolis majusculis cuspidulatis calyceque glaberrimis, sepalis tubo corollæ triente v. dimidio brevioribus, *corollæ late cylindraceæ coccineæ lobis tubo fere duplo brevioribus prope apicem tantum tenuissime barbatis* demum apice uncinato recurvis, tubo intus supra basim squamas quinque barbatas deorsum liberas gerente aliunde glabro, filamentis usque ad limbum adnatis summo latiusculo apice liberis, antheris erectis oblongis superne attenuatis tarde apice in lacinulas 2 secedentibus, stylo procero cum germine glabro, disco annulari indiviso, germine 5-loculato.

In Australia occidentali inter sinus regis Georgii et Great Bight.

Folia semipollice plerumque paulo longiora v. breviora, circa $\frac{3}{4}$‴ lata, perbreviter petiolata. Bracteæ plures, magnitudine deorsum decrescentes, imæ minutæ. Sepala satis scariosa, paulo erubescentia, oblongo-lanceolata, circiter 3‴ longa. Corolla 7–9‴ longa, diametro trilinearis, basi sensim contracta, intus præter squamas apicesque glabra; lobi æstivatione valvati, diu erecti, subulato-semilanceolati. Antheræ fere 1‴ longæ, dorsifixæ, basi liberæ, luteæ. Stylus semuncialis. Fructus ignotus.

Planta memorabilis transitum mediat ab Astrolomatibus, quorum adspectus est particeps, ad Cyathodis seriem; illis præterea Stenantheram conostephoidem similitudine connectit.

Limites etiam Conostephii infringit, minus forsan propter habitum atque corollæ formam etsi similes, quam ab antherarum divi-

sionem apicalem quamvis tardam. Hanc cum Conostephio arctam affinitatem jam illustris Candolle clare perspexit.

Styphelia concurva (Leucopogon concurvus, F. M. Fr. iii. 144) tantum in vicinia sinus Sti Vincentii adhuc inventa.

Styphelia margarodes (Br. Pr. 536 sec. notam generalem ; Leucopogon margarodes, Br. Pr. 542) collecta est ad urbem Newcastle Leichhardtio, in insula Moreton's Island me ipso. Frutex paucipedalis. Pericarpium succosum, hyalinum, depresso-globosum, putaminis tantum partem inferiorem ambiens.

Styphelia linifolia (Leucopogon linifolius, A. Cunn. in Cand. Prodr. vii. 747) viget ad flumina Hastings et McLeay's River. Similitudine Leucopogonis capitellati, speciei occidentalis. Flores utplurimum ramulos terminant.

Styphelia adscendens (Br. Pr. 537) in montibus Grampians a basibus in regiones alpestres progreditur, præcipue locos petræos occupans. Corolla leniter inflata, luteola v. ochroleuca, apicem versus virens. Drupa sphærica, 4–5‴ longa, 5-loculata ; pericarpium dulci-mucilaginosum, extus virens. Squamæ 5 hypogynæ liberæ, semilanceolatæ, demum 1‴ longæ.

Styphelia pinifolia (Br. Pr. 536 in nota generali ; Spreng. Syst. i. 659 ; Stenanthera pinifolia, R. Br. Pr. 538) incolit montes Grampians usque ad regiones altiores 5000′, plagas circum locum Kingii et partes aliquot Neo-Cambriæ australes. Corollæ limbo imperfecte parceque barbato species transit ad illas seriei Acrotriches et ad Astroloma Baxteri. Huic etiam et Stenantheræ conostephoidi latitudine filamentorum concurrit. Antheræ breves sed non angustæ, etiam ætate integra. Drupa viridis. Stenanthera nullam characterem habitualem præ se fert.

Styphelia Sonderi (Stenanthera conostephoides, Sond. in Lehm. Plant. Preiss. i. 296, F. M. Lithogr. lii. ; Pentataphrus Behrii, Schlechtend. Linnæa xx. 618) amœnissima sua pulchritudine præ plerisque Epacrideis triumphat, notis autem plerisque phytographicis Stypheliæ pinifoliæ et Astrolomati Baxteri adstat. Observavi stirpem a sinu Spenceri ad flumen Murrayi et montes Grampians extendentem, occurrit quoque in insula halmaturorum. Varietas flavescens, notatu digna calyce cum bracteis bracteolisque flavescentibus, nec non corolla fulvida, detecta fuit ad montem Corong.

Styphelia pentapogona.

Astroloma juniperinum, F. M. coll.

Diffusa, ramosissima, ramulis breviter pubescentibus, *foliis parvis lanceolato-linearibus mucronatus curvato-patentibus subtus leniter convexis concoloribus* tenui-nervatis margine denticulato-scabridis, floribus axillaribus solitariis pæne sessilibus, bracteolis orbiculatis trientem sepalorum erubescentium æquantibus, *corolla intense rubra latiuscule cylindracea*, saltem semiexserta, lobis tubo bis

terve brevioribus intus dense barbatis, tubo ante basin quinquebarbato, apice filamentorum libero plano, stylo longiusculo glabro, stigmate minuto, disco hypogyno indiviso, drupa globosa 5-loculata.

In locis glareosis ad montes juxta flumina Phillip's et Fitzgerald's Ranges. Mx.

Frutex humilis, decumbens. Folia $1\frac{1}{2}$–3‴ longa, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ lata, perbreviter petiolata. Bracteæ plures minutæ, imbricatæ. Sepala vix 2 lineas excedentia, glabra, aliquotenus scariosa. Corolla 4–5‴ longa; tubus medium versus intus glaber, loborum æstivatio valvata. Antheræ ad corollæ faucem insertæ, explanatione oblongo-ovatæ, 1‴ longæ. Stylus sesquilinearis. Drupa pisi magnitudine.

Styphelia cuneifolia (Astroloma cuneifolium, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 300.) Huc spectare videtur planta ad flumen Murchisonii Oldfieldio collecta, foliis cuneato-lanceolatis planiusculis tenuius nervatis præcipue ab A. Candolleano diversa. Flores similes, et breviter pedunculati.

Styphelia Drummondi (Astroloma Drummondi, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 299) arcte cognata apparet plantæ mecum e vicinia sinus regis Georgii communicatæ, quæ ab Astrolomate Baxteri jam ob corollam intus basi quinquebarbatam dignosci potest. De hac, quæ sequuntur, notavi: Bracteolæ orbiculares, muticæ, $1\frac{1}{2}$‴ metientes, virentes (nec pallescentes nec erubescentes) extus puberulæ, margine fuscescentes. Bracteæ 4–6; imæ minutæ. Sepala oblongo-lanceolata, 3‴ longa, acuta, mutica. Corolla intense rubra, circiter 7‴ longa, latiuscule cylindrica, basi sensim attenuata; lobi diu erecti, semilanceolati, intus dense barbati, tubo duplo breviores, æstivatione valvati; tubus intus laxe lanuginoso-villosus. Filamentorum apex breviter liber, latiuscule planus, ovato-lanceolatus. Antheræ supra basim affixæ, ad tubi corollæ apicem sitæ, basi obtusæ, aperiendo apice breviter bidentulæ, fere 1‴ longæ. Stigma hemisphæricum, peltatum, lenissime quinquesulcatum. Barbæ quinque ante corollæ basim haud e squamis deorsum liberis oriuntur.

Styphelia pallida (Br. Pr. 536, Astroloma pallidum, Br. Pr. 538) accepta a promontorio Cape Naturalist, monte Clarencii, loco Kalgan. Color corollæ pallidus, extus flavidus.

Styphelia macrocalyx (Astroloma macrocalyx, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 301) attinet prope urbem Fremantle altitudinem 2–3′. Drupa pentagono-ovata.

Styphelia platyphylla (Astroloma latifolium, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 302) occurrit in collectione Drummondii sub numero 149. Folia ad semipollicem usque lata. Corolla quoque mihi ignota.

Styphelia microcalyx (Astroloma microcalyx, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 298) mihi prompta erat e collectione tam Drummondi quam Preissi. Huic stirpi valde approximant Astroloma longiflorum, A. glaucescens, A foliosum, Sond. l.c.

Styphelia humifusa (Br. Pr. in nota generali 536; Astroloma humifusum, Br. Pr. 538; Ventenatia humifusa, Cav. Icon. iv. 28,

t. 348; Astroloma pallidum, Sond. in Linnæa xxv. 249) extendit a tractu Flinders's Range usque ad Kangaroo-Island, Tasmaniam et saltem montes Buffalo-Range. Fruticulus passim erectus et paucipedalis. Fructus pericarpium e viridi nigrescens.

Styphelia Epacridis (Leucopogon Epacridis, Cand. Prodr. vii. 754; Astroloma divaricatum, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 299) a flumine Blackwood's River, sinubus Bremer- Doubtful- et South-West Bay, nec non a statione Kalgan mihi nota.

Styphelia compacta (Br. Pr. 536, Astroloma compactum, Br. Pr. 538) de territorio continentis austro-occidentali abundat.

Styphelia xerophylla (Stomarrhena xerophylla, Cand. Pr. v. 738; Astroloma xerophyllum, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 301) extendit fluvio Murchisonii tenus. Corolla extus flavescens.

Styphelia Candolleana.

Astroloma Candolleanum, Sond. in Lehm. Plant. Preiss. i. 302; Stomarrhena serratifolia, Cand. Prodr. vii. 738.

Erecta, ramulis puberulis, *foliis rhombeo-ovatis v. ovato-cordatis v. lanceolato-ovatis vel omnino cordatis concurvis mucronato-acutis* margine serrulato-denticulatis subtus prominule nervosis, pedunculis tenuibus minutim pluribracteatis unifloris axillaribus bracteolas orbiculatas mucronulatas longitudine æquantibus v. brevissimis, sepalis bracteolas bis terve superantibus lanceolatis glabris mucronulatis tubum corollæ fere æquantibus, *corollæ* latiuscule cylindricæ *intense coccineæ fauce dense barbata, lobis acutissimis* intus modice vestitis, tubo ante basim serie densa barbularum continua prædito, apice libero filamentorum perbrevi latoque, stylo longiusculo glabro, disco indiviso.

In Australia occidentali.

Folia 3–5‴ longa, brevissime lateque petiolata, fere concoloria; nervi tres dorsales mediani paralleli, ceteri flabellate divergentes. Pedunculi usque ad 2‴ longi. Bracteolæ circiter lineam metientes, bracteis conspicue majores. Sepala trilinearia v. paulo longiora, tenui-pergamea. Corollæ laciniæ tubo fere ter breviores, subulato-acutæ. Antheræ 1‴ longæ, post dehiscentiam utraque extremitate breviter bilobatæ. Germen glabrum. Drupa me nondum visa.

Styphelia rotata (Br. Pr. sec. notam generalem 536; Melichrus rotatus, Br. Pr. 539) mihi nota est e vicinia urbis Newcastle Leichhardtio reperta et e Nova Anglia prope Tenterfield. Hæc species et ea quæ sequitur non generice differunt ab aliis Stypheliis nisi copia glandularum, quæ infra staminum insertionem tubo corollæ insident.

Styphelia urceolata (Br. Pr. 536; Melichrus urceolatus, Br. Pr. 539) provenit a montibus Grampians usque ad Novam Angliam, ad flumina Lachlan's River, Bogan et Burnett's River. In tractu Darling's Downs invenit plantam F. Lau. Ad hanc speciem for-

tasse revocandi sunt Melichrus medius (Cunn. in Field's N. S. Wales, 314) et M. erubescens (Cunn. in Cand. Pr. v. 740). Fruticulus 1–3′. Corolla dilute flavida. Glaucedo foliorum sæpe perfecta.

Styphelia Cunninghami (Melichrus adpressus, A. Cunn. in Cand. Pr. vii. 740) si in planta nobili ad flumen Hastingii a Becklero et in quodam loco terræ Queensland Hillio detecta veram recognosco, multo validior est quam species antecedentes, potius Richeam in mentem vocat. Planta quoque me tantum statu deflorato visa.

Styphelia geissoloma.

Brachyloma concolor, F. M. coll.; Stenanthera brachyloma, F. M. Fr. iv. 99.

Ramulis pilosulis, *foliis oblongo-lanceolatis concoloribus leviter concurvis* mucronulatis margine scabridis subter subtilissime nervatis, pedunculis axillaribus unifloris calyce brevioribus minutim pluribracteatis, sepalis ovatis glabris bracteolas rotundas duplo superantibus corollam vix semiæquantibus muticis, *corollæ roseæ parvæ cylindraceo-campanulatæ lobis ovali-oblongis glabris æstivatione imbricatis tubo æquilongis, fauce deorsum quinquebarbato,* filamentorum parte libera latiuscule plana perbrevi, antheris emergentibus, stylo breviusculo cum germine glabro, disco hypogyno repande quinquelobo, germine quinqueloculari.

Ad extremitatem occidentalem sinus Great Bight. Mx.

Frutex paucipedalis, valde ramosus. Folia parum patentia, distincte tenuiterque petiolata, utrinque nitidula, $2\frac{1}{2}$–$5'''$ longa, sæpe lineam lata v. paulo latiora, subtus nervis tribus longitudinalibus et aliis margini advergentibus tenuissime striata. Sepala $\frac{3}{4}'''$ circiter longa, erubescentia. Corolla $2'''$ metiens; lobi erecti, margine invicem tegentes et hic pallidiores; tubus inferne intus extusque glaberrimus. Fasciculi pilorum staminibus interjacentes, faucem corollæ occupantes. Filamenta secus totum corollæ tubum adnate decurrentia, apice flavescentia, hic cuneato-ovata et spatio antheræ æquilongo libera. Antheræ introrsæ, luteæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ, ex apice filamenti pendulæ ni oscillantes, explanando ovatæ. Stylus $\frac{2}{3}'''$ longus, pro longitudine crassiusculus. Fructus me nondum visus.

Styphelia lobopogona (Lobopogon ericoides, Schlecht. Linn. xx. 620; Brachyloma ericoides, Sond. in Linnæa xxvi. 247; Stenanthera ericoides, F. M. Fr. iv. 98) antecedenti propinqua. Altera planta arcte ad Stypheliam geissolomam accedens, foliis majoribus discoloribus præcipue distans, occurrit ad plagum Hamden et prope flumen Harvey's River. Drupa 5-loculata, depresso-globosa, putamine valde rugato.

Styphelia brachyloma (Brachyloma Preissii, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 305) e scriptis præclari investigatoris dignoscitur a S. geissoloma laciniis corollæ linearibus, antheris omnino inclusis,

Ad Leucopogonem pluriloculatum proxime accedit, et Lissanthes sectionem attingit.

Styphelia sapida (Br. Pr. 536 ; Lissanthe sapida, Br. Pr. 540) reperta est in montibus cœruleis a L. Atkinson, ad flumen Nepean a W. Woolls. Species omnino rara apparet.

Styphelia strigosa (Sm. New. Holl. 48 ; Lissanthe strigosa, Br. Pr. 540 ; L. subulata, Br. Pr. l. c. ; L. intermedia, Cunn. in Cand. Pr. vii. 742) a flumine Hawkesbury, ubi Woollsio collecta, usque ad sinum Sti Vincenti extendit. Bracteæ 2 minutæ, basales. Bracteolæ a calyce paulo remotæ. Tubus corollæ sepalis et limbi lobis aliquoties longior, intus præter partem inferiorem parce pubescens ; lobi æstivatione scilicet valvati. Antheræ apertæ ovales, $\frac{1}{3}'''$ longæ, ad faucem sitæ, prope medium dorsi affixæ. Filamentorum pars libera pertenuis et perbrevis. Germen velutinellum. Drupa albida v. ochroleuca, depresso-globosa.

Styphelia daphnoides (Sm. New Holl. 48 ; Lissanthe daphnoides, Br. Pr. 541) a sinu Moreton's Bay et tractu New England ad alpes et ad plagam Tattiara progreditur. Huc traho L. Cunninghami, Cand. Pr. vii. 743.

Styphelia ciliata (Br. Pr. 536 ; Lissanthe ciliata, Br. Pr. 541) provenit non solum in Tasmania sed etiam in Australia felice, e. g. ad Portland, Grampians, Creswick. Reperitur etiam varietas pubescens.

Styphelia depressa (Lissanthe depressa, F. M. Fr. i. 36) tantum e montibus Serra Range et Grampians hactenus cognita.

Styphelia virgata (Lab. Nov. Holl. Pl. Specim. i. 46, t. 64 ; Leucopogon virgatus, R. Br. Pr. 543 ; L. glacialis, Lindl. in Mitch. Three Exped. ii.) vergit ab urbe Newcastle et tractu Blue Mountains usque ad flumen Murray's River et sinum St. Vincent's Gulf, per Australiæ felicis regiones steriles vulgata. Adscendit etiam alpes ad altitudinem saltem 5000′. Jam statu sesquipollicari floret. Bracteæ virentes, solitariæ. Bracteolæ cum sepalis fuscescentes. Corolla æstivatione valvata, extus omnino alba v. apice rubescens ; barba tubi ea limbi brevior, ante basim cedens et hinc fere in fasciculos pulvinosve 5 collecta. Antheræ inexpansæ rubræ, cylindrico-oblongæ, inferne latiores, expansione ovatæ et fulvidæ, paulo supra medium insertæ. Filamenta medio tubo affixa, parte libera pertenui. Varietas pubescens occurrit in vertice rupestri montis Sturgeon.

Styphelia Richei (Labill. Nov. Holl. Pl. Specim. i. 44, t. 60 ; Leucopogon Richei, R. Br. Pr. 541 ; F. M. Veget. Chath. Isl. 45 ; Fragm. Phyt. Austr. iv. 123) abunde circumdat oras tam arenosas quam rupestres totius Australiæ extratropicæ, usque in insulam Chathami extendens. Crescit ad altitudinem arboris minoris ullo loco favente. Flores fragrantes, 5- passim 4-meri. Bractea viridi-alba. Bracteolæ roseo-albæ. Sepala alba, petaloidea, membranea, basi erubescentia. Corolla circiter 2‴ longa, extus pure candida ; lobi æstivando valvati, cum faucibus dense albo-barbati ; tubus

inferne glaber et pellucens. Filamenta alba, capillari-filiformia, a faucibus ad tubi basim adnate decurrentia, a fauce sursum brevisculo spatio libera, a tubo facile detrahenda, medio dorsi antheræ fixa, si longitudinem appendicis addas. Antheræ $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longæ, lineari-cylindricæ, primum rubræ, demum fulvescentes, apice in appendicem tenuiorem cylindricam filamento continuam obtusam albam fere cassam ætate recurvam loculis duplo breviorem productæ ; septem satis prominulum. Pollen flavescens. Stylus ruber. Stigma stylo demum crassius. De synonymis et pluribus characteribus vide opera annotata.

Styphelia lanceolata (Smith New Holl. 46 ; Leucopogon lanceolatus, Br. Pr. 541) a parte australi coloniæ Queensland in Australiam felicem et Alpes Australiæ migrat. Forma alpina Leucopogonem affinem repræsentat. Humum scaturiginosum fontanumve præcipue inter rupes graniticas amat. Drupa fere semper coccinea, raro flava. Putamen compressum. In varietate alpestri ad torrentes provenienti reperi folia breviora, spicas paucifloras solitarias. Frutex hinc passim diffusus. Drupa interdum monosperma.

Styphelia australis (Br. Pr. 536 ; Leucopogon australis, Br. Pr. 541 ; F. M. Fragm. v. 123) quidem per totam partem continentis australem dispersa sed nullibi revera vulgata est, nec magis nomine specifico digna est quam multæ aliæ congeneres. Locos diligit turfosas humidas, nec unquam tractus salinos approximat. Frutex 8′ vel humilior.

Styphelia verticillata (Br. Pr. 536 ; Leucopogon verticillatus, Br. Pr. 541 ; F. M. Fr. iv. 123) habet folia passim semipedem longa et pollicem lata. Species restricta est ad regiones austro-occidentales continentis. Clivos petræos sæpe inhabitat. Apex sepalorum nonnunquam barbellatus. Æstivatio corollæ scilicet valvaris. Antheræ mox leviter arcuatæ, pertenues, fere 1‴ longæ, apice etiam breviter cassæ.

Styphelia Oxycedrus (Lab. N. Holl. Pl. Sp. i. 49, t. 69 ; Cyathodes Oxycedrus, Br. Pr. 540 ; C. acerosa, Br. l. c.; F. M. Veg. Chath. Isl. 42) est una ex paucis Epacrideis Australianis, quæ simul in Neo-Zealandia occurrunt.

Styphelia dealbata (Br. Pr. 536 ; Cyathodes dealbata, Br. Pr. 539) nondum extra Tasmaniam alpinam reperta fuit.

Styphelia abietina (Lab. N. Holl. Pl. Sp. i. 48, t. 68 ; Cyathodes abietina, Br. Pr. 540) viget ad Southport albique in Tasmania litorali.

Styphelia Billardierii (Cyathodes glauca, Lab. l. c. 57, t. 81) mihi e sinu Recherche Bay allata, jam transit ad Acrotrichem propter corollæ limbum barbatum ; vergit etiam ad Trochocarpum ob putamen sæpe 10-loculatum.

Styphelia straminea (Br. Pr. 536 ; Cyathodes straminea, Br. Pr. 539) æqualiter ad Tasmaniam restricta est, ubi in montibus Western Mountains altitudine 3–4000′ obvenit.

Styphelia Hookeri (Cyathodes adscendens, J. Hook. Fl. Tasm. i. t. lxxiv.), antecedentis comes, æquo jure Leucopogoni et Cyathodi adnumerabis.

Styphelia serrulata (Lab. Nov. Holl. Pl. Sp. i. 45, t. 62 ; Acrotriche serrulata, Br. Pr. 547 ; A. prostrata, F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. ; A. affinis, Cand. Pr. vii. 757) vergit a flumine Hunter's River usque ad sinum Spencer's Gulf, in alpes adscendens. Fruticulus semper humilis, debilis, sæpe depressus. Capitula axillaria et lateralia. Sepala 1‴ longa, ovalia, imbricata. Corolla viridis, 3‴ longa ; tubus lobis fere ter longior, leniter turgens, glaberrimus, transparens ; lobi æstivatione valvares ; barbæ deflexæ, albæ, pollen colligentes ; faux contracta, squamulis 5 semiorbiculatis albobarbellatis clausa ; hæ squamulæ lobis corollæ oppositæ. Filamenta fauci inter squamulas inserta, haud manifeste secus tubum decurrentia. Antheræ tantum $\frac{1}{4}$‴ longæ, dorsifixæ, ætate fuscæ, explanatione fere orbiculares. Filamentorum pars libera vix $\frac{1}{2}$‴ longa, inferne pilosula. Drupa albida. Discus medio tenus 5-lobus. Germen tenuissime velutinum. Huic plantæ comparanda A. Manglesii (Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 326).

Styphelia ramiflora (Br. Pr. 536 ; Acrotriche ramiflora, 547) crescit in vallibus ad montem Mount Lofty, si in hac planta veram speciem Brownii recognoscimus. Tunc, ut optime demonstravit præcl. Sonder, huc pertinet Froebelia fasciculiflora (Regel Gartenfl. 1852, t. xviii.). Rami validi, diffusi. Spicæ numerosæ, $\frac{1}{2}$–2″ longæ, in massam amplam circum caulis basim condensatæ, quo miro crescendi modo stirps ab ulla alia indigena discrepat. Flores suaveolentes. Sepala rosea, fere 3‴ longa, naviculari-lanceolata. Corolla 4–5‴ longa, transparens, rosea ; tubus medium versus hyalinus. Drupæ erubescentes. Melligo suavis limpidus corollarum tubum semiexplet.

Styphelia patula (Br. Pr. 536 ; Acrotriche patula, Br. Br. 547) provenit ad sinus Spencer's Gulf (Warburton) et St. Vincent's Gulf. Frutex elatus.

Styphelia cordata (Labill. Nov. Holl. Pl. Spec. i. 46, t. 63 ; Acrotriche cordata, Br. Pr. 548 ; A. ovalifolia, Br. l. c.) extendit a promontorio Cape Nelson (Allitt) sparsim secus litus marinum usque ad oras Australiæ occidentales. A litore remotam vidi plantam in montibus Bugle-Range.

Styphelia depressa (Br. Pr. 536 ; Acrotriche depressa, Br. Pr. 548) mihi nota est a Stawelltown, Murray-River, Gawler-River, Kangaroo-Island.

Styphelia divaricata (Br. Pr. 536 ; Acrotriche divaricata, Br. Pr. 547) rarior est in Neo-Cambria. Corolla viridi gaudet.

Styphelia aggregata (Br. Pr. 536 ; Acrotriche aggregata (Br. Pr. 547) sistit fruticem altiorem ad flumen Brisbanii et in Insula Moretonii. Drupa coccinea, depresso-globosa.

Styphelia amplexicaulis (Rudge in Transact. Linn. Soc. viii. 292,

t. 8 ; Leucopogon amplexicaulis, Br. Pr. 543) mecum communicata est solummodo e vicinia portus Jacksonii.

Styphelia rotundifolia (Br. Pr. 536 ; Leucopogon rotundifolius, Br. Pr. 546 ; L. cordifolius, Lindl. in Mitch. Three Exped. ii. 122) extendit per vastum deserti tractum a fluminibus Lachlan's et Murray's River usque in viciniam sinus squalorum. Corollæ tubus calycem æquans. Pedunculi 1–4-flori.

Styphelia microphylla (Br. Pr. 536 ; Leucopogon microphyllus, Br. Pr. 544) cognita est a sinu Botany Bay, montibus Blue Mountains, silvis Illawarra. Forma sepalorum singularis.

Styphelia setigera (Leucopogon setiger, Br. Pr. 545 ; L. biflorus, Br. Pr. 545) provenit secundum præclarum Woolls a Parramatta sparsim usque in tractum Blue Mountains.

Styphelia ericoides (Sm. New Holl. 48 ; Leucopogon ericoides, Br. Pr. 543) occurrit a vicinia montis Gambier usque ad sinum Moreton's Bay ; adscendit quoque in regiones glaciales. Varietas est St. trichocarpa (Labill. N. Holl. Spec. i. 47, t. 66 ; Leucopogon trichocarpus, Br. Pr. 543). Frutex 2–5′. Antheræ lineari-cylindricæ, $\frac{1}{2}$‴ longæ, apicifixæ, exappendiculatæ. Filamentorum pars libera perbrevis et tenuissima. Discus nunc deltoideo-quinquedentatus, nunc obtuse crenulatus. Stylus vix 1‴ longus.

Styphelia collina (Lab. N. Holl. Pl. Spec. i. 47, t. 65) nascitur a sinu Portland-Bay et a montibus Grampians usque ad montem Imlay intra confinia Neo-Cambriæ, unde plantam amicus L. Morton attulit. In summis alpibus Australiæ et Tasmaniæ cæspitula pulchella tantum sesquipollicem alta nihilominus abunde florentia efformat. Huc L. ciliatum (A. Cunn. in Cand. Pr. vii. 746) trahi. Varietem undique pubescentem legi in montibus Victoria-Range. In forma alpina passim videbis flores solitarios, et sæpe folia et flores minora, caulem depressum.

Styphelia mutica (Br. Pr. 536 ; Leucopogon muticus, Br. Pr. 543) me accepta est a montibus Blue Mountains, flumine Nepean aliisque locis Novæ Cambriæ.

Styphelia montana (Br. Pr. 536 ; Lissanthe montana, Br. Pr. 540 ; Leucopogon obtusatus, J. Hook. in Lond. Journ. of Bot. vi. 269 ; L. Hookeri, Sond. in Linnæa xxvi. 248 ; J. Hook. Fl. Tasm. t. lxxii.) semper regiones alpinas v. saltem alpestres indicat. Ita provenit copiosissime per omnes alpes Australiæ et Tasmaniæ, iterumque apparet in monte Ben Lomond Novæ Angliæ sec. Beckler, et ad fontes fluvii Hasting's River sec. Moore et Carron. Frutex altior. Drupa læte rubra, 5-loculata. Semina ellipsoideo-ovata, $\frac{2}{3}$‴ longa, ex apice loculi pendentia. Raphe longitudinalis. Testa membranea, fuscescens. Albumen copiosum. Embryo cylindricus, albumen longitudine semiæquans. Tubus corollæ nunc exsertus, lobis duplo longior, nunc omnino inclusus et lobis vix longior ; faux cum lobis barbata v. omnino glabra. Antheræ angusto-ellipsoideæ, prope apicem affixæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$ lineares. Stylus $\frac{1}{2}$–1‴ longus. Discus

annularis integer. Nervi foliorum passim indumento persubtili occulti. Rachis florum interdum pollicaris. In varietate vallina reperi folia longiora, tenuiora, subtilissime nervosa (nervo medio indistincto) spicas folia superantes remotiuscule plurifloras. Descendit in valles fluminum Wentworth et Mitta Mitta. Corolla in summis alpium cacuminibus tantum $1\frac{1}{2}'''$ longa, exacte campanulata. Filamentorum pars libera perangusta, brevissima.

Styphelia Macræi (Leucopogon Macræi, F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i.) proxime venit S. montanæ, æqualiterque est alpium incola. In monte Baw Baw usque ad 3500′ descendit. Frutex 10′ v. humilior. Drupa læte rubra. Pluribus characteribus Lissanthæ montanæ affinis, foliorum forma potius Lissanthæ Cunninghami propinqua. Petioli tenues, conspicui. Sepala ovata, ciliolata, fere $1'''$ longa. Corollæ campanulari-cylindricæ lobi tubo æquilongi, æstivatione valvati, $1'''$ metientes, supra tenuiter barbati ; tubus glaber. Filamenta secus tubum basi tenus decurrentia, apice breviter libera, tenuia. Antheræ oblongatæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ, prope apicem affixæ. Disci lobi 5, semiorbiculares. Stylus sesquilineam longus.

Styphelia rufa (Leucopogon rufus, Lindl. in Mitch. Three Exped. ii. 178 ; L. astrolomoides, F. M. in Linnæa xxvi. 249) dispersa est super regiones arenosas v. sabuloso-rupestres a sinu Spencer's Gulf usque ad colles Futter's Range. Provenit etiam in insula halmaturorum. Frutex erectus, paucipedalis, adspectu Astrolomatis vel formæ minoris Acrotriches patulæ. Flores solitarii, gemini v. terni. Æstivatio corollæ valvata. Barba limbi in speciminibus ad sinum Sti Vincentii collectis alba, in aliis me ad flumen Ovens repertis saltem ætate rufescens. Bracteæ paucæ. Bracteolæ $1'''$ longæ, fere rotundæ, trientem calycis paulo superantes. Lobi corollæ tubo duplo breviores ; faux pubescens. Filamentorum pars libera setacea, breviuscula. Antheræ oblongo-cylindricæ, $\frac{2}{3}'''$ metientes, prope apicem affixæ. Stylus $2'''$ longus, pubescens. Stigma dilatatum. Disci squamæ connatæ, acuminulatæ, demum secedentes. Germen oblongo-cylindraceum, vertice calloso-annulatum. Drupa ovata v. globoso-ellipsoidea, 3–4‴ longa, callo circulari terminata. Pericarpium mucilaginoso-succulentum, virens. Putamen haud compressum, in specimine nunc examinato dispermum.

Styphelia juniperina (Br. Pr. 536 ; Leucopogon juniperinus, Br. Pr. 546) per Australiam orientalem dispersa est. Conf. Fragm. Phyt. Austr. iv. 105. Leucopogon Fraseri (All. Cunn. in Annal. Nat. Hist. ii. 47) humilitate quidem insignis, sed vix ullo charactere ponderoso distat. Flores suaveolentes. Corolla alba, pellucens. Drupa aurantiaca. Plures species tropico-orientales in Museo Melbournensi servatæ illis in prodromo Brownii breviter indicatis sunt adducendæ.

Styphelia tenuifolia (Lindl. Bot. Reg. xxv. App. 25 ; S. elegans, Sond. in Lehm. Pl. Pr. i. 296 ; Soleniscia elegans, Cand. Pr. vii.

738) est tantum Australiæ occidentalis extratropicæ incola. Corolla pallida caret barbulis basalibus.

Styphelia Hainesii (F. M. Fr. iv. 96) ex Australia occidentali amœnissimis speciebus austro-orientalibus typicis, i. e. S. longifoliæ Br., S. lætæ Br., S. latifoliæ Br., S. viridifloræ Andr., S. trifloræ Andr., S. tubifloræ Sm., denuo circumscribendis jam propter corollam elongatam accedit ; sed brevitas sepalorum, si longitudinem corollæ comparamus, manet exceptionalis.

Styphelia Bossiæa.

Læucopogon Bossiæa, F. M. coll.

Ramulis glabris, *foliis gracile petiolatis orbiculari-cordatis planis* glabris fere concoloribus muticis, spicis axillaribus terminalibusque conferte paucifloris, bracteolis sepala ovata mutica vix semiæquantibus bracteam fere dimidio superantibus, corolla parva calycem semisuperante, laciniis dense albo-barbatis tubo æquilongis, antheris medio dorsi affixis, stylo perbrevi, disco repandulo, germine quadriloculato.

In rupibus graniticis ad sinum Great Bight. Mx.

Frutex circiter 3′. Folia $1\frac{1}{2}$–2″ metientia, petiolo sæpe semilineari prædita, supra lævia, subtus nervis 3–5 longitudinalibus et pluribus lateraliter divergentibus notata. Pedunculi spicarum perbreves, puberuli, basi pluribracteati. Bractea hypocalycina $\frac{1}{3}$‴ metiens, cordiformis. Bracteolæ orbiculari-rhombeæ. Sepala fere ovata, vix 1‴ longa, glabra, lineolata. Corolla pæne 2‴ longa, lobis anguste semilanceolatis, tubo æquilongis, supra dense albo-barbatis ; tubus inferne glaber. Filamentorum pars libera brevissima et pertenuis ; pars adnata secus tubum decurrens. Antheræ in tenui lanugine faucis nidulantes, oblongo-cylindricæ. Germen glabrum. Stigma minutum. Fructus ignotus.

Styphelia grandiuscula.

Leucopogon grandiusculus, F. M. coll.

Elatior, ramulis angulatis mox glabris, *foliis linearibus acutis margine revolutis supra scabris* subtus subtiliter pubescentibus, spicis terminalibus et infra-terminalibus paucifloris confertis, *bracteolis ovato-cymbeis acutis carinatis calyce vix semisuperatis quocum grandiusculis*, bractea majuscula semilanceolato-ovata acuminata, corollæ lobis tubo conspicue longioribus supra perdense albo-barbatis, antheris medifixis, stylo brevissimo, squamis hypogynis rotundatis, germine glabro depresso-globoso quinqueloculari.

In parte austro-occidentali continentis. J. Drummond. 306.

Folia breviter lateque petiolata. Folia 4–8‴ longa, revolventibus marginibus vix 1‴ lata, supra subtiliter quidem sed dense asperulata. Rachis spicarum velutina. Bracteæ 1–$1\frac{1}{2}$‴ longæ, solitariæ, striolatæ.

Bracteolæ fere bilineares v. paulo longiores, insigniter seminaviculares, ciliatæ. Sepala rigidula, semilanceolata, acuminata, inferne conspicius ciliaria. Corolla 3–4‴ longa ; lobi ante explicationem valvatim conjuncti et tunc extus amœne rubri, tubo intus glabro bis terve longiores. Antheræ lineam longæ, tenuiter et curvule cylindraceæ, scilicet glabræ, exappendiculatæ, basin versus crassiores. Filamentorum pars libera subularis, vix lineam longa, infra faucem inserta. Fructum non accepi.

In hac planta fortasse vidimus verum Leucopogonem rubicaulem Brownio nimis breviter definitum. Inter species Leucopogonis typicas dimensione florum grandiuscula locum conspicuum occupat.

Styphelia blepharolepis.

Leucopogon blepharolepis, F. M. coll.

Ramulis cano-velutinellis dense foliosis, *foliis oblongo-lanceolatis mucronulatis planis concoloribus* vix petiolatis subtilissime nervatis, pedunculis cymuloso-paucifloris, *sepalis minutis* ovatis ciliolatis bracteolas minutissimas superantibus tubo corollæ parvæ conspicue brevioribus, corollæ limbo fauceque albo-barbatis, tubo inferne intus glabro, antheris perminutis in fauce nidulantibus apicifixis explanatione ovalibus, stylo tenuissime capillari, *squamis hypogynis ovalibus ciliatis*, germine glabro ellipsoideo-cylindraceo biloculato.

In Australia occidentali sinum Great Bight versus. Mx.

Frutex erectus, pluripedalis. Folia parum patentia, 4–5‴ longa, 1–1 $\frac{1}{3}$‴ lata, margine vix scabriuscula, striis paucis dorsalibus parallelis et aliis lateraliter divergentibus subtiliter notata. Pedunculi velutinelli, breves. Bractea bracteolis similis. Sepala $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ longa. Corolla 2‴ longa ; tubus limbo æquilongus, turgidulus. Antheræ mox fulvæ, $\frac{1}{4}$‴ longæ. Stylus longiusculus, fragillimus. Fructus nondum repertus.

Discedit a Leucopogone lissanthoide foliis longioribus acutioribus haud tenui-petiolatis, pedunculis sæpe plurifloris v. saltem paucifloris, calycibus adhuc majoribus, indumento corollæ ad faucem densiore basim versus absente, antheris minus profunde corollæ insertis filamento haud paulo infra medium dorsi affixis. Monotocas quoque in memoriam vocat.

Styphelia opponens.

Leucopogon opponens, F. M. coll.

Ramulis gracilibus parum pubescentibus, *foliis omnibus oppositis distincte petiolatis linearibus obtusis margine turgenti-recurvo subtus bisulcatis*, spicis brevibus pauci- v. plurifloris in apice ramulorum confertis, bracteolis ovato-rhombeis cymbeis acutiusculis bracteam pæne conformem fere semisuperantibus dimidium calycis

vix æquantibus, sepalis oblongo-lanceolatis tubo corollæ parvæ æquilongis, lobis corollæ tubo paulo longioribus supra cum fauce dense albo-barbatis, antheris fauce nidulantibus cylindrico-oblongis medio dorso fixis, filamentorum parte libera brevi pertenui, stylo brevissimo, squamis hypogynis quadrato-ovatis minutis secedentibus, *drupa ovata minuta biloculata ad basim brevissime stipitatam truncatula.*

In clivis arenosis flumini Phillip's River vicinis. Mx.

Fruticulus ulnaris. Folia erecta, iis Pleurandræ strictæ æmula, 3–4‴ longa, circiter $\frac{2}{3}$‴ lata. Sepala $1\frac{1}{2}$‴ longa v. paulo longiora. Corolla vix trilinearis. Antheræ circa $\frac{1}{3}$‴ longæ. Drupa tantum statu adhuc immaturato visa.

Species confundi nequit cum Leucopogone oppositifolio, cui positione foliorum et germine sæpe ni constanter bigemmulato consona. Nam hujus folia margine non turgescunt; porre bracteolæ sunt canaliculari-lineares; antheræ inexpansæ obverse filiformi-subulatæ, $\frac{2}{3}$‴ longæ, infra apicem filamento junctæ, apice etiam acutæ et simul pallescentes. Drummond hanc plantam sub 329 distribuit.

Styphelia semiopposita.

Leucopogon semioppositus, F. M. coll.

Ramulis glabris, *foliis parvis sessilibus ovatis plerisque oppositis*, floralibus bracteas referentibus alternis, omnibus planiusculis concoloribus subtus fere parallele plurisulculatis, spicis terminalibus pauci- v. plurifloris, *bracteolis trientem calycis æquantibus bractea foliacea superatis*, sepalis oblongo-lanceolatis, corollæ parvæ lobis fauceque dense albo-barbatis, antheris oblongo-cylindricis dorso medifixis, stylo brevissimo, squamis hypogynis quadrato-ovatis liberis, *drupa ellipsoidea calycem vix superante biloculata* brevissime stipitata 1–2-sperma.

In Australia occidentali. Drummond (38).

Folia tantum 1–2‴ longa, crassiuscula, glabra, patula. Inflorescentia transitum ab axillari ad spicatam monstrat.

Planta, cujus veram rationem ad L. oppositifolium et L. opponentem investigare oportet, situ foliorum catenam affinitatis ad Needhamiam Pumilionem complet. In hac ultima observavi bracteolas naviculari-lineares ciliatas 1‴ longas, sepala tenerrime membranea subulato-linearia ciliata, corollam albidam erubescentem 2‴ longam membraneam, tubum limbo expanso semilongiorem, limbum tantummodo medio tenus 5-fidum, lobos hujus ante explicationem (ut Brownius luculenter annotuit) plicatos, apicem acutum et sæpe longiusculum tunc infractum lacinulam petalorum umbelliferarum mentientem, lobos expansos deltoideos tenerrimos secus medium cum fauce parce pilosulos, antheras ellipsoideas $\frac{1}{6}$‴ circiter longas, supra basim corollæ insertas dorsifixas basi brevissime bilobatas, filamenta

stylumque brevissima. Bractea nulla adest, sed folium florale ejus locum occupat. Planta regionibus Australiæ occidentalis propria.

Styphelia.

Banks & Soland. coll. ; Smith Specim. Bot. New Holl. 1793.—Epacris, Linne sec. Spreng. Syst. Veg. i. 660—Epacris, Murray Syst. Vegetab.—Epacris, R. & G. Forst. Charact, Gener. 1776 partim (Cyathodes et Dracophyllum) —Epacris, G. Forst. Florul. Insul. Austr. Prodrom. 1786 partim (Leucopogon, Cyathodes, Pentachondra)—Ardisia. Gærtn. de Fruct. et Seminib. 1791 (Cyathodes), non Swartz Pr. 1788—Ventenatia, Cavan. Icon. 1797 (Astroloma, Melichrus)—Perojoa, Cavan. Icon. 1797 (Leucopogon)—Epacris, Cavan. Icon. 1797 pro parte (Leucopogon et Epacris)—Styphelia, Venten. Malm. 1803 (Leucopogon)—Styphelia, Labill. Nov. Holl. Pl. Spec. 1804 (Leucopogon)—Cyathodes, Labill. N. H. Pl. Sp. 1804 ex parte (Cyathodes et Decaspora)—Ardisia, Gærtn. fil. Suppl. de Fr. et Sem. 1807 (Astroloma)—Styphelia, Br. Pr. 1810 partim (Styphelia, Astroloma, Stenanthera, Melichrus, Cyathodes, Lissanthe, Leucopogon, Monotoca, Acrotriche, Trochocarpa, Decaspora, Pentachondra)—Styphelia, Spreng. Syst. Veg. 1828 partim (Styphelia, Leucopogon, Astroloma, Cyathodis sp., Pentachondra, Acrotriche, Stenanthera)—Lissanthe, Spreng. Syst. Veg. 1828 (Lissanthe, Cyathodis sp.)—Trochocarpa Spr. Syst. Veg. 1828 partim (Cyathodis sp., Decaspora, Trochocarpa)—Soleniscia, Cand. Prodr. 1839 (Styphelia)—Stomarrhena, Cand. Prodr. 1839 (Astroloma)—Brachyloma, Sond. in Lehm. Pl. Pr. 1844—Androstoma, J. Hook. Fl. Antarct. 1844 (Cyathodes)—Pentataphrus, Schlechtend. Linnæa 1847 (Stenanthera)—Lobopogon, Schl. Linnæa 1847 (Astroloma)—Frœbelia, Regel Gartenfl. 1851 (Acrotriche).

Sepala normaliter 5, margine imbricata, persistentia. Corolla hypogyna, tubulosa v. campanulata v. infundibularis, normaliter altius dimissiusve quinqueloba, decidua, rarissime persistens ; lobi æquales, acuti, ante anthesin valvato-cohærentes, rarissime leniter imbricati. Stamina normaliter quinque, sepalis opposita, lobis corollæ alterna, tubo ejusdem adnata, superne libera. Antheræ uniloculares, varie dorsifixæ, antice longitudinaliter dehiscentes. Pollinis granula simplicia, lævia. Stylus indivisus. Stigma simplex, minutum. Discus hypogynus annularis v. 5-lobatus v. in squamas 5 liberas divisus. Germen 2–10-loculatum, loculis unigemmulatis. Drupæ putamen integrum, 2–10-loculatum. Semina in loculis solitaria, pendula, albuminosa, recta, rarissime arcuata. Testa tenerrime membranea, lævis. Embryo cylindricus, axilis, rectus ; cotyledones brevissimæ, indistinctæ. Radicula supera.

Frutices v. fruticuli rarissime in arborum magnitudinem increscentes, semperviridis, in Australia extratropica numero specierum copiosi, in Australia orientali tropica, Nova Zeelandia, Neo-Caledonia multo rariores, in insulis Chathamicis et antarcticis, Borneo, Java, Sumatra, nec non in peninsula Malayana, in Africa occidentali tropica, in insulis Sandwichianis aliisque oceani pacifici parcissimo numero occurrentes, in Australia boreali-occidentali sicut centrali nondum reperti, in alpibus Novæ Guineæ procul dubio reperiendi, in utraque America etiam antarctica exsules,

foliis sparsis v. confertis perraro omnibus oppositis v. partim verticillari-approximatis ad laminæ v. petioli basim cum ramulo articulatis exstipulatis edentulis raro breviter nunquam profunde dentatis, nec unquam textura teneris, floribus solitariis v. geminis v. paucis confertis v. spicatis rarissime racemosis, bracteis solitariis v. imbricatis raro nullis, bracteolis duabus persistentibus fere semper hypocalycinis rarissime remotis, corollis extus glabris v. raro casu pubescentibus, intus sæpe sed varie et nonnumquam definite barbatis passimque 5-squamatis, albis v. vario gradu rubris v. extus flavescentibus v. fulvescentibus, passim undique intense flavis vel pure viridibus v. colore ex antecedentibus mixto tinctis, neque intense fuscis nec cyaneis nec atramentariis, interdum ornatissimis, limbi lobis nunquam sursum dilatatis, drupis succosis v. exsuccis nunquam magnis, seminibus ovato- v. cylindrico-ellipsoideis, embryone quam albumen aliquoties breviore v. ejusdem dimidium excedente, si brevi ad partem affixam seminis sito.

Genus Stypheliæ multiforme phytographis Australiæ vetustioribus ni jam Linneo filio nuncupatum et stabilitum, rationibus pridem Brownio indicatis, sed Sprengelio imperfecte et haud feliciter adhibitis, nunc magna ex parte restituo. Notæ enim pro generibus prodromi separandis olim selectæ jam initio sæculi fallaces apparebant, et incremento specierum duplice v. triplice magis magisque incertæ evadebant, ita ut limites priores generum diutius tenere nequeamus. Separo autem a cyclo formarum, quas prodromi scriptor illustris indicando concatenabat, Monotocam propter germen (quantum scio) semper unigemmulatum igitur non septatum, Trochocarpam, Decasporam et Pentachondram ob putamen in pyrenas solutum v. saltim solvendum. Conostephium et Michieam, Brownio, uti apparet, in patria harum stirpium non observata, adhuc dignitate generum retineo, illud propter antheras post anthesim fere ac in Cystanthe procera semibifidas et corollam ei Richearum pæne conformem ; Michieam vero ob cohæsionem antherarum fere quam in Sprengelia incarnata sed permanentem. Plurium specierum characteribus per viginti annos in libera natura me ipso perpensis novam circumscriptionem generis hinc tradere licebis.

Genus Styphelia species ultra centum bene discriminandas comprehendit, illis igitur paucis adponendum, quæ in terra australi numero specierum ingente superbiunt (videlicet Acacia, Eucalyptus, Melaleuca, Grevillea, Eriostemon, Aster, Cyperus, Panicum, Goodenia, Boronia, Stylidium, Helichrysum, Hibbertia, Agaricus).

Stypheliæ nostro regno plantarum eandem faciem pulchram passim lætissimam imprimunt, quam Ericæ vegetationi Austro-Africanæ, eremum copiose intrant, glaciemque alpium aliquot speciebus adscendunt. Habitus quarumdam ab illo Epacridis, Decasporæ, Pentachondræ, Michieæ, Conostephii non discedit. Tunc iterum transitus claros proveniunt inter species ab una ad ceteras

sectiones, generibus Brownii repræsentatas. Ita Leucopogon rubicundus et Cyathodes rubicundus corollis tubulosis amœne rubris ad Astrolomata vergum ; dum Styphelia melaleucoides et Leucopogon exsertus species Brownio generice separatas connectunt. Divisio germinis in subgeneribus æqualiter vacillat, non minus copia bractearum, situs barbulorum v. squamarum barbigerentium staminibus alternantium; porre natura et extensio indumenti interioris loborum, quod e. c. ut jam pridem docebam (Veg. of the Chatham Isl. 43) in Lissanthe montana et in Cyathode oxycedro tam occurrit quam deficit. Æqualiter fluctuationibus generalibus subjectæ sunt inflorescentia (præprimis in Leucopogonum serie), disci integritas v. divisio, aliquotenus etiam dilatatio et tenuitas partis liberæ filamentorum ; hisce ultimis rationibus characteres specificales, vix sectionales, nunquam generales construere possumus. Astroloma Baxteri et quædam Leucopogonis species L. crassifolio proxima alio latere et Stenanthera conostephoides altero latere limites Conostephii pæne destruunt. Leucopogon rufus transitum præbet iterum ad Astrolomata. Ita calyces et bracteolæ Astrolomatis microcalycis sunt vix iis Leucopogonis grandiusculi majores. Germinis divisionem pro distinctione specifica meliorem et magis momentosam reperies, quam putaminis loculos non raro casu cassos et passim omnino evanidos. Una ex optimis distinctionibus sectionalibus derivanda est e planitudine latiore partis filamenti liberæ, quæ nota sepalis elongatis sæpe comitatur, contra angustiam sive tenuitatem hujus organi. Discriminatio autem nec absoluta nec positiva. Pollinis granula sphærica v. tetrahedro-sphærica, lævia, separata—testato Brownio—in omnibus speciebus drupaceis obvia, me etiam in Conostephio et Michiea observata. Foliorum textura semper firma, rigidula, crassities autem varia. Folia etiamsi passim valde concurvata et ramulos perfecte ambientia, nunquam in modum Richeæ v. Dracophylli supra basim latam circumvolventem frangunt et annulos altos basales relinquunt. Character specificus e pericarpio sicco cutaneo v. carnulento mucilaginoso sumendus in ipsis sectionibus seu generibus Brownionis vacillat. E serie observationem, me ipso institutarum elucet, catenam affinitatis, qua genera Brownii arctissime junguntur, nullibi ruptam esse.

Formæ Stypheliarum eximiæ v. extremæ. Altitudo arborea in Leucopogone Richei et L. lanceolato, æque ac in Monotoca elliptica passim 30′ ; *perpygmæa*, in Leucopogonis collini var. alpina delicatula, L. Fraseri, L. virgato, Lissanthe ciliata, quarum status sesquipollicaris, ut idem Needhamiæ pumilionis et Pentachondræ pumilæ, jam primo anno abunde floret.

Folia maxima in Leucopogone verticillato, passim semipedis longitudinem attinentia, quam ea Trochocarpa laurinæ grandia, in Leucopogone amplexicauli et Astrolomate latifolio ultra semipollicem lata ; *perminuta* i. e. sæpe tantum lineam longa in Leucopogone gracillimo paucisque aliis, ita iis Pentachondræ pumilæ, Oligarrhenæ

micranthæ, Needhamiæ pumilionis, si formas minores contemplares, non absimilia ; omnia *opposita* in Leucopogone oppositifolio, L. opponente, igitur situm eorum Needhamiæ occupantia ; mixte opposita et sparsa in L. semiopposito, L. tetragono, L. glabello ; mixte sparsa et verticillato-conferta in L. verticillato, L. plumulifloro, Michiea symphyanthera, Cyathode glauca ; distincte *dentata* in paucis Astrolomatibus ; supra divergentim sulcata in Leucopogone distante.

Bracteæ deficientes in Lissanthe ciliata, L. Cunninghami, Leucopogone flavescente (ni in ultima remotæ), majores quam bracteolæ in Leucopogone glabello paucisque aliis.

Bracteolæ remotæ a calyce in Cyathode rubicunda, Lissanthe sapida, L. strigosa, Leucopogne flavescente.

Sepala longissima in Astrolomate macrocalyce (uncialia) ; *brevissima* in Cyathode rubicunda, Androstomate empetrifolio et paucis Leucopogonibus (semilinearia), ideoque iis Oligarrhenæ comparanda ; passim *quatuor* in Leucopogone Richei ; passim *sex* in Lissanthe ciliata et Leucopogone oppositifolio ; bracteolis breviora in Leucopogone polymorpho ; *membranea* petaloidea in L. Richei ; *corollam superantia* in L. plumulifloro ; *lineari-subulata* in L. plumulifloro.

Corolla persistens in Androstomate empetrifolio ; minuta in Leucopogone blepharolepide, L. glabello, L. reflexo, L. plumulifloro, L. multifloro, L. strongylophyllo, L. Australi, Androstomate empetrifolio (i. e. 1–1½‴ metiens), dimensione fere earum Monotocæ scopariæ et M. ellipticæ ; *extus pilosa* in Leucopogone exolasio, *extus partim sericea* in Stenanthera conostephoide, *partim velutina* in Conostephiis ; limbus *extus pubescens* in Astrolomate lasionemate ; latiuscule et *longe tubulosa* in Styphelis Brownii, pluribus Astrolomatibus, Stenantheris, Conostephiis, aliquot Leucopogonis et Cyathodis speciebus ; *brevissime tubulosa* in Melichro rotato, aliquot Leucopogonis speciebus, sicut in Pentachondra involucrata ; passim *sexloba* in Lissanthe Cunninghami, L. ciliata, Leucopogone oppositifolio ; passim *quadriloba* in Leucopogone Richei ; ante anthesim *lobi leniter imbricati* in Lissanthe ciliata et Brachylomate geissolomate ; *intus perfecte barbati* in Styphelis Brownii, plerisque Astrolomatibus, Cyathode glauca, C. straminea, C. adscendente, C. dealbata, Leucopogonibus fere omnibus, Lissanthe montana, hanc ob rem Pentachondra pumila et P. involucrata, Trochocarpa laurina, una alterave Decaspora imitati ; *intus imperfecte barbati* in Acrotrichis, Melichro, Leucopogone verticillato, Cyathode acerosa, L. Allittii, Astrolomate stomarrheno, A. Baxteri, A. lasionemo, Stenanthera conostephoide, S. pinifolia, Styphelia pinifolia, Lobopogone ericoide ; *omnino glabri* in Lissanthe montana et aliis, omnibus Conostephiis, Cyathode acerosa, C. albietina, Brachylomate geissolomo, uti in Monotoca scoparia et M. elliptica ; *lobi obtusiusculi* in Brachylomate geissolomo ; *barbæ e squamis ortæ fauciales*, lobis

corollæ oppositæ in Brachylomate geissolobo, Lobopogone ericoide, Acrotriche serrulata; *basales* in Astrolomate Baxteri simulque deorsum liberæ, concavæ, fere basi saccatæ; *barbæ haud e squamis ortæ* in fere omnibus Styphelіis legitimis (Styphelia tenuifolia excipienda) in plerisque Astrolomatibus (A. discolore et A. longifloro exceptis) Conostephio pendulo (nec ceteris) et forsan Brachylomate Preissii; *barbæ lobis corollæ alternæ* basales in Stenanthera conostephoide; *corolla læte rubra* in pluribus Astrolomatibus, Stenanthera conostephoide, Acrotriche ramiflora, Leucopogone rubicundo, Cyathode rubicunda, Styphelia læte, S. Hainesii, S. tubiflora; *viridis* in Styphelia longifolia, S. viridi, Acrotriche serrulata, A. divaricata; partim *nigrescens* in Conostephiis; *flava* passim in Stenanthera conostephoide; *alba* v. albida in Styphelia tenuifolia, multis Leucopogonis speciebus, aliquot Lissanthis, Astrolomate pallido, Melichro urceolato, tunc extus non raro saltem exsiccatione nisi omnino flavescens; *partim flava partim viridis, partimve rubra* in Styphelia triflora, Stenanthera pinifolia; *tubus interne coacervato-glandulosus* in Melichro.

Filamenta longe libera in Styphelіis Brownii, Leucopogone exserto, Leucopogone exarrheno; brevissime v. *breve libera* in plurimis Astrolomatibus, Cyathodibus, Stenantheris, Leucopogonibus; parte libera *latiuscule plana* in plerisque Astrolomatibus, Styphelia pinifolia, Stenanthera conostephoide, Brachylomate; parte libera pertenuia in fere omnibus Leucopogonis speciebus, Acrotriche, Lissanthe, Cyathode; *lanuginosa* in Astrolomate lasionemo; parte adnata detrahibilia in multis nisi omnibus speciebus, et cursum corollæ usque ad basim sequentia; *passim quatuor* in Leucopogone Richei, *passim sex* in L. oppositifolio et Lissanthe Cunninghami.

Antheræ supra basim fixæ in Astrolomate Drummondi, sæpe medifixæ, non omnino raro apicifixæ, e. g. in Lissanthe ciliata, Cyathode acerosa, Styphelia geissoloma, Leucopogone pleiospermo, L. ericoide, Lissanthe montana, Leucopogone Macræi; *subulatæ* in Leucopogone oppositifolio; *apice attenuato albæ* quasi appendiculatæ in Leucopogone Richei; *oscillantes* in pluribus Styphelіis, perpaucis Leucopogonibus; *basi barbatæ* in Lissanthe ciliata; *obverse sagittato-lineares* in Leucopogone crassifloro, similitudinem earum Conostephii monstrantes; *apice breviter bifidæ* in Astrolomate Baxteri.

Squamæ hypogynæ profunde v. omnino *liberæ* in Leucopogone rotundifolio, L. flavescente, L. lissanthoide, L. opponente, L. exolasio et paucis aliis, Styphelia adscendente (ubi magnæ), aliquot aliis Styphelіis; *semiconnatæ* in Styphelia Hainesii, St. melaleucoide, St. tenuifolia, pluribus speciebus Leucopogonis, aliquot Acrotrichis, Conostephio pendulo, pluribus Cyathodibus, pluribus Lissanthis; *annulari-concretæ* in Astrolomate Baxteri, A. longifloro, A. divaricato, A. Drummondi, A. compacto, A. Stomarrheno, Stenanthera conostephoide, Brachylomate Preissii, Conostephio

minore, Melichro rotato, M. urceolato; *acuminatæ* in Leucopogone oxycedro, L. conostephoide, L. gracili, L. setigero, L. megacarpo, L. racemuloso, L. brevifloro; *obliteratæ* in Leucopogone esquamato, Conostephio planifolio; ciliis cinctæ in Leucopogone cymbiformi.

Germen quinqueloculatum in multis, (ne quidem L. racemuloso excepto, cujus drupa sæpe saltem semilunari-ovalis monosperma) *biloculatum* in Leucopogone lanceolato, L. opponente, L. oppositifolio, L. blepharolepide, Conostephio planifolio, L. gracillimo, L. margarode, et forsan in L. amplexicauli, L. alternifolio, L. microphyllo; *triloculatum* in L. lanceolato, L. deformi, Conostephio planifolio; *sexloculatum* passim in Lissanthe Cunninghami; *septemloculatum* in Leucopogone pluriloculato et in specie Neo-Caledonica; *decemloculatum* in Leucopogone pleiospermo et Cyathode glauca.

Drupa sepalis brevior in Leucopogone apiculato; parvula in pluribus Leucopogonibus ut in Monotoca; majuscula in plerisque Stenantheris, Styphelis, Astrolomatibus, aliquot Leucopogonibus.

Semen arcuatum saltem interdum in Leucopogone racemuloso.

Embryo albumine aliquoties brevior in Astrolomate humifuso; *albumini longitudine semiæqualis* in Androstomate empetrifolio, Lissanthe montana.

Styphelieæ Extra-Australianæ me ipso examinatæ sunt *Styphelia Richei* ex insulis Chathamicis; *Styphelia acerosa* e Neo-Zeelandia et insulis Chathamicis; antheræ supra medium fixæ; septum prominulum. Ab hac Cyathodes robusta (J. Hook. Handb. i. 177) specifice non distat. *Styphelia lanceolata*, si merito huc duco Epacridem fasciculatam (Forst. Pr. 72, Leucopogonem fasciculatum A. Rich. Voy. Astrolab. 215) e Nova Zeelandia, ubi arborescit. *Styphelia montana* (Lissanthe montana Br.), cui forsan pertinet Cyathodes Colensoi (J. Hook. Handbook, i. 177; Leucopogon Colensoi, J. Hook. Fl. N. Zeel. i. 165). De speciminibus mihi ex alpibus circum montem Cookii Julio Haast transmissis et a planta alpino-australiana haud dignoscendis sequentia annotavi: Bracteæ solitariæ, cum bracteolis deltoideo-rhombeæ, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longæ. Sepala circiter $1\frac{1}{3}'''$ metientia, late ovata. Corolla campanularis, $2'''$ longa, alba, vix ad medium 5-fida; lobi cum fauce intus breviter albobarbati. Antheræ, ope apicis filamentorum breviter liberi, juxta corollæ faucem sitæ, $\frac{1}{6}$–$\frac{1}{3}'''$ longæ, varia magnitudine forsan flores indicantes sexualitate una v. altera prævalente, semper prope apicem dorsi affixæ, cylindrico-oblongæ. Discus 5-crenatus. Stylus $1'''$ longus, cum germine glaber. Drupa globosa, quinqueloculata, ruberrima, calycem conspicue superans. Huic, monente J. Hooker, Styphelia Tameiameiæ (Cyathodes Tameiameiæ, Cham. in Linnæa, 1826, 539) simillima.

Styphelia androstoma (Cyathodes empetrifolia, J. Hook. Fl. N. Zeel. i. 164; Androstoma empetrifolium, J. Hook. Fl. Antarctic. i.

corollæ oppositæ in Brachylomate geissolobo, Lobopogone ericoide, Acrotriche serrulata; *basales* in Astrolomate Baxteri simulque deorsum liberæ, concavæ, fere basi saccatæ; *barbæ haud e squamis ortæ* in fere omnibus Stypheliis legitimis (Styphelia tenuifolia excipienda) in plerisque Astrolomatibus (A. discolore et A. longifloro exceptis) Conostephio pendulo (nec ceteris) et forsan Brachylomate Preissii; *barbæ lobis corollæ alternæ* basales in Stenanthera conostephoide; *corolla læte rubra* in pluribus Astrolomatibus, Stenanthera conostephoide, Acrotriche ramiflora, Leucopogone rubicundo, Cyathode rubicunda, Styphelia læte, S. Hainesii, S. tubiflora; *viridis* in Styphelia longifolia, S. viridi, Acrotriche serrulata, A. divaricata; partim *nigrescens* in Conostephiis; *flava* passim in Stenanthera conostephoide; *alba* v. albida in Styphelia tenuifolia, multis Leucopogonis speciebus, aliquot Lissanthis, Astrolomate pallido, Melichro urceolato, tunc extus non raro saltem exsiccatione nisi omnino flavescens; *partim flava partim viridis, partimve rubra* in Styphelia triflora, Stenanthera pinifolia; *tubus interne coacervato-glandulosus* in Melichro.

Filamenta longe libera in Stypheliis Brownii, Leucopogone exserto, Leucopogone exarrheno; brevissime v. *breve libera* in plurimis Astrolomatibus, Cyathodibus, Stenantheris, Leucopogonibus; parte libera *latiuscule plana* in plerisque Astrolomatibus, Styphelia pinifolia, Stenanthera conostephoide, Brachylomate; parte libera pertenuia in fere omnibus Leucopogonis speciebus, Acrotriche, Lissanthe, Cyathode; *lanuginosa* in Astrolomate lasionemo; parte adnata detrahibilia in multis nisi omnibus speciebus, et cursum corollæ usque ad basim sequentia; *passim quatuor* in Leucopogone Richei, *passim sex* in L. oppositifolio et Lissanthe Cunninghami.

Antheræ supra basim fixæ in Astrolomate Drummondi, sæpe medifixæ, non omnino raro apicifixæ, e. g. in Lissanthe ciliata, Cyathode acerosa, Styphelia geissoloma, Leucopogone pleiospermo, L. ericoide, Lissanthe montana, Leucopogone Macræi; *subulatæ* in Leucopogone oppositifolio; *apice attenuato albæ* quasi appendiculatæ in Leucopogone Richei; *oscillantes* in pluribus Stypheliis, perpaucis Leucopogonibus; *basi barbatæ* in Lissanthe ciliata; *obverse sagittato-lineares* in Leucopogone crassifloro, similitudinem earum Conostephii monstrantes; *apice breviter bifidæ* in Astrolomate Baxteri.

Squamæ hypogynæ profunde v. omnino *liberæ* in Leucopogone rotundifolio, L. flavescente, L. lissanthoide, L. opponente, L. exolasio et paucis aliis, Styphelia adscendente (ubi magnæ), aliquot aliis Stypheliis; *semiconnatæ* in Styphelia Hainesii, St. melaleucoide, St. tenuifolia, pluribus speciebus Leucopogonis, aliquot Acrotrichis, Conostephio pendulo, pluribus Cyathodibus, pluribus Lissanthis; *annulari-concretæ* in Astrolomate Baxteri, A. longifloro, A. divaricato, A. Drummondi, A. compacto, A. Stomarrheno, Stenanthera conostephoide, Brachylomate Preissii, Conostephio

minore, Melichro rotato, M. urceolato; *acuminatæ* in Leucopogone oxycedro, L. conostephoide, L. gracili, L. setigero, L. megacarpo, L. racemuloso, L. brevifloro; *obliteratæ* in Leucopogone esquamato, Conostephio planifolio; ciliis cinctæ in Leucopogone cymbiformi.

Germen quinqueloculatum in multis, (ne quidem L. racemuloso excepto, cujus drupa sæpe saltem semilunari-ovalis monosperma) *biloculatum* in Leucopogone lanceolato, L. opponente, L. oppositifolio, L. blepharolepide, Conostephio planifolio, L. gracillimo, L. margarode, et forsan in L. amplexicauli, L. alternifolio, L. microphyllo; *triloculatum* in L. lanceolato, L. deformi, Conostephio planifolio; *sexloculatum* passim in Lissanthe Cunninghami; *septemloculatum* in Leucopogone pluriloculato et in specie Neo-Caledonica; *decemloculatum* in Leucopogone pleiospermo et Cyathode glauca.

Drupa sepalis brevior in Leucopogone apiculato; parvula in pluribus Leucopogonibus ut in Monotoca; majuscula in plerisque Stenantheris, Styphelis, Astrolomatibus, aliquot Leucopogonibus.

Semen arcuatum saltem interdum in Leucopogone racemuloso.

Embryo albumine aliquoties brevior in Astrolomate humifuso; *albumini longitudine semiæqualis* in Androstomate empetrifolio, Lissanthe montana.

Styphelæ Extra-Australianæ me ipso examinatæ sunt *Styphelia Richei* ex insulis Chathamicis; *Styphelia acerosa* e Neo-Zeelandia et insulis Chathamicis; antheræ supra medium fixæ; septum prominulum. Ab hac Cyathodes robusta (J. Hook. Handb. i. 177) specifice non distat. *Styphelia lanceolata*, si merito huc duco Epacridem fasciculatam (Forst. Pr. 72, Leucopogonem fasciculatum A. Rich. Voy. Astrolab. 215) e Nova Zeelandia, ubi arborescit. *Styphelia montana* (Lissanthe montana Br.), cui forsan pertinet Cyathodes Colensoi (J. Hook. Handbook, i. 177; Leucopogon Colensoi, J. Hook. Fl. N. Zeel. i. 165). De speciminibus mihi ex alpibus circum montem Cookii Julio Haast transmissis et a planta alpino-australiana haud dignoscendis sequentia annotavi: Bracteæ solitariæ, cum bracteolis deltoideo-rhombeæ, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longæ. Sepala circiter $1\frac{1}{3}'''$ metientia, late ovata. Corolla campanularis, $2'''$ longa, alba, vix ad medium 5-fida; lobi cum fauce intus breviter albobarbati. Antheræ, ope apicis filamentorum breviter liberi, juxta corollæ faucem sitæ, $\frac{1}{6}$–$\frac{1}{3}'''$ longæ, varia magnitudine forsan flores indicantes sexualitate una v. altera prævalente, semper prope apicem dorsi affixæ, cylindrico-oblongæ. Discus 5-crenatus. Stylus $1'''$ longus, cum germine glaber. Drupa globosa, quinqueloculata, ruberrima, calycem conspicue superans. Huic, monente J. Hooker, Styphelia Tameiameiæ (Cyathodes Tameiameiæ, Cham. in Linnæa, 1826, 539) simillima.

Styphelia androstoma (Cyathodes empetrifolia, J. Hook. Fl. N. Zeel. i. 164; Androstoma empetrifolium, J. Hook. Fl. Antarctic. i.

44, t. 30) mecum benigne communicata est a Doctoribus Hector et Haast. Hæc planta tam in N. Zeelandia quam in insulis Aucklandi et Campbelli viget. Spiculæ passim 4-floræ. Pedunculi imbricato-bracteati. Bracteolæ lanceolato- v. rhombeo-ovatæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ, ciliatæ. Sepala ovato-lanceolata, $\frac{2}{3}'''$ longa, ciliata. Corolla persistens, $1–1\frac{1}{3}'''$ longa ; laciniæ semilanceolatæ, acutæ, $\frac{1}{2}'''$ longæ, glabræ, æstivatione valvatæ. Stamina una cum corolla persistentia, demum breviter e fauce emergentia. Filamentorum pars libera capillaris. Antheræ $\frac{1}{8}'''$ longæ. Discus deltoideo-quinquelobus. Drupa $1\frac{1}{2}–2'''$ longa, ovato-globosa, rostellata, 1–5-sperma. Semina scilicet solitaria, ex apice cavitatis pendentia, ellipsoidea, $\frac{2}{3}'''$ longa. Embryo tenuissime cylindricus, $\frac{1}{3}'''$ longus, propria longitudine multoties tenuior.

Styphelia Fraseri (Leucopogon Fraseri, A. Cunn. in Cand. Pr. vii. 753), quoque in alpibus Neo-Zeelandicis detecta fuit. Hæc, ut jam vidimus, Leucopogoni juniperino nimis consanguinea. Speciem finitimam e regionibus nivalibus insulæ Borneo tantum icone Hookeri cognosco. Simillimus etiam huic Leucopogon Javanicus (Miq. Fl. Ind. Batav.) tantum statu deflorato in mea collectione servatus. Pedunculum reperi pluribracteatam ; bracteolas $\frac{2}{5}'''$ longas, orbiculari-rhombeas, scilicet cymbeas ; sepala anguste lanceolata, $1\frac{1}{2}–2''$ longa.

Styphelia cymbula (Spreng. Cur. Post. 57 ; Leucopogon cymbula, Labill. Sert. Neo-Caled. 36 t. 39,) bene in opere memorato depicta, nondum extra Neo-Caledoniam inveniebatur. Vidi hanc stirpem inter plantas Feejeanas Seemanni (285). E Nova Caledonia ante oculos habeo tres alias species, omnes ad Leucopogonis sectionem referendas, quas benignitati præclari Pancher debeo. Harum prima (220) floribus minutis insignis est ; corolla breviter lobata ; antheræ minutæ, ovales ; drupæ parvæ, obovatæ ; folia majuscula, concoloria, oblongo-lanceolata, plana, subtilissime nervata.

Species secunda Neo-Caledonia (217) ostendit folia orbiculato-ovata, subtus glauca ; flores parvos, spicatos, ut videtur parce barbatos, apice glabros ; antheras apicifixas, lineari-cylindraceas ; discum annularem, repando-denticulatum. Tertia congener e Nova Caledonia (sine numero distributa) exhibet folia conferte imbricata, rhombeo- v. lato-ovata, majuscula, subtus glauca ; bracteas bracteolis paulo majores ; sepala lineam paulo excedentia ; corollam $2\frac{1}{2}'''$ longam, cujus tubus limbo duplo longior et supra medium simul cum lobis et fauce albo-barbatus ; antheras filiformi-cylindricas, apicifixas ; stylum $1'''$ longum ; germen 7-loculatum, glabrum ; drupam parvam, depresso-globosam.

Styphelia Malaica (Spr. Cur. Post. 67, Leucopogon Malayanus Jack Malay. Misc. 2) occurrit etiam in Borneo, fide speciminis a generoso seduloque Miquelio accepti. Æmulatur Leucopogonem Australem. Sepala ovata, fere $2'''$ longa, ciliolata. Corollæ faux barbata. Filamentorum pars libera capillaris. Antheræ ellipsoideæ,

prope apicem fixæ. Stylus saltim lineam longus. Drupa ovato-globosa, 4–5-loculata.

Species Sandvicenses, (Cyathodem Banksii, C. Macræanam, C. Tameiameiæ) sicut speciem Borneoicam, (Leucopogonem suaveolentem) tantum ex actis promulgatis nosco.

Trochocarpa involucrata.

Pentachondra involucrata, Br. Pr. 549; Decaspora involucrata, F. M. coll.

Erecta v. adscendens, fruticulosa, ramis pubescentibus, foliis patulis petiolatis oblongo- v. ovato-lanceolatis v. inferioribus late ovatis antice incurvis acutis muticis basi obtusis præter marginem molli-ciliatum glabris concoloribus, *floribus solitariis*, sepalis acutiusculis bracteolisque ciliolatis, *corollæ tubo* calycem vix superante intus parum barbato *limbi lobis lanuginoso-barbatis fere triplo breviore*, filamentorum parte libera exserta longitudinem antheræ pluries excedente, stylo elongato glabrescente, bacca ovato-globosa puberula calycem semisuperante.

Ad promontorium Whales Head altitudine 1000′; ad cataractas alpestres montis Wellingtoni Tasmaniæ; in tractu montano minus elato ad portum cygnorum. Oldfield.

Fruticulus sesquipedalis v. humilior, Leucopogonis facie. Folia 2–6‴ longa. Calyx vix ultra lineam metiens, imbricato-bracteatus. Corolla 4–5‴ longa, extus fulva; laciniæ lanceolato-lineares. Filamentorum pars libera glabra, lineari-setacea, 2–3‴ longa. Squamulæ 5 hypogynæ ovatæ, minutæ, disjunctæ. Pyrenæ 1‴ longæ.

Trochocarpa pumila (Pentachondra pumila, Br. Pr. 549; Styphelia pumila, Br. Pr. 536; Spr. Syst. i. 656; Epacris pumila, Forst. Pr. 70; Leucopogon vaccinioides, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 325; Decaspora pumila, F. M. coll.) crescit in tergis montium altissimorum nive hiemali tectorum alpium Australiæ, multis locis. Bacca læte rubra. Fruticulus ample diffusus, sed valde depressus, sphagneta amans.

Trochocarpa disticha (Spr. Syst. i. 660; Decaspora disticha, Br. Pr. 548) restricta est ad Tasmaniam.

Trochocarpa thymifolia (Spr. Syst. i. 660; Decaspora thymifolia, Br. Pr. 548) antecedentis comes.

Trochocarpa laurina (Br. Pr. 548), quæ a flumine Clarencii usque ad Illawarra sparse per silvas diffusa, Styphelias cum Decasporis connectit, quoad putaminis naturam ambobus generibus interstans. Crescendi modo arboreo in Leucopogone Richei, frondescendi modo pergrandi in Leucopogone verticillato imitatores habet.

Trochocarpa Clarkei (Decaspora Clarkei, F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict.) occurrit tantum in partibus Alpium Australiæ occidentalibus, e. g. in montibus Wellingtonii et Baw-Baw. Fruticulus pedalis v. humilior, raro erectus, plerumque diffusus v. procumbens. Folia sparso-conferta, valde patentia, petiolo tenui

linea sæpe breviori insidentia, tenui-coriacea, supra medium paulo latiora, oblongo- v. rarius obovato-lanceolata, mutica, acutiuscula v. obtusa, plana v. leniter concava, 3–5-nervia, glabra, nitidula, fere concoloria, 3–6‴ longa, 1–2‴ lata, margine supra medium denticulato- v. ciliolato-scabra. Corymbi capitati, pauciflori, terminales v. axillares vel lapsu foliorum ramei, perbreviter pedunculati, imbricato-bracteati. Bracteolæ bracteis paulo majores, rhombeo-renatæ v. orbiculatæ, carinulatæ, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ metientes, simul cum calyce fructigero cadentes. Sepala late ovata, imbricata, vix brevissime ciliolata, 1–1$\frac{1}{3}$‴ longa. Corolla campanulata, 3‴ longa, extus glabra; lobi semilanceolari-deltoidei, recurvi, obscure purpurascentes, tubo ventricoso viridi duplo breviores, præflorescentia perfecte valvati, e basi faucem versus deorsum albo-barbati, alibi glabri ; tubus inferne glaberrimus. Filamenta basi corollæ tenus adnata, superne crassiuscule filiformia (non plana) et heic spatio lineæ libera, lobis corollæ revolventibus exserta, glabra. Antheræ circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ, flavescentes, apicifixæ, pendentes, ovali-cylindricæ, intus tota longitudine dehiscentes ; septum rudimentorium. Stylus linea paulo longior, crassiuscule filiformis. Stigma stylo haud crassius. Germen glabrum, 10-loculare. Gemmulæ in loculis solitariæ, ex apice cavitatis pendulæ. Discus hypogynus quinquecrenatus, e squamis connatis orbicularibus $\frac{1}{3}$‴ longis constans. Baccæ depresso-globosæ, colore earem Vaccinii Myrtilli, edules, diametro semunciali. Pyrenæ 5–10, rotundo-ovatæ, compressæ, circiter 1‴ longæ.

Monotoca elliptica (Br. Pr. 547 ; Styphelia elliptica, Sm. New Holl. 49) provenit a promontorio Wilsonii secus tractum orarium tam rupestrem quam salinum usque ad sinum Moreton-Bay. Arbuscula ad 30′ alta. Flores spicati v. racemosi. Bracteæ lanceolato-ovatæ, sesquilineares v. breviores, deciduæ. Pedicelli ad 1‴ longi. Bracteolæ circiter semilineares. Sepala orbiculari-ovata, $\frac{2}{3}$‴ longa. Corolla albida, campanulata, sesquilinearis ; laciniæ ejusdem semilanceolatæ, glabræ, apice callosæ, ante expansionem valvate conniventes. Antheræ flavæ, cylindrico-oblongæ, $\frac{2}{3}$‴ longæ, exappendiculatæ, paulo supra medium affixæ ; septum prominulum. Drupa aurantiaca. Differentiæ, quibus M. albens et M. lineata specifice distinguantur, mihi non claræ. M. lineatam v. saltim stirpem finitimam vidi in cacumine alpino Mount Useful.

Monotoca scoparia (Br. Pr. 547 ; Styphelia scoparia, Sm. New Holl. 48) occurrit a flumine Glenelgi usque ad insulam Moretoni. Ascendit quoque montes Novæ Angliæ. Fruticulus ulnaris v. humilior, satis strictus. Pedunculi spicato-pauciflori, v. passim 2- v. 1-flori. Bractea persistens, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ longa. Bracteolæ scilicet duæ hypocalycinæ, rhombeo-orbiculares, sepalis rotundo-ovatis fere dimidio breviores. Corolla campanulata, albida, glabra, sesquilinearis, medio tenus in lobos semilanceolatos recurvos valvatim fissa. Filamenta secus tubum decurrentia, vix apice libera. Antheræ cylindrico-oblongæ, supra medium affixæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ metientes. Stigma

perminutum. Var. empetrifolia (M. empetrifolia Br. Pr. 547) in summitatibus alpium procumbit.

Sprengelia incarnata.

Sm. Act. Holm. 1794, 260, t. 8; Poiretia cucullata, Cav. Ic. iv. t. 343.

Foliis inferne longiuscule cylindrice convolutis et ciliolatis, superne canaliculato-semilanceolatis sensim in apicem acutatis, floribus in apice ramulorum solitariis v. 2–6 confertis, *sepalis pallide purpurascentibus bracteas aliquoties superantibus, corollæ glabræ pallide roseæ laciniis tubo aliquoties longioribus lanceolato-linearibus inferne stricte valvatis superne lenissime imbricatis*, filamentis tenuissime et æqualiter lineari-filiformibus, antheris cohærentibus subulato-linearibus extus papilloso-barbatis ex apice rima brevi dehiscentibus paulo supra basim affixis, stylo glabro setaceo capsulæ longitudinem conspicue excedente.

Ad sinum Encounter-Bay. In King's Island. Ad Portland Bay; Allitt. Hinc per Australiam felicem usque in montes Blue Mountains et usque ad flumen Hastings extendens, cacumen montis William altitude 5000′ adscendens.

Frutex 10′ v. humilior, sæpe simpliciusculus. Folia cum ramulo non articulata, a basi paulo persistente irregulariter frangentia, passim sesquipollicem longa. Bracteæ plures, ciliolatæ, inferne concurvæ v. dilatatæ, superne foliaceæ et longe tenuique acuminatæ. Sepala rigidula, corollam quasi referentia, 2–4‴ longa, lanceolata, sensim acutata, glabra. Corolla membranea, fere rotata, calycem æquans, e basi jam breviter in petala sua secedens et tunc petala tantum supra basim brevi spatio cohærentia. Filamenta 1–2‴ longa, glabra. Antheræ 1–1½‴ longæ, papillis clavellatis albis v. flavidis extus obsessæ, basi brevissime bilobæ, basi tenus polliniferæ; septum prominens. Stylus 3‴ longus v. brevior, basi pentagonus. Stigma perminutum. Capsula ovata v. globoso-ovata, primum depressa, semper apice truncata, circiter sesquilineam metiens, loculicide 5-valvis. Placentæ ad medium columnæ centralis fixæ, basi apiceque solutæ. Semina ovata, fulva, lenissime reticulata, ⅓‴ longa. Embryo in albuminis axi rectus, cylindraceus.

Genus non solum memoriam honorat Christiani Conradi Sprengel, Rectoris scholæ Spandavicæ, cui dicatum, sed etiam nunc ditiore specierum copia memoriæ Curtii et Caroli Sprengel sacratum est. Corolla profunde partita (vix tamen profundius quam ea Ponceletiæ) in mentem vocat Melichrum rotatum et Pentachrondram involucratam.

Frustra limites trahere tentavi inter Sprengeliam incarnatam, S. montanam, S. propinquam, S. macrantham. In statu alto-alpino folia inveniuntur breviora, sepala minus purpurascentia; si hujus plantæ stamina omnino soluta occurrunt, tunc habes varietatem

lysiandram. Hac varietate iterum formæ duæ gignuntur, altera antheris glaberrimis eximia, altera antheris solutis extus barbatis intus longitudinaliter dehiscentibus prædita. Cohæsio antherarum in S. incarnata, ut videtur, dehiscentiam tantum apicalem admittit. Reperi in certis plantis S. propinquæ filamenta dense papilloso-barbata, et in aliis hæc organa papillis paucis prope antheras (ipsas glabras) conspersa. Statum glacialem possideo, a monte Lapérouse Tasmaniæ, procumbentem, Sprengeliæ ponceletioidi persimilem, foliis minoribus basi breviter cucullatis, floribus omnibus singulis.

Sprengelia Ponceletia.

F. M. Fr. i. 39 ; Ponceletia sprengeloides, Br. Pr. 554.

Foliis glabris basi breviuscule cylindrico-convolutis, medium versus rotundo-cordatis, apice acuminatis, floribus ramulos solitarie terminantibus, sepalis inferne primum ovali-lanceolatis demum ovali-orbicularibus superne lineari-acuminatis bracteas paulo dimidiove superantibus, *corollæ albæ glabræ lobis ovalibus tubo ter longioribus late imbricatis*, filamentis glabris apicem versus leniter dilatatis, antheris liberis glabris supra basim affixis filamento fere æquilongis, septo alte prominente marginulato, stylo longitudinem capsulæ paulo excedente.

A portu Jacksonii usque ad sinum Moreton's Bay sparsa.

Fruticulus 1–paucipedalis, passim simplicissimus. Folia haud distincte cum ramulo articulata, glabra, non costata ; floralia bracteas præbentia. Horum inferiora cucullata, superiora sive interiora magis plana, fere cordata, acuminata. Bracteolæ bracteis conformes ; nec hæ basi articulatæ. Sepala glaberrima, 4‴ circiter longa, latissime et brevissime unguiculata, margine scilicet imbricata. Corolla 4–5‴ longa, ad $\frac{2}{3}$ vel $\frac{3}{4}$ longitudinis divisa. Filamenta hypogyna, vix lineam excedentia. Antheræ flavæ, tota longitudine dehiscentes. Capsula calyce ter brevior, glabra, $1\frac{1}{2}$–2‴ metiens. Valvæ 5 a columna centrali secedentes. Placentæ totam fere longitudinem axeos occupantes. Gemmulæ in loculis numerosæ. Semina in quoque loculo plurima, $\frac{1}{3}$‴ longa, ovata, fusca.

Sprengelia ponceletioides (Sond. in Linn. xxvi. 254) est huic speciei affinior quam S. incarnatæ, ob bracteas et bracteolas calycem circa semiæquantes, obque corollæ segmenta latiuscule imbricata et lanceolata ; dum antheræ cohærentes, filamenta sursum non incrassata potius illis organis Sprengeliæ incarnatæ respondunt. Ponceletia monticola, jam concedente Sonderio, huc vocari debet. Corolla sponte in sua petala basi tenus secedit ; quæ petala acuta sunt. Antheræ glabræ, intus tota longitudine dehiscentes. Bracteolæ angustius lanceolatæ, quam bracteæ involucrantes foliiformes. Vernon plantam ad sinum Botany Bay reperit.

Cohæsio antherarum in genere Michieæ est ei Ponceletiæ et Sprengeliæ analoga.

Sprengelia latiflora.

Andersonia latiflora, F. M. coll.

Foliis e basi lata cylindrica ovato-semilanceolatis recurvo-acuminatis nervoso-striolatis tortilibus, floribus spicato- v. capitato-confertis, bracteis solitariis ovatis v. orbiculari-ovatis acuminatis, *bracteolis lanceolato-cymbeis bracteisque flore fere ter brevioribus, sepalis lanceolato-linearibus obtusiusculis, corollæ intus fere undique sericeæ lobis tubo duplo brevioribus* lineari-oblongis obtusiusculis, filamentis pilosulis æqualiter filiformi-linearibus anthera dimidio duplove longioribus, stylo setaceo corollam æquante subtilissime puberulo.

In Australia occidentali. Drummond (106, 110, 253).

Ramuli breviter pubescentes. Folia semipollicaria v. breviora. Sepala pallide fulvida, semiuncialia, pæne lineam lata, corollam æquantia v. paulo superantia. Antheræ 1‴ longæ, tenui-lineares, paulo infra medium fixæ, septum prominulum. Stigma perminutum. Squamæ hypogynæ ovatæ, basi connatæ. Capsula 1‴ alta. Placentæ basilares. Semina $\frac{1}{3}$‴ longa, fusca, in quovis loculo pauca, distincte clathrato-reticulata.

Sprengelia brachynema (Andersonia macranthera) ostendit folia haud tortilia. Sepala sunt pallide rosea. Lobi corollæ inferne stricte valvati, superne lenissime imbricati. Stylus glaber. Squamæ hypogynæ quadrato-ovatæ. Placentæ basilares, paucigemmulatæ.

Sprengelia brachyanthera.

Andersonia brachyanthera, F. M. coll.

Foliis inferne dilatatis basi cylindraceis superne in acumen lineari-trigonum rectum subito protractis, *floribus sparsis pluribracteatis, sepalis lineari-lanceolatis majusculis* bracteas triente superantibus, corollæ medio tenus fissæ tubo glabro, lobis præter apicem albo-sericeis, *filamentis superne albo-pilosis æqualiter pertenuibus anthera aliquoties longioribus*, stylo superne hirtulo, stigmate dilatato.

In Australia occidentali. Drummond.

Fruticulus circiter sesquipedalis. Folia appressa, paucilinearia. Bracteæ circiter 3‴ longæ, lanceolatæ, acutæ. Sepala saltem corollam tandem quadrante superantia. Antheræ tantum $\frac{1}{2}$‴ longæ, explanatæ oblongæ ; septum visibile. Stylus $2\frac{1}{2}$‴ longus. Fructus in unico specimine plantæ destructus.

Sprengelia brevifolia (Andersonia brevifolia, Sond. in Lehm. Pl. Pr. 332 ; Drumm. coll. 70) jam differt foliis minoribus sensim acutatis, floribus brevioribus, genitaliis glabris.

Sprengelia micrantha (Andersonia micrantha, R. Br. Pr. 554 ; Drummond. coll. 185) discedit minutie omnium partium, staminibus glabris, stylis inferne tenuissime puberulis. Fructus harum omnium

adhuc studiis subjiciendi. Semina Spr. micranthæ in loculis passim solitaria.

Sprengelia brachyota (Andersonia brachyota, F. M. Fr. iv. 125) convenit congeneribus placentis basalibus oligospermis. Drummond plantam sub 183, 333 habuit. Fortasse est Sprengelia parvifolia (A. parvifolia, Br. Pr. 554) quæ e mera diagnosi Brownii haud tuto recognoscitur. Jam magnitudine bipollicari abunde flores producit. Species tali modo pulchella ob singularem adspectum colenda. Semina sæpe solitarie in loculis maturant.

Sprengelia spirophylla.

Andersonia spirophylla, F. M. coll.

Foliis e basi brevissime cylindracea semilanceolatis sensim tenui-acuminatis leniter spirabilibus, floribus paucis ramulos terminantibus passim solitariis, *bracteolis calycem semiæquantibus ovato-lanceolatis cymbeis acute carinatis*, sepalis anguste lanceolato-linearibus, corollis intus parce sericeis, lobis tubo paulo longioribus, *filamentis pilosulis supra basim* glabram *densius barbatis inferne latioribus anthera cylindrico-subulata dimidio longioribus*, stylo procero glaberrimo.

In Australia occidentali ; Drummond, 330.

Fruticulus paucipollicaris usque spithamæus. Folia $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}''$ longa, inferne 1–$1\frac{1}{2}'''$ lata, patula, omnino glabra. Bracteolæ circiter $4'''$ longæ, glaberrimæ, margine scariosæ. Sepala semiuncialia, corollam æquantia. Lobi corollæ semilanceolato-subulati, apice glabri. Antheræ linea vix longiores, prope basim fixæ. Stylus setaceus, circa $5'''$ longus. Stigma leniter dilatatum. Placentæ basilares. Semina pauca.

Sprengelia involucrata.

Andersonia involucrata, Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 331.

Foliis squarrosis ovato-lanceolatis acuminatis tortulo-recurvatis basi cucullatis, *floribus capitatis*, bracteis solitariis rhombeo-orbicularibus recurvo-acuminatis, *bracteolis cymbeis calyce paulo brevioribus*, sepalis anguste lanceolatis acutatis, *corollæ parvæ lobis parce pilosulis tubo glabro brevioribus*, *filamentis angusto-lanceolatis* intus prope medium barbellatis anthera subulato-cylindracea fere duplo longioribus, stylo glabro, stigmate perminuto.

Ad flumen cygnorum. Drumm. (105, 108, 111, 256, 257).

Fruticulus sæpe pumilus. Folia passim tantum $3'''$ longa, vario gradu tortula. Bractea 2–$3'''$ longa. Bracteolæ $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longæ. Corolla $2'''$ metiens. Filamenta interdum latius lanceolata et glaberrima. Antheræ $\frac{1}{2}'''$ longæ, flavæ. Stylus circiter sesquilinearis, basi tortulus. Disci squamæ ovatæ, basi connatæ. Tota capsula sæpe tantum semen unicum maturans.

In quadam specie Andersoniæ squamas complete in discum vix brevissime sinulatum concretas invenio.

Sprengelia depressa (Andersonia depressa, R. Br. Pr. 554) aut species propinqua occurrit ad Mount Manypeak, Phillip's Range, Kalgan. Exstat in collectione Drummondi sub 109, 255, 331. Fruticulus non raro erectus. Corolla apice cœrulescens. Semina ultra $\frac{1}{2}'''$ longa, foveolato-reticulata. Huic valde affinis A. prostrata, quæ stylo ad basim spirali singularis.

Sprengelia aristata.

Andersonia aristata, Lindl. Bot. Reg. xxv. Append.; Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 334; Atherocephala Drummondi, Cand. Prodr. vii. 755.

Foliis parvis appressis v. parum patentibus e basi latiore amplexante frangente mox trigono-subulatis rectis, floribus in apice ramulorum spicato-capitatis, bracteolis bractea foliacea paulo superatis trientem calycis æquantibus cymbeis acuminatis, sepalis anguste lanceolato-linearibus demum margine involutis, corollæ lobis tubo æquilongis ante expansionem valvatis vix apice lenissime imbricatis supra excepta summitate dense albo-barbatis, tubo interne pubescente, *filamentis glabris lineari-setaceis anthera pluries longioribus limbo corollæ revoluto superne exsertis*, antheris linearicylindraceis infra medium fixis, stylo longo setaceo glabro, stigmate paulo incrassato.

Ad flumen cygnorum in locis arenosis. Drumm. 497.

Corolla calycem paulo superans, adspectu illius Styphelieæ veræ. Placentæ basales, ad columnam fixæ. Semina late ovata, circiter $\frac{1}{3}''$ longa.

Jam primo anno, dum tantum sesquipollicem alta, flores gignit.

Sprengelia colossea.

Andersonia colossea, F. M. coll.

Ramis robustis, *foliis maximis imbricatis* glabris e basi breviter cucullata lanceolatis recte sensimque acutis pertenuiter multinerviis, *spicis fere distichis elongato-bracteosis*, bracteis lanceolatis bracteolas cymbeas acute carinatas glabras magnitudine multoties excedentibus, sepalis bracteolas longitudine æquantibus lanceolatis, corolla laciniis tubo duplo longioribus anguste semilanceolatis ante expansionem omnino valvatis faucem versus pilosulis, tubo prope medium brevi-barbato, *antheris glabris liberis longiuscule lineari-filiformibus filamento glabro paulo longioribus*, filamentis æqualiter angusto-linearibus, stylo filiformi glabro basi attenuato, squamis hypogynis semiconcretis.

In Australia occidentali, loco speciali non indicato, plantam detexit J. Drummond (301).

Species patricia, forsan alta, Richeam mire æmulans. Folia 1–2″ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}''$ lata, nervis haud prominentibus longitudinaliter striata,

margine non membranea. Bracteæ unciales, basi florem solitarium et passim margine alterum occultantes. Bracteolæ anguste lanceolato-cymbeæ, glabræ. Corolla calycem æquans ; lobi ne quidem apice distincte imbricati ; tubus e basi in lobos (petalis respondentes) solutus. Stamina exacte hypogyna, post corollæ separationem saltem brevi tempore persistentia, nec ullo modo corollæ adhærentia. Filamenta crassiuscule linearia, $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longa, nec ut in Sphenotomate pertenuiter capillaria. Antheræ paulo supra basim fixæ, erectæ, scilicet introrsæ, $2'''$ longæ v. paulo longiores, flavæ ; septum prominulum, marginulatum. Stylus 3–$4'''$ longus, glaber. Stigma stylo haud crassius. Squamæ hypogynæ filamentis alternæ, $\frac{1}{3}'''$ metientes, quadrato-orbiculatæ, antice erosæ, saltem initio in annulum concretæ. Germen glabrum. Placentæ basi medio apiceque gemmuligeræ. Capsula $2'''$ alta. Placentæ hujus ad basim columellæ sessiles, breves. Semina fere $\frac{1}{2}'''$ longa, fusca, nitida, foveolari-cancellata. Gemmulæ in loculis pluræ non paucæ. Discus etiam adest hypogynus etsi brevissimus in Sprengelia Ponceletia. In hac ac in S. incarnata et S. ponceletoide filamenta rigidula cum germine persistunt, dum corolla detrahitur. Placentæ Sprengeliæ Ponceletiæ non differunt ab iis Sphenotomatis squarrosi nisi defectu stipitis.

Vidi quandam plantam e Stirling's Range habitu Cosmeliæ foliis minoribus angustius in apicem contractis, bracteis brevioribus apice tenui-acuminatis basi dilatatis, bracteolis calyce brevioribus. Hæc, quæ etiam Drummondiana 155, forsan non specifice distat.

Sprengelia cærulea (Andersonia cærulea, R. Br. Pr. 554) satis ample in regionibus austro-occidentalibus nostri continentis obvenit.

Sprengelia Andersoni (Andersonia sprengeloides, R. Br. Pr. 554), antecedentis comes frequens, est diu hortorum Europæ hospes.

Cosmelia rubra invenienda est a sinu regis Georgii usque ad Gardener's River. Folia ovato-lanceolata, sensim acutata, basi cucullata, non distincte hinc articulata, juniora disticha, omnia margine inferne pallido ciliolata, $\frac{1}{2}$–$1''$ longa ; floralia plura ceteris breviora, inferne rotunda, partim scariosa, minus margine convergentia, superne foliaceo-acuminata, bracteas præbentia, basi satis distincte articulata, non carinata. Bracteolæ quoad figuram inter bracteas et sepala mediæ. Sepala foliacea, lanceolato-linearia, semiuncialia, glabra. Corolla 1–$1\frac{1}{3}''$ longa, glabra ; lobi tubo quater quinquiesve breviores, æstivatione late imbricati. Filamenta inferne tenuius, superne latius linearia, a basi corollæ usque ad ejus limbum adnata, initio antherarum tantum a corolla libera, prope apicem ciliata, hic anthera paulo latiora. Antheræ $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longæ, linearicylindricæ, flavæ, præter basim filamento longitudinaliter adnatæ ; septum fere obliteratum. Stylus glaber, setaceus, circiter $\frac{3}{4}''$ longus. Stigma paulo dilatatum. Squamæ 5 hypogynæ, primum in annulum concretæ, demum solutæ. Capsula globosa, $3'''$ longa. Placentæ ad columellæ medium affixæ, basi brevius apice longius liberæ. Pars

infera fructus constricta, haud valvata, gynobasim præbens. Semina numerosa in quovis loculo, globoso-ovata, $\frac{1}{4}'''$ longa, fere lævia. Embryo axillaris, cylindricus, rectus, $\frac{2}{3}$ albuminis longitudine, haud in cotyledones divisus.

Dracophyllum secundum provenit a portu Jacksonii passim usque in montes Blue Mountains. Bracteæ magnæ, solitariæ, deciduæ, cuique fasciculo florum communes, sæpe unciales, inferne cymbeo-ovatæ, superne lineari-subulatæ. Bracteolæ prope basim pedicelli sitæ, lineari-setaceæ, caducissimæ, circiter $1\frac{1}{2}'''$ longæ. Pedicelli $2–3'''$ longi, fasciculares, in racemum fere unilateralem elongatum collecti. Sepala corollam semiæquantia, margine imbricata, ovato-lanceolata, acuminata, $2–2\frac{1}{2}'''$ longa, vix ciliolata. Corolla alba, glabra, ei Epacridis impressæ similis, $6–8'''$ longa; tubus latiuscule cylindricus, lobis aliquoties longior, basi lata truncata secedens, infra squamulas hypogynas annulum tenuissimum relinquens; lobi æstivatione leniter imbricati, deltoideo-semiovati, recurvi. Stamina simul cum corolla cadentia; filamenta tubo adhærentia, vix adnata, nec rite hypogyna, semper glabra, lineari-setacea. Antheræ centro dorsi fixæ, $1'''$ longæ, lineari-cylindraceæ; septum obliteratum. Stylus crassiusculus, filiformis, $3'''$ longus, glaber. Stigma dilatatum. Squamæ hypogynæ quadrato-ovatæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ, liberæ. Placentæ ex apice loculi arcuato-pendulæ, torsione superne intus et hinc margine multigemmulatæ, inferne undæ. Semina angulato-ovata, $\frac{1}{4}'''$ longa, scabriuscula.

Planta quæ sub nomine Dracophylli capitati in opere Payeri admirabili (Organogénie t. 120) depicta, est alia, nempe ad sectionem Dacryanthi pertinens. Corolla enim campanulato-cylindracea, non hypocraterea; lobi rhombeo-ovati, non late rhombeo-cuneati.

Dracophyllum Milligani, quod foliis et inflorescentia Richeam pandanifoliam simulat, producit sepala $\frac{3}{4}'''$ longa, cordiformi-orbicularia. Placentæ pyriformes, ex apice columellæ revergentes, breviter stipitatæ. Panicula fructifera sesquipedalis v. brevior, e racemis numerosis spiciformibus fasciculatis v. ramosis composita, satis contracta. Folia 2–3′, apice circinnato-involuta.

Dracophyllum minimum habet corollæ tubum fere $2'''$ longum, late cylindraceum, faucem versus lenissime ampliatum; lobos limbi linea paulo majores, fere cordato-orbiculatos, margine late imbricatos; antheras prope centrum dorsi fixas, ovato-ellipsoideas, $\frac{1}{4}'''$ longas; filamenta capillaria, usque ad corollæ basim detrahibilia; stylum brevissimum; gemmulas in loculis pluras.

Quædam species Dracophylli adhuc, quantum scio, indescripta Novam Caledoniam inhabitans placentis quidem pendentibus sed sessilibus et non unguiculatis insignis est.

Sphenotoma dracophylloides (Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 335; Dracophyllum phlogiflorum F. M. coll.) vergit a sinu regis Georgii usque ad promontorium Cape Riche, Kalgan et East Mount Barren.

Adest in collectione Drummondi sub numeris 6 et 258.

Frutex paucipedalis. Bracteæ solitariæ, concavo-lanceolatæ, 4‴ longæ v. longiores. Bracteolæ carinato-lanceolatæ, 2‴ circiter longæ. Sepala lanceolaria, 3‴ longa, glabra. Corolla hypocraterea; tubus tenuis, in faucem pæne clausam sensim attenuatus, 2‴ longus, lobis longitudine æqualis, basi super germen inflatus; lobi late cuneato-orbiculares, albi, glabri, axi faucem versus valde prominente supra solide plicati, expansione horizontales, marginibus sese tegentes. Antheræ medium tubi corollæ occupantes, cylindrico-lineares, $\frac{1}{3}$‴ longæ, centro dorsi fixæ. Filamenta glabra, tenerrime capillaria, corollæ tubo basi tenus adhærentia, nec, jam docente Sonderio, adnata, nec stricte hypogyna, sed una cum corolla cadentia. Stylus $1\frac{1}{2}$‴ longus, glaber. Squamæ hypogynæ acutiusculæ. Placentæ ex columellæ apice recurvatæ, quasi pendentes. Semina lævissima, ovata, fulva, $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{3}$‴ longa, compressa. Folia in planta Drummondi 161 huc forsan pertinenti sæpe biuncialia, dense ciliata.

Planta haud omnino dissuadit definitioni nimis brevi Dracophylli capitati (Br. Pr. 556), dum planta hujus nominis in Bot. Mag. et Sweetii opere depicta forsan ad Sphenotoma gracile trahi potest.

Sphenotoma gracile (Br. Pr. 556) inhabitat locos humidos in vicinia sinus regis Georgii. Planta 1–4′ alta. Flores fragrantes. Folia etiam superiora passim squarroso-patentia, inferiora interdum patentim pubescentia. Corolla extus in apice tubi pilosula. Placentæ in columellæ apice unguiculatæ, fere ovatæ, inferne longius liberæ. Semina ellipsoidea, fulva. Plantæ Drummondi 102 et 261 forsan sistunt varietates hujus speciei etsi stamina quasi hypogyna. Filamenta brevi spatio a corolla detrahibilia. Antheræ supra medium fixæ, in apicem attenuatæ. Huic speciei nimis cognatum S. capitatum, si figura operis Bot. Reg. veram plantam exhibet. Reperio autem in hac stirpe filamenta sponte usque ad basim corollæ secedentia. Sed desolutio staminum in omnibus minus magisve perfecta apparet. In varietate parviflora ad flumen Thomas-River et Capite Le Grand detecta lobi corollæ lineam vix excedunt; ramuli interdum flore singulo terminantur.

Sphenotoma squarrosum invenitur in locis udis a sinu regis Georgii usque ad Wilson's Inlet. Attinet altitudinem 10′. Rami pauci, inferne longo tractu nudi, apice fasciculoso-foliosi. Corollæ tubus extus fere tota longitudine v. saltem supra medium breviter pubescens, intus parce pilosulus, lobis late obovato-cuneatis fere duplo longior, faucem versus paululum incrassatus (nec ut in S. dracophylloide attenuatus). Antheræ saturate rubræ, prope apicem fixæ. Filamenta brevi spatio detrahibilia. Placentæ e centro dorsi subito tenuiterque stipitatæ, undique seminigeræ. Semina ovato-ellipsoidea, undique turgidula, clathrato-foveolata. Est planta Drummondi 242.

Richea pandanifolia.

J. Hook. Fl. Tasm. i. 266, t. 84.

Palmacea, *arborea, foliis longissimis serratis* ensiformibus sensim prælonge angustatis, *paniculis pyramidatis* axillaribus aphyllis e racemis divergentibus, *corolla parva semiovata* sepalis duplo longiore, antheris integris, stylo brevi, placentis unguiculatis, squamis 5 hypogynis.

In monte Lapérouse frequens, altitudine 1000–4000′, C. St. In montibus ad Macquarie Harbor.

Attinet altitudinem 30′. Truncus circiter 4″ crassus. Folia sæpe 4′ longa, basin versus 2–3″ lata. Bracteolæ 1‴ longæ. Sepala fere orbicularia, $\frac{2}{3}$‴ longa. Corolla 1–1$\frac{1}{2}$‴ metiens. Filamenta 1‴ longa. Antheræ ellipsoideo-cylindraceæ, centro dorsi fixæ. Placentæ recurvo-pendulæ.

Nullæ Richeæ species extra Tasmaniam detegebantur, R. Gunnii excepta, quæ unica in Australiam continentalem translata. Genus se habet ad Dracophyllum, quam Conostephium ad Stypheliam.

Richea dracophylla.

R. Br. Pr. 555 (exclus. var.).

Elata, *foliis ensiformibus elongatis serrulatis, paniculis fasciculosis et racemosis contractis* aphyllis, sepalis corolla aliquoties brevioribus fere orbicularibus, *corolla conico-cylindrica*, antheris integris, squamis quinque hypogynis.

Ad flumen D'Entrecasteaux River et ad Recherche Bay. C. St.

Folia pauci- v. pluripollicaria. Panicula sæpe semipedalis. Sepala fere $\frac{2}{3}$‴ longa. Corolla 3–4‴ longitudine metiens. Antheræ $\frac{2}{3}$‴ longæ, inapertæ oblongo-cylindricæ, basi paulo attenuatæ, centro dorsi fixæ, apertæ apice emarginatæ. Filamenta circiter 2‴ longa. Stylus 1‴ metiens.

Richea Gunnii.

J. Hook. in Lond. Jour. vi. 273; Fl. Tasm. i. 266.

Fruticosa, foliis anguste semilanceolatis, *panicula racemoso-spicata aphylla longe pedunculata*, bracteolis membraneis fere lanceolatis, sepalis petaloideis orbiculari-ovatis, *corolla parva calycem semisuperante* ovato-conica, antheris integris, squamis 5 hypogynis, stylo brevi, stigmate dilatato.

In sphagnetis alpium Australiæ copiosissima, altitudine 5000–7000′. In Tasmania jam altitudine 3000′ reperienda.

Frutex 10′ v. humilior. Folia sæpe patentissima. Panicula semipedalis v. brevior. Bracteæ inter paniculæ fasciculos solitariæ, magnæ, ovato-orbiculatæ, acuminatæ. Bracteolæ hypocalycinæ, 1–1$\frac{1}{2}$‴ longæ. Sepala fere 1$\frac{1}{2}$‴ longa. Corolla, ut in aliis speciebus glabra, a basi disciformi circumscisse separans, 2$\frac{1}{2}$‴ longa,

alba, exsiccatione cremorea, summo contracto apice pervia et hinc minutissime 5-loba ; lobi paululo imbricati, obtusi. Filamenta, uti in ceteris congeneribus diu persistentia, lineari-filiformia, lineam paulo excedentia. Antheræ centro dorsi fixæ, inapertæ oblongo-cylindraceæ, apice emarginatæ. Stylus $\frac{2}{3}'''$ longus. Placentæ breviter stipitatæ, undique seminiferæ. Semina ovata, $\frac{1}{3}'''$ longa.

Richea scoparia.

J. Hook. Fl. Tasm. i. 366.

Fruticosa, foliis anguste semilanceolatis parum patentibus, *panicula fasciculari spicata breve pedunculata* aphylla, bracteolis membraneis fere lanceolatis, sepalis fere rotundis, *corolla calycem aliquoties superante conico-obovata*, antheris demum ab apice breviter bifidis, stylo breviusculo, stigmate dilatato, squamis 5 hypogynis.

In alpibus Tasmaniæ.

R. Gunnii amplius comparanda. In specimine ad montem Perousii reperto corolla $4'''$ longa ; lobi $\frac{2}{3}''$ longi, semiovati.

Richea procera.

Cystanthe procera, F. M. Fr. i. 38.

Arborescens, foliis angusto- v. ovato-semilanceolatis sensim longe acutatis, *floribus solitariis in spicam capitatam foliis interspersam congestis*, bracteolis cymbeo-lanceolatis, sepalis ovato-lanceis, *corolla subulato-conica*, filamentis sursum incrassatis, *antheris dorso fronteque ab apice medio tenus bifidis basin versus inapertis*, stylo longiusculo, stigmate minutissimo, squamis nullis hypogynis.

In uliginosis ad Southport. C. St.

Bracteolæ $2'''$ longæ, acute carinatæ. Corolla apice brevissime 5 dentata; dentes acuti ; basis cupularis $1''$ alta. Filamenta subtilissime papillulosa. Antheræ $1'''$ longæ, ut in aliis centro dorsi fixæ, basi igitur liberæ, insolito dehiscendi modo extrorsæ et introrsæ, basi tenus polliniferæ. Stylus $3'''$ longus. Stigma haud incrassatum. Capsula globosa, sesquilinearis. Placentæ multigemmulatæ, tenues, pendentes, breviter stipitatæ. Semina in loculis plura, tenui-ellipsoidea, fusca, subtilissime reticulata.

Huc forsan trahenda est varietas alpha C. sprengeloidis, R. Br. Inflorescentia Dracophyllorum non minus diversa quam ea Richearum hic acceptarum. Sepala tam membranea quam foliacea in Leucopogone simul obvia.

Richea sprengeloides.

Cystanthe sprengeloides, Br. Pr. 555 ; F. M. Fr. i. 38.

Fruticosa, *foliis brevibus semilanceolato-ovatis* sensim acuminatis, floralibus cordatis, *floribus in spicam capitatam foliatam congestis*, bracteolis lanceolato-cymbeis, sepalis lanceolato- v. orbi-

culato-ovatis scarioso-foliaceis, corolla semiovato-conico, antheris integris tota longitudine antice dehiscentibus, stylo longiusculo, stigmate minutissimo, squamis nullis hypogynis.

In montibus frigidioribus Tasmaniæ.

Folia a basi annulari articulato-secedentia, æque ac ea congenerum et Dracophylli; folia floralia sensim in bracteas 2–3‴ longas mutata. Flores solitarii, gemini v. terni. Bracteolæ 1½‴ longæ. Sepala 2‴ metientes. Corollæ conus 2‴ altus, apice minutissime 5 dentatus, dentibus acutiusculis lenissime imbricatis. Filamenta lineari-filiformia, æqualiter tenuia, circiter 1⅓‴ longa. Antheræ 1‴ longæ, centro dorsi fixæ. Stylus 2‴ longitudine metiens. Placentæ saltem juniores non stipitatæ.

Richea acerosa (Cystanthe acerosa, F. M. Fr. i. 38; Pilitis acerosa, Lindl. Nat. Syst. 443) sicut *Richea Milligani* (Pilitis Milligani, J. Hook. Fl. Tasm. i. 366) tantum notæ sunt e locis illustri J. Hooker indicatis.

Prionotes cerinthoides (R. Br. Pr. 533; Epacris cerinthoides, Labill. Nov. Holl. Spec. i. 43. t. 59) occurrit ad Southport, Mount Lapérouse aliosque locos Tasmaniæ. Frutex quidem debilis, sed eximie prolixus, aliis plantis accumbens ad altitudinem 40–50′ trahitur. Folia oblongo- v. ovato-lanceolata, 1–2″ longa, crenulato-serrulata, supra rugata, iis Gaultheriarum similiora quam iis ullarum coordinalium. Pedunculi unciales v. breviores, tenues, uniflori, sparse pluribracteati, glandulis stipitatis more quarumdam Ericinearum conspersi. Bracteæ fere lanceolatæ, circiter 1‴ longæ. Calyx ebracteolatus. Sepala lineam longa, ovata, acuta, margine imbricata. Corolla glabra, læte rubra, uncialis v. paulo longior; tubus latiusculus, medium versus leniter turgens; lobi semiovato-deltoidei, circa 1‴ longi, æstivatione imbricati. Stamina hypogyna, a corolla omnino libera, post ejus remotionem germini adstantia, corolla pæne æquilonga. Filamenta lineari-filiformia, superne leniter latiora et rugulosa, omnino glabra. Antheræ ½–⅔‴ longæ, dimidiato-ellipsoideæ, membraneæ, dorso imperfecte adnatæ, erectæ, immobiles; septum prominens sed vix evidentius quam in multis aliis Epacrideis. Stylus filiformis, pollicaris, glaber. Stigma incrassatum. Discus annularis. Capsula ovato-globosa, brevipilosula, fere truncata, 3‴ alta. Placentæ ex apice columellæ arcuato-pendulæ, multigemmulatæ.

Planta venusta et memorabilis, quoad corollam Cosmeliæ affinis, respectu foliorum Vaccinieis, ratione placentationis Dracophyllis; adhæsione antherarum partiali jam Cosmeliam iterum approximans. Allodapem comparare mihi deest occasio.

Lysinema pentapetalum extendit amplissime per Australiam occidentalem extratropicam a sinu Great Bight usque ad flumen Murchison's River. Frutex 4–5′. Squamæ hypogynæ ovatæ, bidenticulatæ, distantes. Stamina libera, germini sed non capsulæ adstantia. Antheræ centro dorsi fixæ. Capsula fere semuncialis,

pentagono-cylindrica. Placentæ perangustæ, 3‴ longæ, longitudinaliter adnatæ. Semina satis compressa, ovata, omnia adscendentia. Embryo tenui-cylindricus, dimidio albumine vix longior. In hac et omnibus aliis, incluso L. pungente, lobi corollæ primum contorti, nec horum loborum unus omnino exterior, alter omnino interior, quam in Epacride et Dracophyllo. L. curvatum valde ad L. pentapetalum approximat.

Lysinema elegans est Drummondio sub 122 et 262 distributum. Stamina corollæ adhærentia, vix unquam germini adstantia. Antheræ setaceo-filiformes, apice attenuatæ, basi tenuissime caudatæ, $2\frac{1}{2}$‴ longæ, prope centrum dorsi fixæ. Squamæ hypogynæ lanceolatæ.

Lysinema conspicuum format fruticem 1–4′ habitu Calycothricis. Extendit ad flumen Gardneri, Drumm. 108. Flores fragrantes. Stamina simul cum germine separabilia. Antheræ tenuissime cylindricæ, 1‴ longæ, basi et apice attenuatæ. Capsula $1\frac{1}{2}$‴ longa. Placentæ erectæ, tenues, sursum secedentes, 1‴ longæ.

Lysinema fimbriatum producit placentas pertenues, elongatas, columellæ longitudinaliter adnatas. Limbus ut in ceteris veris Lysinematibus ante corollæ tubum secedit.

Lysinema ciliatum, abs quo L. ovatum forsan haud specifice divellendum, folia gignit semper basi acutiora quam ea L. pentapetali. Species vergit usque ad sinum Great Bight Drumm. 78.

Lysinema brevilimbatum est planta Drummondi 295. Antheræ medio dorso affixæ, non valde in basim et apicem attenuatæ. Septum obliteratum. Placentæ 1‴ paulo excedentes, lineari-subulatæ, ad columellam longitudinaliter fixæ, apice secedentes.

Epacris pungens (Cav. Ic. 346 ; Lysinema pungens, R. Br. Pr. 551) quæ nondum extra Novam Cambriam reperta, forsan proprii generis typum præbebit. Nam planta tubo quidem corollæ tenui et lobis ejusdem contortis Lysinemati concurrit, dum habitu et omnibus aliis notis, quantum vidi, Epacridi concedit. Filamenta non semper distincte libera, sed sæpe corollæ adhærentia, etsi nonnunquam sponte soluta. Antheræ lineari-cylindricæ, centro dorsi fixæ. Stylus inferne incrassatus. Squamæ hypogynæ semilanceolatæ, distantes. Placentæ saltem juniores lateraliter adnatæ, breves. Germen fere globosum, non elongatum.

Epacris longiflora (Cav. Ic. 344 ; E. grandiflora, Willd. Sp. Pl. i. 834) a Walt. Hill in monte Lindsayi collecta fuit. Corolla adeo eximie bicolor nullam aliam speciem advenit. Discus hypogynus crenulatus, non in squamas divisus, quod etiam in paucis aliis Epacridibus accidit. Filamenta longitudinaliter apice tenus adnata, setacea, facillime detrahenda, ad basim corollæ extendentia.

Epacris impressa (Lab. Nov. Holl. Pl. Sp. i. 43 t. 58 ; E. ceriflora, Grah. in New Edinb. Journ. 1832; E. nivalis, Grah. l. c. 1833, 184 ; E. nivea, Cand. Pr. vii. 762) est sola species, quæ intra limites coloniæ South Australia exsistit ; unica porre quæ flores

candidos et vario gradu rubros producit. In desertis plagarum interiorum longe a mari dissitarum non vivit. In montibus silvaticis aridioribus atque in collibus depressis sat arenosis passim frequentissima est. Differentiæ E. impressæ, E. cerifloræ et E. niveæ diversitate locorum natalium oriuntur, quod demonstratur varietatibus numerosis horticultura ortis a cl. A. Dietrich descriptis partim etiam erratice observandis. Tempore pluviali jam abunde floret et tunc mixtis coloribus clivos amœnissime ornat. Pedunculi 1–4-flori. Flores in medio ramorum sæpe primum evolvuntur, superioribus et inferioribus adhuc clausis. E. tomentosa (Lindl. in Mitchell's Three Exped.) forsan statum subalpinum exhibet. Longitudo corollæ conspicue variat. Septum antheræ obliteratum.

Epacris heteronema ample diffusa est per regiones alpinas Victoriæ et Neo-Cambriæ. Hujus varietatem fortasse sistit E. serpillifolia, R. Br. Pr. 551. Altera varietas *glacialis* omnino procumbit et foliis minoribus crassioribus aveniis rhombeo-ovatis bracteisque obtusis notata est. Amat locos nive deliquescente irriguos. Flores suaveolentes, semper albi. Species Neo-Zelandicæ, quarum una alterave huic proximæ, Australianis adhuc comparandæ. Placentæ in columna brevi laterales, ab apice ad basim seminiferæ ; semina inferiora descendentia, media divaricata, superiora adscendentia, ut in aliis veris Epacridibus, dum semina Lysinematis omnia seriatim adscendunt.

Epacris purpurascens, in Neo-Cambria obvia, congenerum instar lobum corollæ unum omnino exteriorem, unum omnino interiorem ostendit.

Epacris obtusifolia comitatur Sprengeliam incarnatum in uliginosis juxta portum Phillipi et ad promontorium Wilsoni ; igitur hæc species forsan ad sinum Encounter-Bay reperienda est. Flores fragrantes, absque exceptione albi.

Epacris pulchella (Cav. Ic. 345 ; E. Gunnii, J. Hook. in Lond. Journ. vi. 271) in variis Australiæ felicis locis reperta fuit. Corolla semper alba. Alpes adscendit.

Epacris lanuginosa ad margines cæspitosos paludum sparsissime occurrit inter promontorium Wilsoni et sinum Portland-Bay. E. paludosam notavi quam varietatem stylo glabro insignem. Hæc ad torrentes alpium Australiæ non rara. Placentæ ad columnæ brevissimæ medium adnatæ, parte superiore paulo longius liberæ, ab apice ad basim divergentim seminiferæ. Semina globoso-ovata, tantum $\frac{1}{8}''$ longa.

Epacris hirtella.

Archeria hirtella, J. H. Fl. Tasm. i. t. lxxxi.

Foliis ovatis cuspidulatis conspicue petiolatis, *floribus solitariis longiuscule pedunculatis, bracteolis caducis a calyce distantibus*, sepalis 5–6 ovatis corolla glabra late campanulari-cylindrica ter brevioribus, corollæ tubo lobis aliquoties longiore filamentis omnino

adnatis æquilongo, antheris ovatis, stylo elongato, *placentis basalibus* parvis, disco hypogyno repando, capsula calycem fere æquante.

In silvis ad montem Laperousii. Oldf.; C. St.

Frutex decempedalis v. humilior. Ramuli hirtelli. Glandula minuta cordiformis supra petiolorum cicatricem circularem ramulo innata. Folia 3–4‴ longa, margine serrulato-scabra utrinque nitentia, concoloria. Pedunculi hirtuli, $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$‴ longi, basi bracteis renato- v. cordato-deltoideis perbrevibus imbricati. Sepala acutiuscula, ciliolata, sesquilineam longa. Corolla alba, pæne semiuncialis; lobi 5–6 cordato-deltoidei, recurvi. Antheræ vix $\frac{1}{3}$‴ longæ, bivalves, supra medium dorsi fixæ, explanando fere orbiculatæ. Stylus crassiusculus, glaber, 3–4‴ longus. Stigma dilatatum. Placentæ obovatæ, multigemmulatæ. Capsula 5–6-loculata, vertice impressa. Semina fertilia ellipsoideo-cylindrica, parum fusiformia ob testam ultra albumen basi et præsertim apice attenuatam fere in modum quarandam Droserarum, tota longitudine $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ metientia. Embryo tenui-cylindricus, albumine paulo brevior; cotyledones indistinctæ.

Epacris micranthera.

Archeria serpillifolia, J. Hook. Fl. Tasm. i. 360.

Foliis ovatis acutis latiuscule petiolatis muticis, *racemis corymbisve pauciflоris terminalibus aphyllis*, bracteis scariosis ovatis in brevi pedunculo imbricatis, bracteolis lineari-cymbeis a calyce parum remotis, *sepalis oblongis corollam parvam campanulatam semiæquantibus*, corollæ intus pubescentis lobis tubo æquilongis semiovatis, filamentis corolla fere duplo brevioribus fere omnino adnatis, *antheris perminutis* globosis nutantibus, stylo brevissimo, capsula calycem fere æquante, *placentis basalibus*, squamis hypogynis truncatis.

In cacumine glaciali montis Laperousii. Oldf.; C. St.

Folia crassiuscula, 2–4‴ longa. Bracteæ ovatæ, superiores 2‴ longæ, inferiores breviores. Pedicelli $\frac{1}{2}$–1‴ longi. Bracteolarum fugacium longitudo 1–$1\frac{1}{2}$‴. Corolla 3‴ metiens, albida; lobi ante expansionem imbricati. Antheræ nigritæ, tantum mensuram $\frac{1}{10}$–$\frac{1}{12}$‴ tenentes. Stigma dilatatum. Capsula fere globosa, statu plane maturato me nondum accepta.

Archeria eandem positionem tenet ad Epacridem, quam Andersonia ad Sprengeliam; sed ob placentarum situm in Andersonia sicut Archeria Traversii non omnino validum dignitatem generis vix vindicat. Flores solitarios et racemosos occurrunt in Epacride ipsa, ut de Dacrophyllo, Leucopogone et Monotoca taceam; saltem E. impressa passim pedunculos plurifloros producit. Bracteolæ a sepalis remotæ proveniunt in Lissanthe et Dracophyllo simul cum bracteolis calyci adstantibus. Epacris Traversii (Archeria Traversii, J. H. Manual N. Zeal. Fl. 180) producit corollam cylindrico-

campanulatam 3″ longam, cujus tubus limbo ter longior. Sepala 1‴ longa, ovata. Filamenta faucem corollæ attingunt. Antheræ perminutæ fere Ep. micrantheræ. Placentæ laterales, certissime nec basales nec erectæ, semper basi semina pendula gerentes. Folia hujus fruticis nonnunquam unciam longa. Accepi hancce plantam a Doctoribus Haast et Hector. Placentæ medium cavitatis occupant, latere nec basi affixæ sunt; semina igitur a basi ad apicem radiatim emergunt. Hæc $\frac{1}{4}$‴ longa, ellipsoideo-cylindracea; testa haud manifeste producta. Æstivatio loborum corollæ ea Epacridum. Distinctiones inter Andersoniam, Sprengeliam, Dracophyllum, Sphenotoma et Cosmeliam invenies levissimas et difficulter tenendas. Ita æstivatio corollæ eadem est in Andersoniis saltem pluribus (e. g. A. aristata) et Sprengelia incarnata. Foliis basi frangentibus nec rite petiolate secedentibus hæcce genera æque ac Richea et Cystanthe a ceteris Epacrideis capsularibus, i. e. Allodape, Prionote, Epacride, Archeria, Lysinemate primo visu divergunt, et jam propriam seriem constituunt. Fines autem genericas de novo describere debemus. Cosmelia quidem fugit Dracophyllum antheris tota longitudine (ni basi excepta) filamentorum apici latiori adnatis, placentis prope medium columellæ affixis apice longius basi brevius liberis. Vix tamen probe hisce rationibus separanda. Similem placentarum solutionem apicalem et basalem vidi in saltem una specie Sphenotomatis. A Sprengelia et Ponceletia præcipue Cosmeliam separamus propter filamenta fere usque ad originem antherarum tubo corollæ adnata, ab Andersonia præterea copia larga seminum et situ placentarum. Habitu eximie Dracophyllum approximat. Longitudo corollæ nec in Epacride nec in Styphelia generici momenti, nec in Dracophyllo ipso. Flores solitarii etiam in hoc genere occurrunt. Sphenotoma a Dracophyllo separare tento fauce corollæ magis minusve coarctata, lobis sursum dilatatis non angustatis, primum valde plicatis; vix ullus character ponit in tenuitate tubi corollæ, quia hæc nota variis modificationibus in Leucopogone subjecta. Placentarum forma et directio sufficienter concurrit cum iis Dracophyllorum. Præterea corollæ lobos in D. minimo observo rotundos late imbricatos, quo modo transitus ad Sphenotoma haud difficilis. Sphenotoma squarrosum placentatione clarum transitum ad Cosmeliam format. Corolla plurium Dracophyllorum sicut eorum stamina iis Epacridum sunt conformia. Dracophylli scoparii corolla habet lobos apice eximie inflexos. Hæc species in insulis Chathamicis altitudine 40′ superbit. Pro separandis generibus corollæ æstivatio est multo magis momentosa, quam ejus forma; germinis loculatio multo tutior quam fructus maturi divisio interna; filamentorum persistentia plus certa, quam eorum origo.

DISCRIMINA EPACRIDEARUM AUSTRALIÆ GENERALIA.

Styphelia, Sm.

Sepala 5. Corolla cylindrica, v. infundibularis, v. campanulata, raro rotata ; limbus profunde divisus ; lobi 5 acuti, ante expansionem valvati. Filamenta 5, corollæ adnata. Antheræ separatæ, integræ v. raro bifidæ, puncto dorsali fixæ. Germen 2–10-loculatum ; loculi unigemmulati. Drupæ putamen integrum. Folia petiolo basive cum ramulo articulata. (Astroloma, Stenanthera, Melichrus, Cyathodes, Lissanthe, Leucopogon, Acrotriche, Frœbelia, Soleniscia, Stomarrhena, Androstoma, Pentataphrus, Lobopogon.)

Brachyloma, Sond.

Corollæ lobi ante expansionem imbricati. Cetera Styphelieæ.

Conostephium, Benth.

Corolla conico-cylindrica ; lobi brevissimi. Antheræ bifidæ. Cetera Styphelieæ.

Michiea, F. M.

Antheræ perpetue cohærentes. Cetera Styphelieæ.

Monotoca, R. Br.

Germen uniloculatum, unigemmulatum. Cetera Styphelieæ.

Trochocarpa, R. Br.

Drupæ putamen in pyrenas 5–10 solutum v. solvendum. Cetera Styphelieæ. (Decaspora, Pentachondra.)

Needhamia, R. Br.

Corolla hypocraterea ; limbus medio tenus quinquefidus ; lobi ante expansionem plicati ; lacinula terminalis infracta. Cetera Styphelieæ.

Oligarrhena, R. Br.

Sepala 4. Corolla clavato-cylindrica ; lobi 4, ante expansionem valvati. Filamenta 2, corollæ adnata. Antheræ separatæ, integræ, puncto dorsali fixæ. Germen biloculatum ; loculi unigemmulati. Drupæ putamen integrum. Petioli cum ramulo articulati.

Prionotes, R. Br.

Sepala 5. Corolla cylindrica ; lobi 5, obtusiusculi, ante expansionem imbricati. Filamenta 5, post corollæ separationem germini

adstantia. Antheræ separatæ, integræ, dorso imperfecte adnatæ. Capsula polysperma. Placentæ e columellæ apice descendentes. Petioli cum ramulo articulati.

Epacris, Cav.

Sepala 5. Corolla cylindrica, v. infundibularis, v. campanulata; lobi 5, ante expansionem imbricati. Filamenta 5, corollæ adnata v. adhærentia, quacum cadentia. Antheræ separatæ, integræ, puncto dorsali fixæ. Capsula polysperma. Placentæ laterales v. basales. Petioli cum ramulo articulati. (Archeria.)

Lysinema, R. Br.

Sepala 5. Corolla hypocraterea; lobi 5, ante expansionem contorti. Filamenta 5, post corollæ separationem germini adstantia. Antheræ separatæ, integræ, puncto dorsali fixæ. Capsula polysperma. Placentæ laterales. Petioli cum ramulo articulati.

Sphenotoma, R. Br.

Sepala 5. Corolla hypocraterea; lobi 5, sursum dilatati, ante expansionem involuto- et infracto-plicati. Filamenta 5, corollæ adnata v. adhærentia, quacum cadentia. Antheræ separatæ, integræ, puncto dorsali fixæ. Capsula polysperma. Placentæ e columellæ apice descendentes v. inferne longius liberæ. Folia supra basim cucullari-cylindricam cum ramulo imperfecte articulata.

Dracophyllum, Lab.

Corolla cylindrica v. campanulata; lobi sursum angustati, ante expansiouem imbricati. Cetera Sphenotomatis.

Richea, R. Br.

Corolla conico-cylindrica, lobi brevissimi; tubus supra basim circumscissus. Filamenta post corollæ separationem germini adstantia. Antheræ integræ v. bifidæ. Cetera Sphenotomatis. (Cystanthe, Pilitis.)

Cosmelia, R. Br.

Sepala 5. Corolla cylindracea; lobi 5, obtusiusculi, ante expansionem imbricati. Filamenta 5, corollæ adnata, quacum cadentia. Antheræ separatæ, integræ, dorso perfecte adnatæ. Capsula polysperma. Placentæ laterales, superne longius liberæ. Folia basi cylindrico-cucullari irregulariter a ramulo frangentia.

Sprengelia, Sm.

Sepala 5. Corolla cylindracea, campanulata v. rotata; lobi 5 acuti, ante expansionem longitudinaliter v. inferne valvati. Fila-

menta 5, post corollæ separationem germini adstantia. Antheræ separatæ v. cohærentes, puncto dorsali fixæ. Capsula polysperma. Placentæ laterales v. basales. Folia basi cylindriformi irregulariter a ramulo frangentia. (Andersonia, Atherocephala.)

Ponceletia, R. Br.

Corollæ lobi imbricati. Folia supra basim annularem imperfecte articulata. Cetera Sprengeliæ.

Fasciculus XLII. editus Septembr. 1867.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLIII.

Stylideæ.

Leeuwenhoekia stylidiodes.

(Sect. Coleostylis.)

Undique glanduloso-pubescens, foliis caulinis ovatis rotundisve conspicue petiolatis, floralibus spatulato- v. cuneato-oblongis, *floribus magnis* umbellatis v. corymbosis v. inferioribus solitariis, *corollæ lobis superioribus lanceolato-ovatis acutis inferiores rhombeo-oblongos convergentes semiæquantibus labello setaceo-appendiculari apice penicillari paulo longioribus*, tubo corollæ calycem æquante.

In Australia occidentali a sinu regis Georgii saltem usque ad montes Stirling's Range. F. M.

Herbula 1–5-pollicaris, lepida, annua, simplex v. raro oligoclada exceptionaliter uniflora, facie Stylidii. Folia radicalia nulla, caulina perpauca, 1–2½‴ longa; floralia ad basin cujusvis pedicelli solitaria, 3–6‴ longa; omnia plana, integerrima. Pedicelli 2–8‴ longi. Calycis lobi 5 æquales, liberi, latiuscule lineares, circa 1⅓‴ longi, erecti; tubus sphæroideus. Corollæ tubus cylindricus, albidus, glaber; lobi albi, dorso stria coccinea notati, faucem versus rubro-zonati, extus parce v. parcissime pilis perbrevibus glanduligeris conspersi; 2 superiores 2–3‴ longi, ad apicem acuminulatum coccinei; 2 inferiores oblique oblongo-cuneati, 4–6‴ longi, obtusiusculi; faux flavida, ad basin labii superi callis 4 luteis, quorum 2 superi confluunt, coronata. Labellum patens, tactu impetuose deflexum, tali modo a columna separatum, lobis corollæ inferioribus interpositum, sesquilineam paulo excedens, supra basim brevissime unguiculatam appendiculis subulato-setaceis ⅔‴ longis erectis munitum, e laminis 2 ovato-rotundis in cymbulam connatis rubris flavisque omnino glabris constans; carina in barbam albam penicillarem excurrens, parce glanduloso-pilosula. Columna flavida, 1½‴ longa, lenissime incurvata, glabra, immobilis, labello sub fœcundatione inclusa, tactu labellum dejiciens. Antheræ flavæ, ½‴ longæ, ovatæ, longitudinaliter dehiscentes. Membranula bi-

dentata columnæ ad basim posticam apposita. Stigma 1‴ longum, primum rotundum, post fœcundationem in lobos 2‴ subulotos papillulosos semi-divisum. Capsula sesquilinearis, globosa, dense pilis glanduligeris onusta, lobis calycis terminata, uniloculata, polysperma. Placenta centralis, globosa, basifixa, undique seminibus tecta. Semina immatura pyriformi-globosa.

Examinatio plantæ vivæ suam relationem genericam extra dubium ponit. L. pusilla, cujus corolla sæpe ni semper rosea, in pluribus locis Australiæ occidentalis primo vere uberrime crescit, ubi haud raro L. creberrimam comitat. Reperi hanc sæpe ultra 500 flores gerentem.

Optimos characteres specificos nondum antea adhibitos reperies in Stylidiorum corollæ et columnæ mutuo situ. In aliis enim corollæ lobi gynandrio contrarii i. e. divaricati, in aliis eidem paralleli reperiuntur. Porre color corollæ, forma loborum atque labelli, longitudo columnæ sicut forma antherarum stigmatis et seminum bonas distinctionis notas præbent.

Stylidium perminutum.

(Sect. Tolypangium.)

Pusillum, *annuum*, foliis omnibus radicalibus lineari- v. ovali-spatulatis minutis glabris, *scapo capillari* 1–3 *floro* parce glandulari-pilosulo, bracteolis lineari-oblongis carnosis unilaterali-geminis pedicello ter pluriesve brevioribus, calycis lobis oblongo-linearibus æqualibus, tubo sphærico sparsim glandulari-pilosulo, *corollæ albæ glabræ lobis superis inferos leniter divergentes vix semiæquantibus*, omnibus cuneato-oblongis extus basim versus unidentatis, *columna perbrevi* glabra lobis corollæ parallela, labello semilanceolari-ovato exappendiculato, corona faucis nulla, capsula globosa polysperma.

In rupibus muscosis humidis et ad margines paludum arenosos inter sinum regis Georgii et montes Porongurup passim gregarium. F. M.

Plantula 1–2″ alta, simplex, facie Leeuwenhoekiæ. Folia petiolo addito 1–2‴ longa, haud numerosa. Bracteolæ circiter $\frac{2}{3}$‴ longæ, a flore distantes. Calycis lobi primum $\frac{1}{2}$‴ demum 1‴ metientes. Corollæ lobi superi erecti, $\frac{3}{4}$–1‴ longi; inferi $1\frac{1}{2}$–2‴ longitudine tenentes; illi ante basim minute coccineo-maculati; faux viridula. Labellum firmum. Columna mobilis. Capsulæ statu maturo nondum visæ. Placentæ crassæ.

Species S. calcarato proxima, ejus etiam formis parvulis haud absimilis, caret autem calcare subulato, quod lobo calycis postico accumbit et hunc deprimit. Præterea lobi corollæ superiores non inciso-dentati sunt, nec stigma deorsum protractum et conspicue barbatum est, nec labellum acuminatum. Formam Stylidii calcarati reperi pedalem floribus ultra 50 ornatam. S. Lindleyanum

(Soud. in Lehm. Pl. Preiss. i. 391) alteram formam repræsentat. Provenit autem passim calcare adeo abbreviato, ut flos ecalcaratus appareat. Idem accidit in Velleya paradoxa. Tunc scilicet lobus posterior calycis non deprimitur.

Stylidium scandens ad ripas et in paludibus a sinu regis Georgii saltem usque ad montes Stirling's Range multis locis occurrit. Ornamenti gratia coleatur. Ad plures suas notas eximias pertinet ea de antheris acuminatis.

Epacrideæ.

Monotoca tamariscina.

Fruticulosa, *foliis minutis imbricatis* ovato- v. rhombeo- v. angusto-lanceolatis acutis v. acuminatis concoloribus, *floribus bisexualibus axillaribus solitariis* passimve geminis infra apicem ramulorum racemoso-spicatis, *corolla fulvida*, tubo calycem æquante lobis breviore, squamis hypogynis lineari-oblongis.

In summis cacuminibus frigidiusculis montium Stirling's Range Australiæ occidentalis inter rupes. F. M.

Fruticulus paucipedalis v. humilior, ramosissimus, diffusus. Ramuli breviter pubescentes, copiosissime cicatrisati. Folia 1–1½‴ longa, convexo-concava, mutica, apice incurvula, in basim brevem petiolarem angustata, supra saltem exsiccatione inæqualiter quadrisulcata, subtus prominule quinquenervia, margine lateribusque parce pilosula. Pedunculi brevissimi, passim biflori. Bractea minuta, lanceolato- v. rhombeo-cymbea. Bracteolæ hypocalycinæ bracteis conformes, calycem circiter semiæquantes. Sepala lanceolato-ovata. Corolla circiter 1‴ longa, potius campanulata quam infundibularis, extus brevissime et imperfecte pilosula, intus glabra, ultra medium 5-fida; lobi semilanceolato-deltoidei, æstivatione valvati. Stamina 5, fauci corollæ inserta, glabra. Filamenta lineari-subulata, corollam haud æquantia. Antheræ dorsifixæ, perminutæ, explanatione rotundæ. Pistillum glabrum. Stylus perbrevis. Stigma brevissime bidentatum. Germen unigemmulatum. Squamæ hypogynæ basi connatæ. Fructus immaturus ovato-globosus, turgidulus.

Species inter plantas coordinales adspectu aliena.

Sprengelia patricia.

Andersonia patricia, F. M. coll.

Robusta, foliis e basi amplexante fere semilanceolatis in apicem sensim longe acutatis lenissime tortis indistincte nervatis et striatis, *capitulis magnis terminalibus albidis*, bracteis vagis squarrosis flores superantibus inferne cordatis superne anguste longeque acuminatis, bracteolis anguste cymbeis carinatis calyce paulo brevioribus, sepalis albidis lanceolatis prope basim unguiculato-

angustatis, *corolla cinereo- et fulvido-albida inferne carnosa*, fauce tenuiter barbata, lobis glabris, *antheris linearibus liberis filamento angusto pæne æquilongis quocum glabris*, stylo longiusculo sursum leniter incrassato glabro, stigmate haud dilatato, seminibus majusculis paucis clathratis.

In tergis altis rupestribus montium Stirling's Range. F. M.

Frutex usque ad 10′ altus, inferne simplex, superne ramosus. Ramuli haud annulati. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa, conferta, rigida, patentia, basi irregulariter frangentia. Capitula terminalia v. ætate alaria. Bracteæ unciales v. breviores, saltem inferne albidæ; acumen sæpe virens. Bracteolæ 3–4‴ longæ. Sepala glabra, leniter imbricata, inferne fulvida. Corolla calycem æquans; lobi tubo longiores, anguste semilanceolati. Antheræ basifixæ, sesquilineares. Filamenta cum connectivo continua. Discus hypogynus dentatus. Capsula depresso-globosa, 1‴ alta; valvæ conspicue ultra columellam productæ. Semina $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ longa, brunnea.

Species plurimis notis accedit ad S. colosseam.

Color calycis et præcipue corollæ bonas dat notas pro distinctione Sprengeliarum specifica. In speciebus tribus observavi corollam amœnissime pureque cœruleam, dum in duabus sepala rosea et in tertia specie sepala albida reperiuntur. In quarta et quinta specie me observata tam calyx quam corolla roseo erubescunt. In sexta corolla rosea, calyx magis virens. In septima circum montes Stirlingii occurrente sepala coccinea et corolla intense rubra sunt. In S. patricia sepala alba v. cremorea notavimus, dum corolla colorem mixtum inter fulvum album et cinereum assumit. In S. incarnata sepala iterum rosea occurrunt. In aliis omnibus congeneribus color floris statu recente adhuc investigandus est.

Epacris pungens (Cav. Ic. 346 ; Lysinema pungens, Br. Pr. 551) medium tenet inter Epacrides et Lysinemata. Placentæ breves basim columellæ occupant. Semina pauca maturant. Gemmulæ in loculis non numerosæ. His notis ad Sprengeliæ sectionem Andersoniam accedit, paulo etiam ad Archeriam.

Stypheliæ Michiei (Michieæ symphyantheræ) varietatem linophyllam, foliis lanceolato- v. lineari-oblongis sparsis, J. Drummond sub num. 303 distribuit.

Proteaceæ.

Carnarvonia.

Flores bisexuales, racemoso-paniculati, involucro destituti. Sepala 4 fere æqualia, demum vage revoluta. Stamina 4. Filamenta sepalis adnata, apice libera. Antheræ oblongo-lineares, apiculatæ, basifixæ, introrsum longitudinaliter dehiscentes. *Glandulæ hypogynæ nullæ.* Stylus brevis, subulatus, deciduus. *Stigma minutum, terminale*, acutum. Germen uniloculatum, bigemmulatum. *Carpidium lignoso-crustaceum, bivalve*, oblique ellipsoideum, sur-

sum acutatum, dispermum. *Semina sursum longe alata.* Ala pallida, obtusa. Raphe ultra medium alæ per ejus partem posteriorem adscendens et secus marginem interiorem inferne descendens.

Arbuscula Australiæ orientalis intratropicæ, *foliis longe petiolatis quinato-foliolatis* v. passim 3–4-foliolatis v. rachi superne extensa pinnatis, foliolis repando-serratis v. integerrimis, stomatibus hypogeuis, *floribus parvis sparsis geminisque*, fructibus brevi-stipitatis lævibus.

Genus foliatione sicut glandularum absentia satis eximium, Heliciæ proximum, valvatione et consistentia capsulæ jam Grevilleæ accedens, alis et raphe potius Telopeæ comparandum, dicavi prænobili Comiti de Carnarvon, coloniarum imperii Britannici generoso doctoque fautori.

Carnarvonia aralifolia.

In silvis montium circum sinum Rockingham's Bay. J. Dallachy.

Arbor parva, jam statu fruticoso florigera, forsan autem ætate excelsior. Ramuli cum foliis glabri. Petioli sparsi, teretes, sæpe semipedales. Foliola coriacea, utplurimum 2–5″ longa, 1½–2½″ lata, frequentius acuta quam obtusa, valide uninervia, prominenter et distanter pennivenia, reticulari-venulosa, inferiora ceteris sæpe minora. Petioluli unciales v. sæpe breviores. Paniculæ axillares, sericeo- v. hispidulo-pubescentes, 1–3 unciales, pedunculo æquilongo v. breviore præditæ. Pedicelli florigeri tenues, 1–3‴ longi. Bracteæ perbreves, angustæ, deciduæ. Sepala 1½–2‴ longa, intus glabra, albida. Antheræ semilineam paulo excedentes. Stylus vix 1″ longus, cum germine glaber. Fructus ample paniculati, sesquiunciales. Semina prope basim ad latus anterius fixa, planoconvexa, vix semuncialia, apice truncata, hinc alam pæne pollicarem producentia. Raphe alam excentrice ad dodrantem percurrens, tunc subito secus marginem descendens. Pellicula nulla seminibus interposita. Embryo perfectus nondum repertus.

Juncagineæ.

Triglochin mucronata.

R. Br. Pr. 343.

Annua, radice fibrosa, foliis teretiusculis tenuibus, pedunculis 1–2-floris v. frequentius spicate pluri- v. paucifloris, *floribus inferioribus plerisque monandris, terminali triandro,* carpidiis 3 sterilibus tenuibus acutis astigmaticis, 3 fertilibus ex apice truncato lateraliter mucronulari-apiculatis.

A portu Phillipi usque ad flumen cygnorum.

Folia 6-uncialia v. breviora, circiter 1‴ crassa. Sepala 3 majora carpidiis sterilibus opposita, orbiculari-ovata v. orbiculata, fere ½‴ longa ; 3 minora lanceolato-ovata, carpidiis fertilibus opposita.

Antheræ cordato-renatæ, flavæ, $\frac{1}{2}'''$ metientes, filamento perbrevi deltoideo plano membraneo insidentes; una alterave passim minor et haud bene evoluta. Stigmata papilloso-barbata. Carpidia $1\frac{1}{2}'''$ longa; sterilia dorso obtusa, fertilia superne $\frac{2}{3}'''$ lata.

Huc forsan pertinent T. calcarata, Hook. Ic. cdxvi. et certe T. Neesii, Endl. in Lehm. Pl. Preiss. ii. 54.

Triglochin nana.

F. M. in Transact. Vict. Inst. i. 135; in Hook. Kew. Misc. 1856, p. 332.

Annua, pumila, radice fibrosa, foliis setaceo-filiformibus supra basim membraneo-dilatatam stipulari-bilacinulatis, pedunculis tenui-filiformibus racemoso-plurifloris passim paucifloris rarissime tantum florem unicum gerentibus, *floribus inferioribus trisepalis monandris*, flore terminali hexandro, sepalis minutis basi breviter productis, *carpidiis tribus tenuibus sagittato-subulatis.*

In rupibus muscosis præsertim irriguis a portu Phillipi usque in Australiam occidentalem et in Tasmania.

Herbula uni- usque paucipollicaris. Folia $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longa. Florum inferiorum sepalum exterius ovatum, acutum, circiter semilineam longum, antheram suffulciens; sepala 2 lateralia minora, magis lanceolata; sepala floris supremi 3 exteriora et 3 interiora altius et demissius inserta, iis florum imorum conformia. Antheræ renatæ, flavæ, fere sessiles, $\frac{1}{3}'''$ latæ; 3 exteriores interioribus præcociores. Stigmata perminuta, hyaline papilluloso-barbata. Pedicelli fructiferi $2''$ longi v. breviores. Carpidia columellæ persistenti angustissime tripteræ pertenui longitudinaliter adnata, sesquilineam longa, in fructum trigono-cylindraceum lenissime pyramidatum conjuncta. Semen cylindraceum, inferne leniter incrassatum, e basi cavitatis glaberrimæ carpidii erectum.

Cum hac conspecifica est T. centrocarpa, J. Hk. Fl. Tasm. ii. 40, saltem quod plantam Tasmanicam attinet, dum vera stirps (Hook. Ic. 728) pedicellis crassis perbrevibus recedit. Hanc plantam typicam non habeo nisi e collectione Drummondi.

Triglochin calcitrapa (Hook. Icon. 731) provenit, me ipso observante, in collibus basalticis ad bases septemtrionales montium Stirlingii. Planta ibi collecta ostendit calcaria fructus breviora et pedicellos longiores. Limites systematici inter omnes hasce plantas denuo trahendi. Sic etiam occurrit quædam Triglochin, me sub nomine T. minutissimæ distributa, quæ a formis minimis et gracillimis T. nanæ jam dignoscitur fructibus pertenuibus fere sessilibus. Cum T. nana eam consociatam vidi ad portum Phillipi, ad montes Stirlingii, ad flumen Murrayi. Ab hac facillime discerni potest T. trichophora (Nees in Lehm. Pl. Pr. ii. 54) jam propter fructum turgidulum separanda; præterea hæc ultima sæpe multo robustior est. Planta Preissii 2409 est T. minutissima. Forsan omnes hæ plantæ confluunt, sed flores egent adhuc comparatione.

Triglochin striata (Ruiz et Pavon, Fl. Peruv. et Chil. iii. 73), ad quam præcl. Fr. Buchenau T. decipientem et T. filifoliam optime ducit, ample inhabitat Australiam extratropicalem. Stolones aget.

Triglochin procera (R. Br. Pr. 343; J. Hook. Fl. Tasm. ii. 40; T. linearis, Endl. in Lehm. Pl. Pr. ii. 54; Cycnogeton Huegelii, Endl. in Annal. des Wien. Mus. ii. 210; C. linearis, Sond. in Linnæa xxviii. 225) occupat fere aquas omnes Australiæ extratropicæ. Ob notam ut videtur non constantem de ovulis geminis non excludi potest e genere, quum etiam T. trichophorum gemmulam alteram produceat. Tubera edulia nativis avide quæsita. Secessio frequens carpidiorum Triglochin dubiam ad Scheuchzeriam approximat. Ceteris autem notis, si numerum ternum carpidiorum excipias, vix distinguenda est a T. procera. Hæc species seu varietas eleuthrocarpa occurrit ad flumen Murrayi, ad portum Gregorii, ad sinum Rockinghami, ad rivum Tweed, in terra Arnhemi, præsertim in lacunis exsiccantibus. Numerus carpidiorum saltem evolutorum in eadem spica variat. Maundia triglochinoides fortasse formam extimam Triglochinis sistit et tunc T. Maundii nominari potuit.

Orchideæ.

Glossodia Brunonis.

Endlich. Decad. 20; Lindl. Gen. et Spec. Orchid. 424.

Caule 1–2-floro glanduloso-pubescente et inferne villis articulatis consperso, folio oblongo- v. lineari-lanceolato glanduloso-pubescente, *floribus* cyaneis v. purpureis *intus valde lucentibus extus ex albido et purpureo variegatis* maculatisque, columna in petalum spurium cymbeo-ovatum antheram superans dorso glanduloso-pubescens dilatata, labello subulato-lineari apicem versus pallescente et infracto sepalis multoties breviore, *appendice bisecta, segmentis angulato-subulatis obtusis nigris basi flavis* parallelis labellum æquantibus.

In tota Australia occidentali frequens saltem a sinu regis Georgii usque ad montes Stirling's Range et flumen cygnorum. F. M.

Caladenia flava.

R. Br. Pr. 324; Lindl. Sp. et Gen. Orchid. 418.

Folio angusto- v. elongato-lanceolato cum scapo glanduloso-pubescente atque articulato-villoso, scapo 1–3-floro folium vix æquante, *sepalis* ovato-lanceolatis sensim acutatis *inferioribus duobus flavis longioribus, ceteris labelloque superne albidis inferne flavis rubro-striatis* tinctisve, labello sepalis inferis fere triplo breviore, lobis lateralibus falcato-semilanceolatis, lobo medio utrinque paucifimbriato ad apicem semilanceolatum eglandulosum porrectum integerrimo, glandulis in callo basali biseriatis luteis subulatis, columna labellum vix semiæquante cymbeo-ovata flava

integerrima longitudinaliter bicostulata, rostro antheræ subulato elongato, polliniis bipartitis.

In Australia occidentali extratropica ample distributa, locos arenosos præcipue quærens. F. M.

Thelymitra ovata.

Glabra, *folio radicali ovato* v. lanceolato-ovato, caule folium aliquoties pluriesve superante 1–2-bracteato racemoso-paucifloro passim multi- v. unifloro, *floribus intus pure intenseque cæruleis* immaculatis, labello sepalis fere duplo angustiore, *columna* vix trientem calycis superante cærulea *lobis lateralibus violaceo-penicillatis*, lobo medio vertice papillis inferne cyaneis superne flavis onusto antice flavo bidentato, anthera breviter rostrata.

In ericetis pone sinum regis Georgii tertii. F. M.

Appendices penicillares offerunt bonos discriminationis characteres; sunt enim in diversis speciebus albæ, flavidæ, aurantiacæ, violaceæ.

GRAMINEÆ.

Vilfa actinoclada.

Agrostis actinoclada, F. M. coll.

Foliis planiusculis margine scabris, ore petioli ciliolato, *panicula e spicis verticillatis constante*, flosculis minutis, gluma interiore acuta exteriorem conspicue superante.

Ad rivum Sturt's Creek Australiæ centralis. F. M.

Gramen circiter ulnare. Folia ad 2‴ lata. Paniculæ pauci- v. pluripollicares, ramis capillaribus patentibus, quorum plurimi verticillati, aliquot autem sparsi, omnes læves. Flosculi linea breviores.

Vilfa diandra (Trin. Agrost. i. 38; V. ioclados, Steud. Glum. 156) a territorio Arnhemico usque ad sinum Moreton-Bay extendit, locos humidos semiaquaticos amans. Sub hujus speciei varietate tenella minore forsan Sporobolus pulchellus et S. pallidus comprehenduntur.

Vilfa Virginica (Beauv. Agrost. 16; V. Matrella, Steud. Glum. 153; Agrostis Virginica, Labill. Nov. Holl. Pl. Spec. i. 20, t. 23) in tractibus imprimis litoralibus totius Australiæ extratropicæ occurrit.

Vilfa Capensis (Beauv. Agrost. p. 16; V. elongata, Trin. Uniflor. 154; Sporobolus elongatus, R. Br. Pr. 170) a portu Jacksonii ad Novam Angliam et circulum capricornu vergit. Veri limites specifici hujus plantæ sicut aliarum congenerum adhuc amplius investigandi. Eandem vel similem vidi ad sinum regis Georgii.

Vilfa Indica (Beauv. Agrost. t. vi. fig. 11; Sporobolus Indicus, R. Br. Pr. 170) per Australiam orientalem et borealem diffusa est. Occurrit etiam ad flumen Murray's River. Hæc cum antecedente prorsus confluere videtur.

Agrostis parviflora a sinu Portland-Bay usque ad montes Buffalo-Range et ad alpes Australiæ extendit. Leichhardtio etiam collecta fuit in Neo-Cambria.

Centotheca lappacea inhabitat Australiæ regiones tropicas e. g. prope Rockingham's Bay.

Chloris barbata ad flumen Stephenson's River provenit observante J. M. Stuart.

Chloris truncata a sinu Sti. Vincentii et portu Phillipi in Novam Angliam migrat. Longitudo et numerus spicarum valde variant; spicæ in varietate brachydactyla tantum 1–1½″ longæ.

C. ventricosa extendit a portu Jacksonii ad circulum capricornu. Spicæ 3–7.

C. divaricata (cui adscribendæ C. digitata, Steud. Glum. 207; C. Moorei, F. M. in Linnæa, xxv.; C. acicularis, Lindl. in Mitch. Trop. Austr. 33; Gymnopogon digitatus, Nees), a sinu Sti. Vincenti ad rivum Sturt's Creek itaque per Australiam centralem extendit. Os petioli imberbe v. barbatum.

Vidi tamen plantam nondum ex Australia occidentali, unde ne quidem ullam congenerem cognosco. C. sclerantha e brevissima definitione recognosci nequit.

Præterea species Chloridis, Brownio haud annotata, glumis latis scariosis insignis, in amplo tractu a terra Arnhemica usque ad flumen Dawsoni invenitur. Huic nomen Chloridis scariosæ attribuendum.

Rottbœllia formosa crescit in variis locis terræ Arnhemicæ. Ophiurus corymbosus reperitur a fluvio Victoriæ usque ad urbem Rockhampton, e speciminibus Thozetio aliisque benigne mecum communicatis.

Festuca Billardierii (Steud. Glum. 304; F. scabra, Labill. Nov. Holl. Plant. Spec. t. 26 non Lagasca) in Australia orientali saltem usque ad flumen Burnettii, in Australia occidentali saltem usque ad flumen Murchisonii extendit.

Festuca pectinata, antecedenti arcte propinqua, quasi transitum ad Tritici sectionem Agropyrum format. Provenit ab Australia felice usque ad sinum Moreton's Bay; adscendit quoque regiones nostrarum alpium glaciales.

Festucam ovinam notavi in montibus alpinis Barkly-Range.

Festuca bromoides est civis regni plantarum Australiæ haud indigena, sed immigrata et propter statum jam ante æstatem emarcidum haud exoptata.

Helopus annulatus (Nees in Kunth. Enum. i. 73; Steud. Syn. Glumac. i. 99; Paspalum annulatum, Fluegg. Monogr. 113; Milium punctatum, Linn. Amœn. Acad. v. 392; Eriochloa punctata, Hamilt. Prodr. 5) fluviis Gwydir et Castlereagh's River per Australiam tropicam vergit.

Poa (*Glyceria*) *ramigera*, quæ modo crescendi bambusaceo præ omnibus insignis non solum secus ripas et in stagnis Australiæ

orientalis interioris Muehlenbeckiam Cunninghami comitat, sed etiam in Australiam occidentalem migrat. Conf. coll. Drummondi 387.

Poa annua in locis fere omnibus occupatis nunc vulgata est.

Neurachne alopecuroides a fluminibus Darling's et Murray's River ad oras occidentalis extendit.

Neurachne Mitchelliana (Nees in Hook. Lond. Journ. ii. 411) crescit in tractu montium Barrier-Range.

Neurachne paradoxa (R. Br. in Sturt's Centr. Austr. App. pag. 89) locos plures in deserto ad flumina Marray's et Darling's River occupat.

Diplopogon setaceus nondum extra Australiam occidentalem inventus est. Idem de Amphipogone laguroide et A. turbinato dicendum.

Bambusa arundinacea, nisi species affinis, nascitur ad flumen South Alligator-River (Leichhardt), ad flumina Adelaide's et Daly's River (Hulls).

Lepturus repens ab amicissimo et erudito Guil. Woolls repertus est ad portum Jacksonii.

Panicum gracile, P. decompositum et pauca alia extendunt in Australiam occidentalem.

Thuarea sarmentosa (Pers. Encheirid. i. 110) est tractus juxta sinum Rockinghami jacentis incola.

Agrostis canina (L. Sp. Pl. 92) habitat in alpibus Australiæ.

Festuca viscida (F. M. Veg. Chath. Isl. 59) occurrit in districtu Maranoæ, reperiente Leichhardtio.

Jasmineæ.

Jasminum Forstenii.

Blume Mus. Bot. Ludg. i. 277.

Foliis oppositis glabris unifoliolatis brevissime petiolatis, *foliolo ovato acuminato*, *floribus* 6–8-*meris confertis*, *calycis parvi laciniis setaceis tubo longioribus*, corollæ tubo lobis limbi acuminatis vix dimidio v. paulo longiore calycem ter v. aliquoties excedente.

In insula Brook Island. In silvis ad sinum Rockingham's Bay ; Dallachy. Ad promontorium Cape York ; Dæmel. Ad sinum Adam's Bay ; Hulls.

Frutex altissime scandens. Rami fere glabri v. passim pubescentes. Fóliolum $1\frac{1}{2}$–3″ longum et 1–$1\frac{1}{2}$″ latum, petiolulo 2–3‴ longo prædítum. Cymæ fasciculares, ramulos terminantes, pauci- v. plurifloræ, breviter pedunculatæ. Pedicelli breves v. brevissimi. Laciniæ calycis sesquilineares v. breviores. Corollæ lobi circiter 4‴ longi. Bacca didyma ; pars altera sæpe abortiva ; pars maturans globoso-ovata, circiter 4‴ alta.

Planta evidenter variabilis, ad cujus varietatem pubescentem forsan trahenda J. æmulum, Br. Pr. 521, J. subelongatum, Bl. l. c., J. ligustrinum, Bl. l. c. et forsan plura alia hactenus ægre definita. Nostra etiam planta summam affinitatem demonstrat ad J. scandens, J. undulatum, J. syringifolium et J. pubescens.

J. gracile (Andr. Rep. 127 ; J. acuminatum, R. Br. Pr. 521) provenit saltim a rivo Hastingii usque ad sinum Rockinghami. Bacca ut plerorumque nigra.

J. molle (Br. Pr. 521) in terra Arnhemi et circum sinum Carpentarium occurrit.

J. suavissimum cognosco e Nova Anglia, a fluvio Dawsoni aliisque locis Australiæ orientalis capricornicæ, a fluvio Clarencei, a sinu Moretonii, ab urbe Ipswich.

J. calcarium, Drummondio sub 136 collectionis ultimæ distributum, habitat ad flumen Murchisonii, sinum Champion's Bay, nec non in Australia centrali, unde a J. Macd. Stuart allatum.

J. racemosum extendit, quantum scimus, a portu Denisonii et fluvio Flindersii (Sutherland) ad Armadillam (Barton) et flumen Suttori.

J. lineare amplum deserti tractum occupat ad fluvios Murrayi, Lachlani et Darlingii, ad regiones pone sinum Carpentariæ, ad rivum Sturtii et ad sinum Nicholii.

J. divaricatum cognitum est a Rockhampton (O'Shanesy), Curtis's Island (Thozet), Escape Cliffs (Hulls), Quail-Island (Flood), Moreton's Bay (F. M.).

J. Dallachii habeo solummodo a sinu Rockinghami.

Una alterave species alia imperfecte exstat in nostro Museo Australiano.

Acanthaceæ.

Graptophyllum Earlii.

Thyrsacanthus Earlii, F. M. coll. ; Earlia excelsa, F. M. Fragm. iii. 160.

Elatum, foliis chartaceo-coriaceis oblongo- v. ovato-lanceolatis integerrimis v. minute denticulatis v. late ovatis longius dentatis, tubo corollæ amplo, *staminibus quatuor, duobus anantheris*, capsula basim versus contracta et solida.

In silvis montanis urbi Rockhampton proximis ; Thozet et Dallachy. Ad portum Mackayi ; Nernst.

De forma primaria in opere indicato egi. Sed varietatem secundariam (ilicifoliam), quæ vix specifice divellenda, nuper attulit J. Nernst. Folia hujus longitudinem 3″ et latitudinem $1\frac{2}{3}$″ attinent et coriacea evadunt. Utraque varietas aut species gaudet tubo corollæ ampliore quam illud Graptophyllum, quod cl. Seemann ex insulis Feejeanis communicabat ; hæc planta igitur *siphonostena* saltem varietatis jure separari queat. Icon Graptophylli hortensis opere Bot. Reg. 1227 promulgata tubum corollæ ampliorem ostendit.

Amicus prædoctus Th. Anderson in dissertatione sua eximia de Acanthaceis Indicis (Journal of the Linnean Society 1867, 425–526), dum genera e materiis ditissimis refudit, in Hygrophilis stamina tam duo quam quatuor admisit. Secundum eandem normam nunc genus Earliæ supprimo. Soliditas tamen capsula basalis nostram plantam in cohortem Justiciearum movit. Ceterum stirps nostra eodem jure ad Thyrsacanthum, adspectu haud dissimilem trahi possit, etiamsi Thyrsacanthus Indicus locum inter Asystasias bene accepit. Dispositio Acanthacearum totius mundi, quam Neesius verbis admodum elegantibus logicisque efficit, si materias viro lucido et sedulissimo offertas contemplavimus, semper miranda manet.

A *Nelsonia campestri* (Br. Pr. 480; Endl. Iconogr. 79), quæ in Australia septentrionali haud infrequens, Nelsoniam tomentosam fortasse haud specifice removere possumus.

Ebermaiera glauca (Nees in Cand. Prodr. xi. 73) viget in terra Arnhemica.

Hygrophila angustifolia obvenit per magnam Australiæ orientalis partem.

Dicliptera armata.

Herbacea, *foliis angusto- v. lineari-lanceolatis* breviter petiolatis, umbellis verticillato-capitatis, *bracteis basalibus lineari-subulatis pungentibus, valvaribus rotundo-rhombeis* mucronato-acuminatis, capsula disperma, seminibus lævibus.

Ad originem fluvii Victoriæ, nec non ad rivum Stirling's Creek; F. M. Ad flumen Glenelg's River; J. Martin (46).

Herba forsan annua, pluripedalis, debilis, erecta. Radix albida, contorta v. flexuosa, fibrillas longas tenuissimas producens. Caulis opposite ramosus, cum ramis prominule sexangulatus, lævis, glaber, basi interdum procumbens et radicans. Folia in geniculis opposita, tenera, saltem basin versus cum petiolis pilosula, 1–3″ longa, 2–6‴ lata, margine scabriuscula. Umbellæ compositæ fasciculares, axillares et terminales; interiores breviter, exteriores brevissime pedunculatæ, bracteis usque ad 4‴ longis patentissimis armatæ. Umbellulæ bracteis 2 valvaribus involucellatæ, binæ usque quinæ, subsessiles, uni–trifloræ, flore unico tantum evoluto, secundo tertioque rudimentoriis, rarissime perfectis. Bracteæ involucellum constituentes appressæ, planiusculæ, 4–6‴ metientes, venis anastomosantibus percursæ, uninerviæ, extus glandulis conspersæ et brevissime pubescentes, intus fere glabræ, margine parce ciliatæ. Calyx 5-partitus, breve et dense glanduloso-pubescens, $1\frac{1}{2}$‴ longus, brevissime pedicellatus, basi bibracteolatus; laciniæ erectæ, lineari-subulatæ; infima paulo major. Bracteolæ lineari-setaceæ, linea breviores. Corolla saturatius rosea, torsione resupinata, bilabiata; labium resupinatione superum adscendens, semipollicare, 3‴ latum, fere ovatum, inferne sensim angustatum, apice recurvum et breviter

obtuseque tridentatum, extus parce glanduloso-pilosulum, intus glabrum et saturate rubro-maculatum. Labium resupinatione inferum supero æquilongum, fere horizontale, extus intusque glabrum, ovato-rhombeum, indivisum. Tubus corollæ albus, circa 4‴ longus, extus perparum puberulus, intus glaber. Stamina duo, fauci inserta, horizontalia. Filamenta capillaria, pæne glabra, circiter 4‴ longa, inferne alba, superne purpurascentia. Antheræ biloculares, glabræ; loculi oblongi, rubri, imberbes, mutici, $\frac{1}{2}$‴ longi, superpositi; inferior paulo brevior. Pollen flavum. Stylus glaber, capillaris, purpureus, stamina paulo superans. Stigma minutum, emarginatum. Perigynium album, semi-ambiens, sinuato-dentigerum, glabrum. Capsula rotunda, leniter compressa, puberula, brevissime acuminata, basi breviter attenuata, circiter 2‴ longa, elastice dissiliens, tantum semina 2 v. passim 1 maturans. Semina late ovata, 1‴ vix longiora, nitidula, nigra, albido-variegata, retinaculata. Dissepimentum liberum, incompletum.

Species propter involucellorum formam ad D. bivalvem vergit, aliis notis diversissima. Speciem æqualiter lato-valvatam aliis autem notis dissimilem misit cl. Pancher e Nova Caledonia.

Dicliptera racemifica.

Herbacea, *foliis ovato- v. elongato-lanceolatis* longe petiolatis, umbellulis in racemos dispositis, *bracteis basalibus lineari- v. setaceo-subulatis, valvaribus in setam excurrentibus* pubescentibus altera ovata altera lanceolata, corolla breviuscula, capsula disperma, seminibus asperulis.

Ad promontorium Cape York. Dæmel.

Herba fortasse annua, 1–1$\frac{1}{2}$′. Folia 1–2″ longa, $\frac{1}{2}$–1″ lata. Umbellulæ breviter pedunculatæ, ad basim biaculeatæ, racemos pluripollicares v. breviores axillares et terminales foliatos fingentes. Bracteæ valvares 2 inæquales, basi acutatæ, flores duos v. unicum includentes. Calyx parvus, profunde quinquepartitus, basi bracteolis 2 setaceis donatus; laciniæ lineari-setaceæ. Corolla vix semipollicaris, statu bene evoluto non visa. Stamina 2 inclusa. Antheræ post fœcundationem divaricatæ; valvæ expansæ orbiculares, $\frac{1}{4}$‴ longæ. Stylus 3–4‴ longus, tenuissime capillaris. Capsula ovato-orbiculata, compressa, tenui-pubescens, vix ultra lineam longa, brevissime stipitata et rostellata; valvæ membraneæ, cymbeæ, inferne a replo cedentes. Semina fusca, orbicularia, valde compressa, $\frac{1}{3}$‴ metientia. Retinacula arcuata.

D. maculatæ approximanda.

Justicia hygrophiloides.

(Sect. Adhatoda.)

Ramis brevi-pubescentibus, foliis ovato-lanceolatis in petiolum breviusculum v. brevissimum angustatis repandulis fere glabris,

floribus in pedunculo axillari brevissimo binis ternisve, bracteis rhombeo-obcordatis bilobis complicatis, bracteolis perminutis semilanceolatis, corollæ tubo laciniis calycis lineari-subulatis paulo breviore labiis æquilongo, labio supero semilanceolato minutim bidentato, *labio infero breviter atque fere æqualiter obtuso-tridentato*, staminibus corolla paulo brevioribus, capsula calycem æquante ellipsoidea acuta, seminibus rugoso-asperulis.

Per silvas Australiæ orientalis a fluvio Clarence's River usque ad promontorium Cape York.

Fructiculus 2–3′. Folia pleraque $1\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}$″ longa, pollicem lata v. angustiora, subtus minus saturate virentia. Fasciculi florum in axillis solitarii, gemini v. terni, quasi verticillum struentes. Bracteæ sæpe semunciales, foliaceæ, parum pilosulæ. Calyces profundi 5-partiti, 3–4″ longi. Corolla albida, fere semiuncialis, prope staminum insertionem barbellata ; tubus plicis duabus e labio infero intrusus, ad faucem flabellari-venosus ; dentes labii inferi vix lineam metientes. Stamina duo. Antherarum loculi oblique superpositi ; inferior appendiculatus. Stylus fere 4‴ longus, setaceus, pæne glaber. Capsula tetrasperma, circiter $\frac{1}{3}$‴ longa, triente parte inferiore solida et hinc non valde contracta. Semina orbiculari-deltoidea, fulvida, leniter granulata.

Justicia eranthemoides.

Ramulis tomentellis, foliis oblongo-lanceolatis e basi obtusa conspicue petiolatis in apicem sensim longe angustatis repandulis subtus piloso-scabridis, *paniculis terminalibus aphyllis glanduloso-pubescentibus*, *bracteis minutis lineari-subulatis*, corollæ tubo sursum ampliato laciniis calycis setaceo-subulatis duplo longiore longitudinem labiorum excedente, *labio infero vix medio tenus trifido*, lobis lateralibus semioblongis, medio semiovato, labio superiore obtuse bilobato, staminibus corolla conspicue brevioribus, capsula calycem ter superante clavato acutiuscula, seminibus rugatis.

Ad flumen Tweed. Carron & Moore.

Folia in specimine plantæ unico manco mecum communicato $1\frac{1}{2}$–3″ longa, $\frac{1}{2}$–1″ lata, petiolo semipollicari v. breviore prædita. Paniculæ conspicue pedunculatæ, dichotomæ. Bracteæ et bracteolæ vix 1‴ longæ. Pedicelli circa lineam longi. Calyces profunde divisi, circiter 2‴ metientes. Corolla alba, vix semiuncialis, extus glabra. Stamina 2. Filamenta perangusta. Antheræ muticæ, loculus alter super alterum situs, non distincte appendiculatæ. Stylus capillaris, $1\frac{1}{2}$–2‴ longus. Capsula gracilis, semipollicaris, in unguem solidum longiuscule contracta, tetrasperma. Semina omnino maturata nondum nota.

Plantæ positio generica nondum certa.

Justicia cavernarum.

Ramulis hirsuto-pubescentibus, foliis lato- v. cordato-ovatis conspicue petiolatis parce hirsuto-pilosis, *pedunculis folia æquantibus v. superantibus birameis* v. simplicibus, bracteis minutis linearisubulatis, floribus paucis in apice pedunculi v. ejusdem ramulorum confertis, calycis divisionibus lineari-setaceis, *corolla parva extus pubescente,* antherarum loculo altero conspicue calcarato, stylo glabro.

In cavernis montium prope urbem Rockhampton, Thozet (485), ubi etiam Ophioglossi vulgati varietas foliis elongatis angustissimis occurrit.

Fructiculus indecorus, statu incipiente florescentiæ tantummodo visus. Folia 1–1½″ longa, satis tenera, subito in petiolum abeuntia. Pedunculi pubescentes; primarii ⅔–1½″ longi; secundarii pollicares v. breviores. Bracteæ et bracteolæ vix 1‴ longæ. Calycis segmenta sesqui-linearia. Corolla intus glabra. Stamina 2. Antherarum loculi ovati. Stylus setaceus, circa 3‴ longus. Fructus ignotus.

Justicia procumbens (Linné, Fl. Zeil. 19) a montibus Flindersii et a flumine Darlingii in Australiam borealem vergit. Hæc planta includit Justiciam junceam, J. mediam, J. adscendentem, R. Br. Pr. 476.

Thunbergia alata nisi species proxime affinis detecta fuit prope Rockhampton ab amico Thozet.

Ruellia australis, abs qua R. pumilio et R. acaulis specifice non separandæ, mire habitu et florum magnitudine variat. Nascitur a vicinia portus Jacksonii usque ad Maranoam et flumen Gilberti.

Ruellia bracteata ample crescit per Australiam orientalem imprimis calidiorem, et ab hinc usque ad Australiam centralem. Huic adducendus est Dipteracanthus Australasicus (F. M. in Append. ad Gregor. Exped. 1859, p. 8) etiamsi illustratio Endlicheriana (Iconogr. 104) non omnino nostræ stirpi respondit.

Eranthemum variabile frequens est per tractus litorales Australiæ orientalis usque ad originam fluvii Lynd's River.

Brochosiphon australis e descriptione ad Diclipteram referendus est.

Stylideæ.

Stylidium bryoides.

(Sect. Nitrangium.)

Pumilum, *foliis parvis lineari-lanceolatis mucronulatis rosulato-confertis* caulem perbrevem terminantibus vel verticillum alterum densum radicalem formantibus, *scapis numerosis capillaribus uniforis* glabris folia longe superantibus, calycis labiis brevissimis, altero semioblongo bidentato, altero in lobos tres perangustos diviso, columna perbrevi, capsula tenui-cylindracea.

In locis udis ad sinum Rockingham's Bay. Dallachy.

Plantula e longinquo Bryum simulans. Folia in verticillis uno duobusve numerosa, pleraque 2–3‴ longa, acuta, ½–⅔‴ lata, margine scabra. Scapi tenuissimi, læves, nudi, 1½–2½″ longi, Flores minuti, tantum statu emarcido noti. Lobi calycis circiter ½‴ longi. Capsula fere 3‴ longa, tantum semilineam lata, basi sensim contracta.

Accedit ad St. capillare.

Saxifrageæ.

Quintinia Fawkneri.

Foliis cuneato-oblongis apice retusis margine anguste recurvis ***integerrimis subtus argenteo-canescentibus fuscescentibus et resinoso-punctulatis*** inconspicue venosis, racemis axillaribus simplicibus, pedicellis flore brevioribus aut eidem vix æquilongis, ***calycis lobis corolla aliquoties brevioribus*** deltoideo-semiovatis, germine quinque-loculato, stigmate quinquelobo.

In silvis montium apud sinum Rockinghami. Dallachy.

Arbor, quantum nota, 60. Cortex albidus, lævis. Lignum durum, flavidum. Folia pleraque longitudine 1½–2½″ et latitudine ½–⅔″ variantia, in petiolum breviusculum sensim abeuntia ; nervus medianus subtus valde prominens. Racemi 2–3 unciales, pæne glabri, suaveolentes, multiflori, breviuscule v. breviter pedunculati. Rachis angulosa, furfuracea. Pedicelli 1–2‴ longi. Bractea ad basim pedicelli cordato-semiovata, denique decidua, vix ½‴ longa. Calyces floriferi vix lineam excellentes ; lobi tubo conspicue breviores. Petala alba, oblongo-ovata, basi cuneata et truncata, 1½–2‴ longa. Filamenta lineari-subulata, lineam longa. Antheræ expansæ, cordato-ovatæ, ¾‴ longæ. Stylus crassiuscule cylindricus, 1½‴ metiens. Stigmata patenti-recurva. Fructus ignoti.

Speciei grandi Embeliam in memoriam vocanti dabam nomen venerabilis Joannis Pascoi Fawkner, qui coloniæ Victoriæ primus fundator, ejus legislatorum senior, ejusdemque progressus circumspectus excubitor.

Indumento quasi lepidoto paginæ foliorum inferæ stirps potius Q. serratæ (A. Cunn. in Taylor's Annals of Nat. Hist. ii. 356 ; Q. elliptica, J. Hook. Fl. N. Zeal. i. 78) convenit, quam ambabus aliis Australiæ.

Proteaceæ.

Grevillea singuliflora.

(Sect. Plagiopoda.)

Fruticosa, ramulis appresso-pubescentibus, ***foliis parvis ovato-orbicularibus glabris marginatis*** ex apice retuso- v. obtuso apiculatis v. mucronulatis, ***floribus terminalibus solitariis*** passim

geminis, pedicellis pertenuibus calyci fere æquilongis cum flore glabris, calycibus saturate rubris inferne amplis et stipiti germinis elongato adnatis suprą medium subito in lacinias perangustas apice valde dilatatas solutis, glandula hypogyna omnino laterali orbiculari-hippocrepica, stylo glabro, stigmate ovato-orbiculari laterali, capsula ellipsoidea lævi acutata, seminibus apteris.

Ad rivum Dogwood-Creek Australiæ orientalis subtropicæ. Leichhardt.

Frutex ramosissimus. Folia chartacea, brevissime petiolata, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}''$ metientia, tenuiter uninervia, patentim venosa, leviter undulata, margine plana. Pedicelli pæne semunciales, ramulos fere semper solitarie terminantes, foliis occulti. Calyx semiuncialis, inferne ventricoso-tubulosus; apices gracile unguiculati antheras includentes. Germen glabrum, stipiti pæne semipollicari impositum. Stylus vix semuncialis. Stigma lineam vix æquans. Capsula statu nondum maturo visa fere semipollicaris. Semina ovalia, planiuscula.

Dispersio florum fere perfecta in hac planta normalis videtur, dum flores sparsi in Grevillea pauciflora tantum passim occurrunt.

Dryandra floribunda altitudine per congeneres regnat. Reperi enim hancce arborem 40–50′ altam in regione sinui regis Georgii proxima.

Cyperaceæ.

Heleocharis fistulosa.

Schultes. Mantiss. ii. 89; Kunth. Enum. ii. 155; Steud. Glumac. ii. 80.

Radice stolonifera, culmo elatiore angulato haud septato, ***vaginis sursum laxis membraneis apicem versus lateraliter fissis gradatim in acumen breve contractis*** nec truncatis nec foliaceo-terminatis, spica longiuscula cylindrica, glumis binis basalibus semiamplexantibus, ***glumellis laxiusculis lanceolato-oblongis*** obtusiusculis margine membraneis caryopsidem saltem semisuperantibus longitudinaliter et subtiliter multistriatis glumisque persistentibus, stylo bifido, basi ejusdem persistente tetrahedro-conica, caryopside biconvexa fuscescente pyriformi-globosa dense seriato-foveolata setis sex hypogynis retrorsum aculeolatis superata.

In vicinia sinus Moretoni. Leichhardt.

Ab hac ex inspectione præclarorum Kippist et Carruthers H. compacta longe differt statura robustiore altiore, squamis spicæ densius imbricatis aliter formatis, nempe parte exserta latioribus quam longioribus, vaginis elongatis integris subito truncatis haud membraneis. Rationibus ultime indicatis nostra planta æqualiter separatur ab Heleocharide palustre. Accedit etiam pluribus notis ad H. Sieberi a Mauritii insula et ad H. laxifloram. Planta Australiana discerni nequit a Ceylonica Thwaitesio benigne communicata. Plantam similem ni conspecificam reperi ad flumen Victoriæ.

H. sphacelata a sinu Sti. Vincenti in Australiam centralem et orientalem extendit.

H. capitata in territorio Arnhemico crebre occurrit et abhinc saltim flumine Murchisonii tenus vergit. Glumæ et glumellæ caducæ.

Orchideæ.

Dendrobium Smillieæ.

Caulibus elongatis erectis multiarticulatis teretiusculis sulcatis foliosis, foliis ovato- v. elongato-lanceolatis chartaceis, *racemis brevibus conferte multifloris*, pedicellis bracteolam semilanceolatam aliquoties superantibus, *calycibus pedicello paulo supra medium affixis*, parte infera alte saccata flavescente v. rubescente, lobo calycis supero ovato-lanceolato, lobis duobus inferioribus semiovatis, lateralibus ceteros longitudine æquantibus oblongatis, omnibus flavescentibus, *labello obovato-cuneato apice subito in lobos 2 calceolari-inflexos producto* ecarinato eglanduloso, columna longitudinaliter adnata ad calycis divisiones extendente, polliniis concavo-convexis.

In silvis montium ad sinum Rockinghami. J. Dallachy.

Caules e radice ample radicante plures v. multi, usque ulnam longi, $\frac{1}{2}$–1″ crassi. Articuli utplurimum pollicares. Folia 3–5″ longa, circiter 1″ lata. Racemi brevissime pedunculati, 2–3-pollicares. Bracteolæ scariosæ, sesquilineares v. breviores, basi nigritæ. Pedicelli tenues, semipollicares v. paulo longiores. Calyces circa $\frac{2}{3}$″ longi, ut ceteræ stirpis partes glabri ; lobi vix 2‴ excedentes ; pars inferior 3–4‴ longa, cylindrica, lenissime compressa, basi obtusa, apice contracta, et hinc solummodo fissa. Labellum calyce paulo brevius, apice nigrescens et inflexo-auriculatum. Columna apice obtusangula. Anthera biloculata, brevissime stipitata. Pollinia 2 oblique ovalia, e duobus connatis formata. Capsula immatura clavato-cylindrica, $\frac{2}{3}$″ longa.

Plantam pulchram, forma florum inter species Australiæ singularem ornavi nomine E. J. Smillie, dominæ tam generosæ quam sollerti.

Dendrobium Sumneri.

Caulibus elongatis erectis multiarticulatis teretiusculis sulcatis, foliis angusto- v. elongato-lanceolatis chartaceis, *racemis longiusculis dissite pluriflоris*, pedicellis bracteolam deltoideam concurvam aliquoties superantibus, calycibus pedicello paulo infra medium affixis roseis postice in calcar breve sacculiforme et protuberantiam glandularem productis, sepalis exterioribus semilanceolatis, *sepalis interioribus oblique orbiculari-rhombeis*, *labelli rosei trilobi sepalis æquilongi lobis lateralibus semiorbiculatis*, *lobo medio semioviliquadrato*, hoc prope basim papillulis acervulatis obsesso, columna alte adnata basi bilamellata, polliniis clavato-ellipsoideis.

In vicinia promontorii Cape York, Francisco Jardine lectum.

Caules sæpe ulnares, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}''$ crassi. Articuli 1–$1\frac{1}{2}''$ longi. Folia 3–4″ longa, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ lata. Racemi semipedales et longiores. Rachis gracilis, flexuosa. Bracteolæ superiores lineam paulo excedentes. Pedicelli circiter semipollicares. Calyces ut ceteræ stirpis partes glabri ; divisiones exteriores laterales basi late secus columnam adnatæ ; divisio suprema basim versus contracta ; divisiones interiores in basim cuneiformem angustatæ ; omnes semiunciam paulo excedentes ; pars basalis saccata protrudens, sesquilinearis, antice apicem versus glandulam collosam producens. Columna apice truncata, haud valde dilatata. Anthera mobilis, biloculata, brevissime stipitata. Pollinia 2 cerea, flava, $\frac{2}{5}'''$ longa, singula e duobus conflatis orta. Labellum membraneum, ecarinatum, vix ultra trientem divisum ; lobus medius saturatius coloratus, pulchre venosus.

Speciei amœnæ apposui nomen honoratum amici mei benignissimi Theophili Sumner; viri patrocinio suo horticulturæ hic admodum meriti.

Spathoglottis Paulinæ.

Bletia Paulinæ, F. M. coll.

Elata, glabra, *foliis prælongis late ensiformibus*, racemo elongato multifloro, bracteolis magnis oblongo-lanceolatis pedicello mox superatis, *sepalis roseis* ovato- v. angusto-lanceolatis labellum paulo superantibus, *labelli profunde tripartiti lobis lateralibus oblique cuneato-spathulatis, lobo medio lateralibus æquilongo obovato-spathulato* ad basim barbatam appendicibus duabus fere semiovatis prædito secus axin tenuiter incrassato.

In rupibus vallium humidarum prope sinum maris Rockingham's Bay ubi etiam nuperrime Sarcochilus Ceciliæ repertus. Dallachy.

Radix ex inventore magna, globosa. Folia ut caulis usque ad 4′ longa, ad 2″ lata, plicato-nervosa, in basim canaliculatam satis longam desinentia, apice sensim acutata. Bracteæ in scapo perpaucæ, longe distantes, unciales, cylindricæ, longitudinaliter clausæ, apice deltoideæ et oblique apertæ. Bracteolæ circiter $\frac{3}{4}''$ longæ et 2‴ latæ. Sepala 4–5‴ longa. Labelli lobus medius apice rotundatus v. fere truncatus, ex emarginatura apiculatus ; appendices basales apice barbellatæ. Columna labello æquilonga, lenissime arcuata, sursum leniter dilatata. Anthera cordata, imperfecte biloculata, decidua. Pollinia 8 clavata, flavida, in fasciculos 2 collecta. Capsulæ unciales, cylindraceo-ellipsoideæ, pedicello æquilongo v. longiore gracilique præditæ.

Species venusta in calidaria introducatur. Spathoglottidi plicatæ characteribus proxima, sed fide iconum Gaudichaudii et Griffithii foliis majoribus, floribus minoribus, labelli lobo supero haud prope medium constricto facile distinguenda.

Planta sit tributum amabili Paulinæ Richemond, Lutetianæ.

Hypoxideæ.

Niemeyera.

Calycis lobi 6 fere æquales, persistentes. ***Stamina duo; filamenta perbrevia; antheræ uniloculares***, erectæ, basifixæ, introrsæ, longitudinaliter dehiscentes. Stylus brevis, subulatus, stigmate minuto tridentato terminatus. Germen elongato-cylindricum, triloculatum. Gemmulæ numerosissimæ, secus placentas axillares seriatim insertæ.

Herba perennis Australiæ orientalis tropicæ, rhizomate elongato squamato, foliis gramineis in caule brevi confertis, spicis brevissime pedunculatis, floribus parvis luteis.

Genus jam staminum numero inter affinia eximium offero præclaro Doctori Felici Niemeyer, pathologo præstanti, Medicinæ in Universitate Tubingæ illustri doctoque Professori.

Niemeyera stylidioides.

Ad rivulos silvarum circum sinum Rockingham's Bay. J. Dallachy.

Planta quibusdam Stylidiis non absimilis, omnino glabra. Rhizoma tenuis, descendens, fibrillas elongatas simplices emittens. Folia semipedalia v. breviora, planiuscula, striata, lævia, circiter 2‴ lata. Spicæ inter folia emergentes, plurifloræ, quasi paniculam foliatam struentes. Bracteolæ solitariæ, semilanceolatæ, 1–1½‴ longæ. Calycis lobi 6 æquales, lineari-lanceolati, 1½–2‴ longi, tubo continui, alternatim in cornu minutum terminale producti. Antheræ 1‴ longæ, lineari-ellipsoideæ, acutiusculæ, flavæ. Stylus vix lineam longus, paulo lateralis. Fructus statu semimaturo visi, circiter 5‴ longi, linea paulo tenuiores, angulato-cylindrici, basi et apice leniter contracti.

Hypoxis hygrometrica (Lab. N. Holl. Pl. Sp. i. 82, t. 108; H. pratensis, Br. Pr. 289) extendit a Tasmania et Australia felice usque ad circulum capricornu. Antheræ sagittatæ, prope medium fixæ, lobis basalibus elongatis liberis. Nihil proprii de H. marginata scio.

Hypoxis glabella (Br. Pr. 289; H. vaginata, Schl. Linn. 1847, 568; H. pusilla, J. H. Fl. Tasm. ii. 36) invenitur per totam Australiam extratropicam. Antheræ indivisæ, basifixæ. Varietas quadriloba, floribus quadrilobis, staminibus 4, fructu biloculato, frequentissime occurrit in Australia occidentali.

Campynema lineare, quod hujus familiæ membrum, cæspites Donatiæ in vertice montis La Perousii incolit et tunc altitudinem 1–2″ non excellit. Antheræ extrorsæ, deciduæ.

Curculigo ensifolia a monte Seaview usque ad sinum Rockinghami crescit.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLIV.

Convolvulaceæ.

Ipomœa Davenporti.

Undique præter corollam *stellari-tomentosa, foliis trisectis* v. floralibus indivisis, segmentis obovatis v. rhombeis breviter stipitatis integris v. trifidis, pedunculis 1–2-floris elongatis, pedicellis bracteolas ovatas v. lanceolatas acuminatas æquantibus v. superantibus, sepalis exterioribus lanceolato-ovatis acuminatis interiora semiglabra vix excedentibus, corolla majuscula calycem ter superante genitaliis fere duplo longiore, capsula glabra.

In montibus Davenport's Range. J. M. Stuart.

Planta memorabilis, adspectu hibiscino. Tomentum canescens. Segmenta foliorum e frustulis suppetentibus 1–1½″ longa. Bracteolæ foliaceæ, semipollicares, a flore distantes. Corolla sesquiuncialis, alba. Antheræ basi bilobæ. Stigma didymum. Capsula statu maturo nondum nota.

Ipomœa Quamoclit (L. Hort. Cliff. 60; L. Sp. 227; Quamoclit vulgaris, Choisy Conv. Orient. 52) crescit sponte ad Rockhampton.

Ipomœa reptans (Poir. Encycl. iii. 460) nascitur ad Adam's Bay, Hulls; ad flumen Victoriæ, F. M.; ad rivum Capei, Bowman; ad flumen Suttoris. Herba sinensibus edulis. Corolla alba. Capsula more Limnanthemorum evalvis.

Ipomœa pes capræ (Roth. sec. Steud. Nomencl. i. 818; I. maritima, Br. Pr. 485; I. carnosa, Br. Pr. 486), a fluvio Richmond's River secus oras arenosas intratropicas usque ad sinum Nichol-Bay extendit. Caules passim C′ longi. Corolla rosea. Folia interdum oblonga. Sepala circiter semipollicaria.

Ipomœa angustifolia (Jacq. Collectan. ii. 367; I. tridentata, Roth. Catalect. Botan. ii. 19; I. denticulata, Br. Pr. 485; I. filicaulis, Blum. Bijdr. 721) a fluvio Cape's River saltim usque flumen

Glenelg's River vergit. Pedunculi passim 3-flori. Corolla ochroleuca.

Ipomœa heterophylla (Br. Pr. 487) a fluvio Maranoa ad sinum Carpentariæ et terram Arnhemicam extendit. Corolla pallide rubra. Variat foliis integerrimis et lato-ovatis, sicut profunde incisis, pedunculis uncialibus et trifloris. Planta passim jam statu biunciali flores et fructus gignit.

Ipomœa eriocarpa (Br. Pr. 484; I. sessiliflora, Roth. Nov. Plant. Spec. 117) crescit a flumine Burdekin's River usque in terram Arnhemi. Corolla alba. Capsula interdum glabra. Species pluribus notis antecedenti convenit.

Ipomœa chryseides (Edw. Bot. Reg. 270) occurrit ad flumina Alberti et Flindersii, F. M.; ad Rockingham's Bay, Dallachy. I. luteola, æquo modo corollam flavam producens, e diagnosi nostræ plantæ haud respondit.

Ipomœa palmata (Forsk. Fl. Ægypt. Arabic. 43; I. pendula, Br. Pr. 486) per silvas viget a fluvio Hunter's River (Ralston) sinu Edgecombe's Bay tenus. Segmenta foliorum basi confluentia. Specimina Ægyptiaca et Indica nostris congrua. J. Hooker huc I. tuberculatam ducit.

Ipomœa quinata (Br. Pr. 486; I. hirsuta, Br. Pr. 486) ab urbe Rockhampton usque ad Cape York extendit. Segmenta foliorum perfecte disjuncta. Sepala lougiora et magis inæqualia quam ea I. palmatæ. Corolla alba.

Ipomœa pannosa (Br. Pr. 487) nascitur circum Carpentariam et in Arnhemia. Suffrutex quadripedalis v. humilior. Pedunculi 1–3-flori. Corolla rosea.

Ipomœa Turpethum (Br. Pr. 485) e regionibus tropicis austrum versus saltem usque ad urbem Rockhampton vergit. Corolla 1–1½″ longa. Sepala ætate 1–1½″ metientia. Semina nigra, globosa, glabra. Variat foliis fere glabris. Corolla alba vel secundum Thozetium cœrulea.

Ipomœa longiflora (Br. Pr. 484, non Humb.) crescit ab urbe Rockhampton usque ad fluvium Burdekin's River, nec non in insulis litori boreali-orientali proximis. Petioli apice biglandulosi. Flores interdum paniculati. Corolla 3–4-uncialis, alba v. rosea v. ex Dallachii annotatione cœrulea. Radices tuberosæ, edules, nativis gratæ sec. Bowman. Semina magna, trigona, fusca, ad angulos lanosa. Aberrat foliis pubescentibus.

Ipomœa Coptica (Roth. Nov. Plant. Sp. 110; Convolvulus Copticus, L. Mantiss. 559; I. dissecta, Br. Pr. 487) a fluvio Burdekin's River usque ad flumen Victoriæ extendit. Corolla alba, fundo virescens. Stigmata 3 globosa, cohærentia. Huc etiam pertinet I. diversifolia.

Ipomœa paniculata (Br. Pr. 486; Batatas paniculata, Chois. Conv. Orient. 54) mihi nota est a promontorio Cape York et sinu Rockingham's Bay.

Ipomœa uniflora (Rœm. et Schult. Syst. Veg. iv. 247 ; Aniseia uniflora, Chois. Conv. Orient. 101) viget apud sinum Rockingham's Bay.

Ipomœa Nil (Roth. Catal. Botan. i. 36 ; Pharbitis Nil, Choisy Conv. Orient. 57 ; I. triloba, Thunb. Fl. Japan. 86 ; I. hederacea, Br. Pr. 486) ab urbe Rockhampton usque ad terram Arnhemicam vergit. Hinc etiam flores tam cœrulei quam rubri.

Ipomœa insularis (Steud. Nomencl. Bot. i. 817 ; Pharbitis insularis, Choisy Convolv. Orient. 57) allata est a sinu Rockinghami. Corolla sursum cœrulea.

Ipomœa purpurea (Roth. Catalect. i. 37 ; Convolvulus purpurens, L. Sp. Pl. 219 ; Pharbitis hispida, Choisy Conv. Orient. 56) mihi transmissa est ex interiore Australiæ orientalis, ubi nunc sponte crescere dicitur ; e. g. Curriwillinghi, Dalton ; Yandilla, Lau. Ex ultimo loco habeo varietatem foliis trilobis et floribus solitariis. Eandem vel simillimam speciem sepalis glaberrimis detexit haud procul a fluvio Darlingii cl. Neilson.

Ipomœa plebeja (Br. Pr. 484) obvenit ad Moreton Bay, ab hinc ad capricornu extendens. Corolla semipollicem paulo excedens. Planta a Choisy ad veros Convolvulos trahitur.

Ipomœa gracilis (Br. Pr. 484) ad sinum Rockingham's Bay et flumen Bowen's River inventa. Folia iis I, cymosæ similia ; lobi postici non raro rotundati ; apex petioli biglandulosus. Capsula glabra, mox globosa. Semina ad umbilicum dense barbata, aliunde imberbia. Sepala lanceolato-ovata v. lanceolata, 4–6‴ longa, acuta, sæpe asperata. Pedunculi 1–2-flori. Corolla rosea, biuncialis. Hujus speciei varietas *sagittata* producit folia sagittiformia, lobis posticis elongatis passim perangustis. Occurrit monente Dallachio corollis roseis, flavis et cœruleis.

Exstant in museo meo aliquot Ipomœæ ab omnibus enumeratis specifice diversæ. Harum una, ad sinum Rockingham's Bay collecta, congruit I. litorali Thwaitesii, quæ autem a legitima planta Blumei recedit.

Convolvulus erubescens (Sims Bot. Mag. 1067), ad quem omnes Convolvuli Australiani hac tenus descripti præter tres sequentes pertinent, viget per totam Australiam extratropicam. Per totum annum florescit et fructificat. Foliorum forma mire variat. Corolla rosea, passim alba, nunquam cœrulea.

Convolvulus parviflorus (Vahl Symbol. Bot. iii. 29 ; C. multivalvis, Br. Pr. 483) a sinu Moreton Bay extendit usque ad Arnhem's Land. Pedunculi passim uniflori. Corolla rosea.

Convolvulus marginatus (Spr. Syst. Veg. i. 603 ; Calystegia marginata, Br. Pr. 484) a portu Phillipi in Novam Angliam et flumine Clarence's River tenus extendit. Folia passim semipedalia

Convolvulus sepium (L. Sp. Pl. 218 ; Calystegia sepium, Br. Pr. 484) a fluvio Murchisonii usque ad sinum Moretoni invenitur.

In syrtibus caulis procumbit et folia succulenta evadunt. Tunc constituit C. Soldanellam et C. reniformem.

Polymeria angusta.

Erecta v. decumbens, sericea rariusve glabra, *foliis caulinis elongato- v. oblongo- v. lanceolato-linearibus acutis* basi obtusatis v. auriculatis v. in petiolum decurrentibus, radicalibus e basi truncata oblongis, pedunculis unifloris flore bis v. aliquoties longioribus supra medium bracteolas lineari-setaceas gerentibus, *sepalis omnibus lanceolatis* corolla duplo v. triplo brevioribus, stigmatibus 4–7, germine uniloculato.

A fluviis Condamine's et Darling's River per Australiam orientalem et septentrionalem præsertim interiorem usque ad rivum Sturt's Creek.

Herba pedalis v. brevior, quibusdam Ipomœæ bifloræ formis similis. Folia 1–4″ longa, 1–6‴ lata, breviuscule v. brevissime petiolata. Corolla rosea, ante fundum flavescentem albida, $\frac{1}{3}$–1″ longa. Antheræ sagittato-lineares. Stigmata interdum unilateraliter bidentata. Germen bigemmulatum. Capsula ignota.

P. pusillæ, e diagnosi Choisyi, propinqua.

Polymeria calycina (Br. Pr. 488) a sinu Port Jackson ad circulum capricornu vergit. Aliam speciem foliis cordiformibus in Australia fere centrali (Sturt's Creek) reperi.

Breweria pannosa (Br. Pr. 488) me reperta ad flumen Victoriæ. Caulis procumbens. Corolla cœrulea. Ibidem etiam *B. media* crescit. Alia species nascitur ad flumen Darlingii.

Breweria rosea solummodo a fluvio Murchisonii nota est.

Evolvulus linifolius (L. Sp. Pl. 392 ; E. alsinoides, L. Sp. 392 ; E. decumbens, E. villosus et E. argenteus, Br. Pr. 489 ; E. heterophyllus, Labill. Sert. N. Caled. t. 29) a monte Murchisonii et fluvio Clarencei per regiones subtropicas et intratropicas effusus est. Corolla cœrulea, rarius alba. Herba bipollicaris usque sesquipedalis. Pedunculi 1–5-flori, raro casu floribus breviores.

Dichondra repens (Forst. Gen. 39, t. 20) habitat in Australia extratropica fere tota, quantum nota. Folia bene evoluta $\frac{1}{3}$–1$\frac{1}{3}$″ lata, in quibusdam plantis Neo-Cambricis subtus densissime argenteo-sericea. Semina lævia, atra, ovato-globosa.

Porana sericea (Duperreya sericea, Gaudich. Voy. Freyc. Bot. i. 452, t. 63 ; Ipomœa modesta, F. M. Fr. ii. 22) e fructibus me nuperrime visis (coll. Drumm. 223) ad Poranam revera pertinere videtur.

Erycibe paniculata (Roxb. Pl. Coromand. ii. 33, t. 159) detecta est ad Rockingham's Bay.

Cuscuta australis (Br. Pr. 491) reperienda est a fluviis Goulbourne's et Darling's River usque ad circulum capricornu.

Cressa Cretica (L. Sp. Pl. 325) ad sinum Sti. Vincentii, fluvium

Murrayi et fluvium Murchisonii e regionibus tropicis descendit, in pratis subsalinis creberrime occurrit. Capsulæ me examinatæ uniloculares erant et monospermæ. Valvæ 2, chartaceo-cartilagineæ, 3–4‴ longæ. Semen ovatum, fere 2‴ longum, fuscum, albuminosum. Cotyledones planiusculæ, lineares, subito refractæ ; radicula longiuscula, cylindracea.

Wilsonia humilis (Br. Pr. 490) cognita est e toto tractu orario a fluvio cygnorum usque ad terram Gipps-Land; tunc etiam reperta in pratis salinis ad montes Grampians et secus flumen Murray's River longe a litore remota. Antheræ breviores, quam eæ ambarum sequentium, ætate haud aut minus insigniter contortæ, vix $\frac{1}{2}$‴ longæ. Capsula membranea, uniloculata, globoso-ovata, vix $1\frac{1}{2}$‴ longa, monosperma, glabra, evalvis. Semen erectum, basifixum, globoso-ovatum, leni-compressum, glabrum, læviusculum, opacum, 1‴ longum, non angulatum. Testa fusca. Albumen vix ullum. Cotyledones compresso-cylindricæ, parallelæ, sigmoideo-curvatæ, radiculam teretem arcuatam longitudine æquantes. Variat foliis acutis angustioribus magis pubescentibus sicut ramulis spinescentibus. Hic status spinescens Plagianthum microphyllum simulat.

Wilsonia rotundifolia (Hook. Icon. Plant. 410) in desertis subsalinis nec non ad oras occurrit, passim montes adscendit, ad Omeo altitudine 3–4000′. In Neo-Cambria litorali et in regionibus tropicis nondum reperta. Folia ovata v. rotunda, breviora quam ea sequentis ; tubus corollæ minus elongatus. Calyx extus sericeo-pubescens. Diversitas hujus et sequentis probanda.

Wilsonia Backhousii (J. Hook. in Lond. Journ. of Bot. vi. 275) est antecedentis comes frequens, usque ad portum Gregorii et oppidum Parramatta extendens, ultimo loco a cl. Woolls reperta. Habitus Hemichroæ pentandræ. Calyx extus glaber. Antheræ fere 1‴ longæ, purpureæ, post fœcundationem insigniter spirales. Corolla alba, passim 6-loba. Stylus ultra medium divisus. Stigmata ovata, viridia. Germen biloculatum, loculi unigemmulati. Capsula $1\frac{1}{2}$″ longa, ovato-globosa, membranea, evalvis, monosperma. Cotyledones compressæ, sigmoideæ, radiculam longitudine æquantes et ea vix latiores.

Scrophularinæ.

Lindernia veronicifolia.

Bonnaya veronicifolia, Spr. Syst. Veg. i. 41.

Erecta v. decumbens, *glabra, foliis oblongo-lanceolatis remotiuscule serrulatis* v. passim fere integerrimis in basim sessilem v. petiolarem angustatis, pedicellis racemoso-dispositis mox valde patentibus calyce denique bis terve longioribus, staminibus duobus anterioribus sterilibus, *calycibus parvis primum 5-fidis demum profundius divisis capsula subulato-cylindrica duplo triplove superatis.*

In vicinia urbis Rockhampton ; Bowman et O'Shanesy.

Planta transitum mediat ad Toreniæ sectionem Vandelliam.

Lindernia alsinoides (Br. Pr. 441 ; Vandellia alsinoides, Benth. in Cand. Pr. x. 415) crescit ad sinum Moreton's Bay et urbem Rockhampton. Folia floralia varietatis æqualifoliæ ceteris magnitudine æqualia, varietatis diversifoliæ vario gradu minora. Species arctissime approximat ad L. Capensem (Africæ australis), ad L. dilatatam (Americæ borealis) et aliquotenus ad L. pyxidariam (Europæ australis).

Lindernia clausa (Vandellia clausa, F. M. in Tr. Ph. Inst. Vict. i. 60) est terræ Arnhemicæ civis.

Lindernia scapigera (Br. Pr. 441 ; Vandellia lobelioides, F. M. in Tr. Phil. Inst. Vict. i. 61) crescit ad flumen Victoriæ.

Lindernia subulata (Br. Pr. 441 ; Vandellia subulata, Benth. in Cand. Pr. x. 415) nascitur ad flumen Elsey's River. Corolla purpurea ; labium superum ovatum, breviter bidentatum ; labium inferum tripartitum, lobis fere ovatis integris, medio horum majore ; faux albida, aperta. Stamina 4 secus labium superum exserta, cui æquilonga. Antheræ per paria cohærentes.

Lindernia plantaginea (Vandellia plantaginea, F. M. l. c.), crescit ad flumen Victoriæ, F. M. ; ad flumen Glenelg's River, Martin.

Torenia crustacea (Br. Pr. 440 in annotatione ; T. scabra, Br. Pr. 440 ; T. flaccida, Br. Pr. 440 ; Vandellia crustacea, Benth. Scroph. Ind. 35) nascitur per totum terræ tractum ab urbe Rockhampton usque ad Rockingham's Bay.

Veronica Derwentia (Littlej. in Andr. Bot. Repos. 531 ; V. labiata, Br. Pr. 434) a sinu Sti. Vincenti usque ad montem Lindsayi vergit, et alpes adscendit. Corolla alba v. cœrulea, raro rosea.

V. arenaria (A. Cunn. in Cand. Prodr. x. 463 ; V. decorosa, F. M. in Linnæa xxv. 430) occurrit ad flumen Cugeegong, nec non in montibus Flinders-Range, Mount Remarkable, Mount Searl.

V. formosa (Br. Pr. 434) nondum extra Tasmaniam reperta est.

V. perfoliata (Br. Pr. 434 ; V. imperfoliata, Benth. in Cand. Pr. x. 463) quæ fere semper regiones auriferas indicat, vergit a montibus Grampians ad Mount Mitchell ; adscendit ad altitudinem 4000′. Folia opaca, raro perfecte serrata, rarissime ternata, interdum semilanceolata basi rotundata.

V. nivea (Lindl. Bot. Reg. 1842, misc. 42) Alpes etiam Australiæ incolit.

V. arguta (Br. Pr. 435) in montibus Dandenong, ad Sealer's Cove alibique in Terra Gipps-Land crescit.

V. plebeja (Br. Pr. 435) a portu Phillipi in Novam Angliam extendit. Hanc sicut sequentem et antecedentem frustra specificis limitibus a V. calycina separare tentavi. Pedunculi 1–12-flori.

V. distans (Br. Pr. 435 ; V. Drummondi, Benth. in Cand. Pr. x. 479 ; V. Hillebrandi, F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i. 49)

in formatione calcarea ad sinum Spenceri, lacum Alexandrinæ nec non in Australia occidentali crescit.

V. calycina (Br. Pr. 435; V. Novæ Hollandiæ, Poir. Dict. viii. 526; V. Gunnii, Benth. l. c. 477; V. stolonifera, Lehm. Del. Sem. Hort. Hamb. 1820) per totam Australiam extratropicam dispersa est, regiones alpinas adscendens.

V. gracilis (Br. Pr. 435) provenit a monte Lofty usque in Neo-Cambriam. Pedicelli passim sesquipollicares. Folia interdum parce dentata.

V. densifolia (F. M. Fragm. ii. 137) solum a monte Kosciusko nota est.

V. serpillifolia (L. Sp. Pl. p. 15) invenitur in alpibus Australiæ ad flumina Snowy River et Mitta Mitta, altitudine 4–5000′.

V. peregrina (L. Sp. Pl. p. 20) est civis Australiæ continentalis et Tasmaniæ immigrata; occurrit enim ad flumina Lachlani et Darlingi, ad flumen cygnorum (Drumm. 433), ad portum Phillipi, ad urbem Launceston, ad montem McIvor, ad sinum St. Vincent's Gulf alibique.

Mimulus Uvedaliæ (Benth. in Cand. Pr. x. 369; Uvedalia linearis, Br. Pr. 440) inter fluvios Limmen-Bight et McArthur's River crescit. Corolla violacea; labium superum bifidum, lobis semiorbiculatis; labium inferum trifidum, lobis lateralibus fere rotundis, medio pæne ovato; faux callis 2 fulvis, albo-marginatis.

Mimulus debilis (F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. i. 62) ad Carpentariam et in Arnhemia rara. Inter indigenas species corollis luteis insignis. Corolla nempe intus lutea, extus dilute flava; labium superum bifidum, lobis fere semiorbiculatis conniventibus; labium inferum trifidum, lobis lateralibus auricularibus, medio fere truncato duplo latiore quam longiore; faux puberula, rubro-punctata. Filamenta ciliolata.

Mimulus repens (Br. Pr. 439; Bot. Magaz. t. 5423; M. prostratus, Benth. in Cand. Pr. x. 373) ob ora australi ad flumen Murchisoni, lacum Torrensii, flumen Darlingii et urbem Rockhampton extendit.

Mimulus gracilis (Br. Pr. 439; M. pusillus, Benth. l. c. 369) extendit a portu Phillipi ad flumina Wimmera, Darling's River, Wills's Creek, Burdekin's River. Pedicelli triunciales v. breviores. Flores passim unciam lati. Mihi etiam e Madagascar et Abyssinia nota. Flores fragrantes. Corolla interdum rosea. Folia passim terna.

Gratiola latifolia (Br. Pr. 435) occurrit a sinu St. Vincent's Gulf usque ad flumen Hastings. Persimilem speciem legi ad ostium fluminis Victoriæ et ad flumen Roperi. Specierum limites mihi nondum clari.

Gratiola pubescens (Br. Pr. 435) sparsim effusa est a portu Jacksonii ad flumen cygnorum.

Gratiola pedunculata (Br. Pr. 435) per totam Australiam extratropicam dispersa est.

Buchnera parviflora (Br. Pr. 438 ; Striga parviflora, Benth. in Hook. Comp. to the Bot. Mag. i. 361) ex Australia orientali capricornica (Darling-Downs, Suttor-River, &c.) in Arnhemiam vergit. Huic Striga hirsuta persimilis.

Buchnera curviflora (Br. Pr. 438 ; Striga curviflora, Benth. l. c. 361) crescit ad Sturt's Creek et Camden-Harbor. Corolla erubescens ; labium superum infero vix dimidio brevius.

Buchnera gracilis (Br. Pr. 437) crescit ad Moreton-Bay. Corolla rosea. Huc pertinere videtur B. urticifolia, Endl. Iconogr. 78.

Buchnera urticifolia (Br. Pr. 437) ad Rockingham's Bay nascitur. Nomen haud aptum. De aliis speciebus alio tempore agam.

Rhamphicarpæ species, R. fistulosæ affinis, me reperta ad Sturt's Creek, Stuartio ad Attack-Creek.

Stemodiæ species valde odorata me observata ad flumen Victoriæ.

Euphrasia arguta (Br. Pr. 437) deposita est in collectione Leichhardtii e Neo-Anglia.

Limnophila gratioloides (Br. Pr. 442) est totius Australiæ intratropicæ incola. Ad Rockhampton crescit in societate *Aldrovandæ vesiculosæ*, secundum specimina a P. O'Shanesy mihi nuperrime missa. Corolla cœrulea, intus inferne lutea ; labium superum obcordatum ; inferum tripartitum, lobis hujus obovato-cuneatis æqualibus.

Limnophila Morgania (Morgania glabra, Br. Pr. 441 ; M. pubescens, Br. Pr. 441 ; M. floribunda, Benth. in Mitch. Trop. Austr. 384) a sinu St. Vincent's Gulf, fluvio Murrayi et fluvio Murchisonii copiose per Australiam subtropicam et intratropicam extendit et formis eximiis ludit. Folia occurrunt passim ternata.

Artanema fimbriatum (Don in Sweet's Flowerg. t. 234) vergit per tractum silvaticum a fluvio Hastings' River usque ad sinum Rockingham's Bay.

Mazus Pumilio (Br. Pr. 439) extendit a Portland-Bay ad Moreton-Bay. Corolla violacea ; labium inferum medio tenus trifidum; superum breviter bifidum, illo duplo superatum ; palatum albo-puberulum, punctis flavis notatum.

Herpestis cuneifolia (Pursch Flor. Bor. Amer. ii. 410) crescit a portu Phillipii usque ad capricornu Australiæ orientalis.

Herpestis floribunda (Br. Pr. 442) nascitur ad flumen Burdekin's River.

Centranthera hispida (Br. Pr. 438) dispersa est a fluvio Richmond's River per Australiam orientalem tropicam et borealem usque ad flumen Glenelg's River.

Scoparia dulcis (L. Sp. Pl. 168) crescit ab urbe Rockhampton usque ad Carpentariam et Arnhemiam.

Microcarpæa muscosa (Br. Pr. 436) nascitur ad flumen Victoriæ. Callitrichis formas minores terrestres æmulatur.

Limosella Drummondi (Glossostigma Drummondi, Benth. in Cand. Pr. x. 426) per totam Australiam extratropicam extendit.

Corolla alba v. dilute violacea ; lobi 5 obtusi, integri, ciliati, fere ovati ; inferiores paulo majores. Stamina didynama.

Limosella aquatica (Linné Sp. Pl. 881) totam Australiam extratropicam sparse inhabitat.

Peplidium humifusum (Delile Flor. Ægypt. 148) crescit ad flumina Darling's et Lachlan's River, Burkitt ; ad Cape's River, Bowman ; ad Rockhampton, O'Shanesy ; ad flumen Victoriæ et rivum Sturt's Creek, F. M. Genus Limosellæ propinquum. Capsula basi transverse rumpens, abhinc sursum imperfecte bivalvis, apice calyptrato-integra.

Ourisia integrifolia (Br. Pr. 439) nondum extra Tasmaniam reperta est. Habitus Gentianæ. Jam statu vix unciali in summis alpibus flores gignit.

Labiatæ.

Prostanthera canaliculata.

Fruticulosa, ramulis cano-tomentellis, *foliis brevibus semiteretilinearibus canaliculatis*, pedicellis axillaribus solitariis brevissimis, calycis labiis fere æquilongis, corollis apicem versus pilosulis, antherarum calcare altero loculum fere duplo excedente.

Ad flumen Kalgan, F. M. ; ad rivum Fitzgerald's River, Mx. ; flumen Murchisonii versus, Drummond (343).

Fruticulus 1–1½′. Folia pleraque 3–5‴ longa, si explanata lineam lata, si concurvata fere semilineam lata. Calyces 2-3‴ longi, glabri. Corolla alba, extus inferne glabra.

Species proxime stat P. eurybioidi, differt foliis longioribus minus confertis, floralibus conformibus, indumento ramulorum, colore corollæ et ejus partiali hirsutie.

Quædam planta Australiæ occidentalis Drummondio sub 164 distributa undique cano-sericea non specifice distare videtur.

Prostanthera eurybioides (F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i. 48) ad ostium fluvii Murray's River et prope montem Barkeri reperta, gaudet foliis concurvis et corolla omnino glabra.

Prostanthera marifolia (Br. Pr. 509) crescit ad portum Jacksonii. Huic P. saxicola et alia planta e montibus Grampians aliisque locis Australiæ felicis propinquæ sunt.

Prostanthera rhombea (Br. Pr. 509) lecta est ad Clifton, Woolls ; ad Illawarra, Shepherd. Ramuli glanduloso-pubescentes.

Prostanthera denticulata (Br. Pr. 509) nascitur prope portum Jacksonii. Corolla extus glabra. Varietatem v. similem speciem habeo e montibus Grampians, Buffalo-Range aliisque locis, cujus folia ovato-lanceolata et corolla lilacina. Propinquæ etiam P. decussata et P. phylicifolia.

Prostanthera lasianthos (Labill. N. Holl. Pl. Sp. ii. 18 t. 157) a monte Gambier usque in fageta ad flumen Bellinger's River vergit. Unica planta ex amplissimo Labiatarum ordine, quæ

statura alte arborea (60′) superbit. Variat foliis edentulis, passim coriaceis (in regionibus subalpinis), interdum ternatis, nunc iterum anguste lanceolatis, rarius ad pollicis longitudinem reductis. Corolla lilacina.

Prostanthera cærulea (Br. Pr. 508) habitat in Neo-Anglia et ad flumen Clarence's River. Folia in petiolum longiusculum sensim contracta, nonnumquam integerrima.

Prostanthera prunelloides (Br. Pr. 508) in tractu Blue Mountains obvia, ubi 4–6′ alta. Folia in petiolum breviusculum subito contracta, passim integerrima. Ramulorum anguli sæpe asperati.

Prostanthera ovalifolia (Br. Pr. 509) ad Mudgee crescit sec. Woolls, ad originem fluvii Ballonne, sec. Leichhardt, ad montem Lindsayi sec. W. Hill. Folia glandulis copiosissime punctata. Corolla extus parce pilosula. Hujus apparet varietas P. atriplicifolia, A. Cunn. in Benth. Lab. 451.

Prostanthera linearis (Br. Pr. 509) crescit tantum ad Port Jackson et in Blue Mountains, quantum hactenus scimus, sed limites geographici austrum versus nemine indicantur quoad permultas species prope urbem Sydney vigentes. Folia margine revoluta, quo charactere non minus in hoc genere quam in Hibbertia, Pultenæa et pluribus aliis species Prostantheræ in sectiones v. series distribuendæ. Folia floralia interdum in bracteas rhombeo-ovatas mutata. Bracteolæ angusto-lanceolatæ v. lineares. Calyces et corollæ extus parcissime pilosulæ. Variat foliis anguste lanceolatis.

Prostanthera Behriana (Schlecht. Linnæa xx. 610) nota est a fluvio Murrayi et sinu St. Vincent's Gulf. Frutex 3–5′. Folia leniter concurva, ovali-oblonga v. oblongo-linearia. Corolla alba ; faux aureo-maculata. Antheræ albidæ. Labia calycis valde inæqualia. P. niveæ proxima.

Prostanthera striatiflora (F. M. in Linnæa xxv. 425) detecta in montibus ad originem fluvii Flindersii, Sutherland ; Darling-River, Panton ; Bogan et Lachlan's River, Morton ; Mount Searl, Warburton ; Lake Gilles, Burkitt ; Mount Morphett, J. M. Stuart ; Gayinga, Beckler ; Stokes-Range, Wheeler.

Arcta affinitate concatenatur antecedenti et 3 sequentibus.

Prostanthera Baxteri (A. Cunn. in Benth. Lab. 452) crescit ad fluvios Phillip's et Thomas's River, et in montibus Eyre's Range. P. niveæ persimilis. Folia $\frac{1}{3}$–1″ longa, oblongo- v. lineari-filiformia, canaliculata. Corolla alba, extus appresse pilosula. Antherarum appendix altera loculum duplo superans.

Prostanthera nivea (A. Cunn. in Benth. Lab. 452 ; Bot. Mag. t. 5658) crescit ad Lachlan's River, Mount Corong, Mount Hope, You-Yangs, Castlereagh's River, New England, Mount Bloxland. Frutex 12′ v. humilior, formationem graniticam indicans. Folia canaliculata v. margine incurva, sæpe 1–1$\frac{1}{2}$″ longa. Calycis labia valde inæqualia. Corolla alba ; maculæ ad faucem fulvæ ; labium

superum in modum plerarumque specierum labio infero brevius. Antheræ semicœruleæ. Variat foliis ramulis calycibusque tomento sericeo incanis, porre foliis fere filiformibus tenuibus et foliis abbreviatis.

Prostanthera pimeloides.

Ramulis appresso-pilosulis, *foliis lineari-oblongis parce pilosulis margine leniter incurvis*, floribus axillaribus solitariis racemum foliatum struentibus, *pedicellis calyce parvo dimidio paulove brevioribus*, calycis labio infero denique conspicue breviore, corolla extus appresso-pilosula, antherarum calcare altero loculum semi-superante.

In montibus Novæ Angliæ prope Timbarra. C. St.

Fruticulus erectus $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}'$. Folia 4–6‴ longa, concoloria, sessilia v. brevissime petiolata, passim ovato-oblonga et omnino plana. Calyces floriferi vix 2‴ excedentes, parce strigillosi. Corolla alba, circiter 4‴ longa. Caryopsides fuscæ, fere 1‴ longæ, ellipsoideo-cylindricæ, foveolato-clathratæ.

Minutie omnium partium jam a P. nivea et cognatis divellitur.

Prostanthera lithospermoides.

Sericeo-pubescens, *canescens, foliis lanceolato-oblongis integerrimis* planis v. margine leniter incurvis brevissime petiolatis, floribus axillaribus solitariis perbreviter pedicellatis, *calycis labiis fere æquilongis*, corolla extus pubescente, calcare antherarum altero loculum fere duplo superante.

Inter flumina Maranoa et Warrego, W. Barton; in monte Table-mount, P. O'Shanesy.

Frutex 3–8′. Folia bene evoluta $\frac{3}{4}$–2″ longa, 3–5‴ lata. Calyces circiter 3‴ longi. Corolla alba.

A P. nivea et affinibus jam æqualitate labiorum calycis recedit.

Prostanthera violacea (Br. Pr. 509) crescit docente Woollsio ad flumen Nepean. Folia passim $\frac{2}{3}$″ longa.

Prostanthera incisa (Br. Pr. 509) nascitur a sinu Twofold-Bay usque ad flumen Hastings. Frutex 10′. Corolla violacea. Occurrit ramulis densius foliis parcius pubescentibus. Eadem v. finitima species crescit ad Mount Lindsay. Huic etiam proximæ P. melissifolia et P. Sieberi.

Prostanthera retusa (Br. Pr. 509; P. rotundifolia, J. H. Fl. Tasm. i. 284, t. lxxxix.) vergit a Penola, Ben Nevis et Grampians per valles filicibus arboreis ornatas in regiones alpinas, descendens iterum ad flumina Macquarie et Genoa. Huc fortasse trahendæ P. rotundifolia, Br. Pr. 509; P. cotinifolia, Cunn. in Bth. Lab. 452; P. ringens, Bth. in Mitch. Trop. Austr. 363. Folia gracilius petiolata quam ea sequentis.

Prostanthera cuneata (Benth. in Cand. Pr. xii. 560 ; J. H. Fl. Tasm. i. 284, t. xc.) in alpibus editissimis a monte Kosciusko usque ad Baw-Baw provenit. Frutex 6′ v. humilior, rarius altior. Calyces profundius bilabiati quam ii antecedentis. Folia in basim cuneatam sessilem contracta, passim inciso-crenata, nonnunquam cuneato- v. rhombeo-orbiculata. Calcar antherarum alterum elongatum.

Prostanthera spinosa (F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i. 48) crescit in tractu Tattiara-country, Woods ; Cygnet-Bay, Kangaroo-Island, Waterhouse ; Mount Arapiles, Dallachy ; Grampians, F. M. Corolla lilacina, rarius alba. Variat foliis orbiculatis, utrinque pubescentibus, nec non pedicellis calyce aliquoties brevioribus.

Prostanthera coccinea (F. M. l. c. 48) amplectitur P. aspalathoidem, P. Caleyi et P. microphyllam simul editas. Occurrit a fluvio Murrumbidgee usque ad flumen Phillips River Australiæ occidentalis ; intrat etiam insulam halmaturorum. Frutex bipedalis v. humilior. Ramuli interdum spinescentes. Calyx nonnunquam semuncialis, sæpe erubescens, glaber v. pubescens. Corolla frequens coccinea, qua nota ab omnibus congeneribus discedit, nigro-punctata, rarius viridis. Folia e forma orbiculari-ovata in lineari-cylindricam transiunt, passim longitudinem $\frac{1}{2}''$ attinent. Pedicelli interdum calyci æquilongi. Plantam olim immerito in genus proprium posui (Klanderia, Linnæa xxv. 426) propter proportionen mutuam labiorum corollæ et calycis anomalam.

Prostanthera euphrasiodes (Benth. in Mitch. Trop. Austr. 360) reperta ad Cape's River et Broad Sound, Bowman ; ad Expedition-Range et Hodgson's Creek, Leichhardt. Corolla extus parce pilosula.

Plectranthus parviflorus (Willd. Hort. Berol. i. t. 65 ; P. australis, Br. Pr. 506 ; P. graveolens, Br. Pr. 506) extendit a fluvio Gilberti ad fluvios Darling's et Snowy River. Crescere etiam dicitur ad montes Barrabool Hills. Indumentum eximie variat, interdum lanosum. Flores fragrantes.

Plectranthus congestus (Br. Pr. 506) invenitur ad flumen Herberti, ubi altitudine 14′ superbit. Corolla ut in antecedente cœrulea.

Moschosma polystachya (Benth. in Wall. Pl. As. Rar. ii. 13 ; Plectranthus moschatus, Br. Pr. 506 ; P. parviflorus, Br. Pr. 506) crescit ab urbe Rockhampton usque in Arnhemiam.

Coleus scutellaroides (Benth. in Wall. Pl. As. Rar. ii. 16) repertus est ad Roebuck-Bay, Martin ; ad flumen Adelaides, McKinlay ; ad fluvios Nicholson's et McArthur's River, F. M., nec non ad flumen Victoriæ. Occurrit tomentosus et foliis angusto-lanceolatis.

Orthosiphon stamineus (Benth. in Wall. Pl. As. Rar. ii. 15) nascitur ad flumen Burdekini, Bowman ; ad portum Denisonii, Fitzalan ; ad sinum Rockinghami, Dallachy.

Ajuga Australis (Br. Pr. 503 ; A. sinuata, Br. Pr. 503 ; A. Diemenica, Benth. Lab. 695) crebre obvia a sinu Spenceri et fluvio Elizabeth-River usque at sinum Rockingham's Bay. Alpes etiam adscendit. Variat corolla alba et rosea.

Scutellaria humilis (Br. Pr. 507) crescit in insula halmaturorum, et in Australia felice et Neo-Cambria usque in Novam Angliam. Interdum 1′ alta.

Scutellaria mollis (Br. Pr. 507) reperta sedulo Woolls ad flumen Nepean, me ipso ad rivum Genoa. E Tasmania plantam nondum vidi.

Salvia plebeja (Br. Pr. 501) migrat a fluvio Burdekin's River usque in terram Gipps-Land.

Lycopus australis (Br. Pr. 500) provenit a fluvio Burnettii usque ad sinum St. Vincent's Gulf.

Prunella vulgaris (L. Sp. 837 ; Brunella vulgaris, A. de Cand. Pr. xii. 410) gignitur in toto tractu inter sinum St. Vincent's Gulf et Novam Angliam. In alpes editissimas adscendit.

Mentha australis (Br. Pr. 505 ; M. grandiflora, Benth. in Mitch. Trop. Austr. 362) crescit a sinu Spencer's Gulf per Australiam centralem usque ad rivum Sturt's Creek, extendens etiam in Australiam orientalem subtropicam ; imprimis ad ripas vulgaris. Oleum grate aromaticum.

Mentha laxiflora (Benth. in Cand. Pr. xii. 174) crescit ad Ararat, Grampians, Ballan, Ballarat, Buffalo-Range, Mount Disappointment et ad alios locos Australiæ felicis montanæ. De jure hujus plantæ specifico adhuc disputandum.

Mentha gracilis (Br. Pr. 505) transitum quasi format a M. australi ad M. saturejoidem. Crescit a Guichen-Bay usque ad Moreton-Bay. Odorem fere Coriandri spargit.

Mentha saturejoides (Br. Pr. 505) extendit ex Australia orientali capricornica in Australiam occidentalem (Drumm. 458). Pedem alta v. demissior. Olei odor gratissime aromaticus. Longitudo pedunculorum et pedicellorum incerta. Stamina interdum longiuscule exserta.

Leucas flaccida (Br. Pr. 505) crescit ad Rockingham's Bay. Alteram Leucadis speciem ad Rockhampton detexit P. O'Shanesy.

Anisomeles moschata (Br. Pr. 503) nota est e toto tractu a Moreton-Bay usque Cape York. Corolla rosea.

Anisomeles salvifolia (Br. Pr. 503) crescit in Arnhemia. Tertiam speciem valde hirsutam vidi ad flumina Roperi et Gilberti.

Teucrium racemosum (Br. Pr. 504) crescit a portu Phillipi (You-Yangs) usque ad flumina Castlereagh's et Murchison's River, porre ad Cooper's Creek et Maranoam. Occurrit passim foliis tripartitis et foliis verticillatis. Dispersa est per Australiam magis centralem varietas glabrior, quæ a fluviis Suttor's River et Warrego ad Carpentariam et Arnhemiam extendit.

Teucrium sessiliflorum (Benth. in Cand. Pr. xii. 580; T. trifidum, Schl. Linnæa xx. 609 non Retz.) vergit a fluviis Darling's River et Wimmera in Australiam occidentalem. Flores odori, passim sparsi. Corolla alba.

Teucrium argutum (Br. Pr. 504) a fluvio Nepean ad sinum Rockingham's Bay extendit. Folia interdum profunde laciniata. Spica 1–4″ longa.

Teucrium corymbosum (Br. Pr. 504) a fluvio Axe's River usque ad urbem Rockhampton provenit. Folia occurrunt lanceolata, integerrima. T. petrophilum (F. M. in Linn. xxv. 427) ad lacum Gillesii et in montibus prope lacum Torrensii proveniens fortasse non sufficienter diversa.

Westringia longifolia (Br. Pr. 501) a fluminibus Tumat et Genoa sparsa est usque ad Moreton-Bay. Folia $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}$″ longa.

Westringia Dampierii (Br. Pr. 501) a sinu Spencer's Gulf diffusa est usque ad Shark-Bay. Folia terna, quaterna v. quina. W. rigida et W. grevillina huc pertinere videntur.

Westringia cinerea (Br. Pr. 501) occurrit a fluviis Darling's et Murray's River usque ad sinum Spencer's Gulf et abhinc extendit in Australiam occidentalem (Drumm. 194). Calycis dentes tubo non semper aliquoties breviores.

Westringia rubiifolia (Br. Pr. 501) statu saltem typico nondum extra Tasmaniam detecta est.

Westringia angustifolia (Br. Pr. 501) in Tasmania frequentior quam antecedens. Folia passim quaterna et $1\frac{1}{2}$″ longa.

Westringia glabra (Br. Pr. 501) collecta ad flumen George's River Woollsio, ad amnem McLeay's River Becklero. Huic plantæ quadam a fluvio Severn Novæ Angliæ similis, folia autem sensim in apicem acutata, in petiolum brevem subito desinentia. Accedit ad W. rubiifoliam. Nec W. violacea longe distat.

Westringia senifolia (F. M. in Transact. Phil. Soc. i. 49) coronat plura culmina montium Buffalo-Range et montem Buller, altitudine 5000–6000′. Frutex 2–8′ fastigiatus. Flores fragrantes; corolla alba; faux punctis viridi-fulvis notata.

Westringia rosmarinifolia (Sm. Tracts 277, t. 3; W. brevifolia, Benth. Lab. 459; J. Hook. Fl. Tasm. tab. xci.) crescit ad George-town, Launceston, Southport aliosque locos Tasmaniæ, et a Twofold Bay usque Moreton-Bay. Folia terna v. quaterna, latitudine et longitudine varia.

Westringia cephalantha.

Ramosissima, foliis ternis v. quaternis linearibus margine refractis apice acutis undique glabris, *floribus parvis dense capitatis*, bracteis ovato-cuneatis calycibusque ciliatis, calycis lobis semilanceolatis v. semiovatis tubo saltem æquilongis, corollæ fauce dense barbata, staminibus fertilibus summitate exsertis, filamentis omnibus brevi-pilosis.

In Australia occidentali (Drumm. 76 et 170).

Frutex ramosissimus. Folia 5–8‴ longa, circiter $\frac{2}{3}$‴ lata. Capitula foliis supremis cincta, bracteis imbricatis spurie involucrata, globosa, 5–6‴ metientia, pluri- v. multiflora. Calyces sesquilineares. Corolla semiexserta. Stamina 2 fertilia ; quorum antheræ ovatæ, mox curvatæ, glabræ, exappendiculatæ. Antheræ staminum sterilium cassæ.

A congeneribus dispositione florum longe diversa.

Hemigenia teretiuscula.

Erecta, *glabra*, *foliis oppositis teretiusculis* supra imperfecte canaliculatis vel unisulcatis, floribus brevissime pedunculatis, *calycis dentibus tubo fere duplo brevioribus sensim subulato-acuminatis*, corolla extus glabra, fauce barbata, lobo infimo ceteris paulo longiore, antherarum superiorum connectivo ad extremitatem parce barbato, stylo glabro.

Ad sinum litoreum Stokes's Inlet, nec non in collibus Kydenup-Range. Mx.

Fruticulus facie Boroniæ. Folia 4–7‴ longa, vix semilineam diametro execedentia, parum acuta, inferne gradatim tenuiora, sursum passim trigono-semiteretia. Bracteolæ ciliolatæ, vix 1‴ longæ. Calyces circa $2\frac{1}{2}$‴ longi. Corolla semiuncialis ; labium superum breviuscule insisum. Antherarum omnium connectivum elongatum.

Speciem ab Hemigenia purpurea jam separavimus propter foliorum dispositionem et calycis minus profundam divisionem ; ab Hemigenia westringioide ob pedunculorum brevitatem et calycis peracutam dentationem.

Hemigenia diplanthera.

Erecta, *glabra*, *foliis parvis oppositis lanceolato- v. oblongo-linearibus concurvulis* sessilibus, floribus breviter pedunculatis, *calycis laciniis semilanceolatis æqualibus* tubo æquilongis, corolla extus fere glabra, fauce parce barbata, lobis breviusculis, infimo obcordato, antherarum superiorum connectivo ad extremitatem loculum alterum minorem pollinigerum producente, stylo glabro.

In vicinia fluminis Murchison's River ; Drummond. Ad Champion-Bay et Bowes-River ; Oldfield.

Fruticulus digitalis usque tripedalis, strictus. Folia 3–5‴ longa, prope medium 1–$1\frac{1}{2}$‴ lata. Bracteolæ angustæ, 1–$1\frac{1}{2}$‴ longæ. Calyces pæne $2\frac{1}{2}$‴ longi. Corolla semiemersa, ex Oldfield alba. Antheræ saltem superiores imberbes ; loculus accessorius a normali remotus, eo ter minor, æquo modo fissura ventrali apertus. Stigmata ætate admodum recurvata.

H. humili (Dr. 49) hanc novam habeo proximam.

Hemigenia podalyrina.

Erecta, undique *argenteo-sericea, foliis oppositis ternisve orbiculari-obovatis* v. orbiculatis fere sessilibus obtusis, floribus brevissime pedunculatis, *calycis dentibus omnibus fere deltoideis*, corolla extus appresse pilosula, labii inferi conspicue longioris lobo medio cuneato-obcordato crenulato, fauce denso-barbata, connectivo antherarum superiorum ad extremitatem cristato-barbato.

Ad flumen Kalgan locis arenosis.

Frutex circiter ulnaris. Folia $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ metientia, complicata, deflexa, margine plana. Bracteolæ lineari-subulatæ, vix $1'''$ excedentes. Calyx circiter $3'''$ longus, breviter bilabiatus ; dens medius labii inferi circiter $1'''$ longus ; ceteri dentes breviores. Corolla rosea, circiter semiuncialis ; labium superum breviter incisum. Connectivum omnium antherarum satis elongatum. Stylus glaber.

A H. canescente hanc novam facile distinguimus indumento nitente, dentibus calycis minus acutis et forsan floris characteribus in futuro comparandis.

Hemigenia microphylla (Benth. in Cand. Pr. xii. 565) invenitur ad flumina Gordon's et Harvey's River. Fere Prostantheram refert.

Hemigenia purpurea (Br. Pr. 502 ; H. Sieberi, Benth. Lab. 457) solummodo a portu Jacksonii et montibus Blue Mountains nota est.

Hemigenia sericea (Benth. in Hueg. Enum. 80) vergit a flumine cygnorum ad sinum Champion's Bay.

Hemigenia pimelifolia.

Erecta, ramulis gracilibus, *foliis parvis oppositis obovatis v. ellipticis* obtusis planis v. margine leniter incurvis sessilibus *ciliosis cum calycibus sparse pilosis*, calycis breviter pedunculati lobis semilanceolatis fere æqualibus tubo saltim æquilongis, corolla parva extus parce pubescente, antherarum majorum appendice clavata imberbi, minorum appendice breviore barbata.

Ad flumen Murchison's River. Oldfield.

Ramuli oppositi, fere bifariam pubescentes. Folia 2–$4'''$ longa, supra glabriora nisi glabra. Bracteolæ lanceolato-lineares, 1–$2'''$ longæ, diu persistentes. Calyces sesqui- v. bi-lineares. Corolla tantum statu imperfecto visa.

Planta humilior et glabrior Drummondi a fluvio Murchisonii allata ad hanc speciem spectare videtur.

Microcorys virgata (Br. Pr. 502) ad quam forsan M. brevidens et M. selaginoides pertinent, ampla gaudet distributione per Australiam occidentalem extratropicalem.

Microcorys purpurea (Br. Pr. 502) occurrit in rupibus ad sinum oræ Cape Arid. Fructiculus 2–3′. Labii inferi lobus medius obcordatus ; lobi laterales ovati.

Microcorys lenticularis.

Ramulis subtilissime puberulis, *foliis parvis ternis orbiculatis* v. ovato-rotundis concoloribus brevissime petiolatis tenui-coriaceis glabris planis v. concavis, floribus in axillis foliorum solitariis fere sessilibus, *calycibus dense villoso-pubescentibus*, dentibus deltoideo-semilanceolatis tubo fere duplo brevioribus.

In Australia occidentali; Drummond (196).

Frutex saltem bipedalis, nisi altior. Folia 1–2‴ metientia, interdum margine leniter inflexa. Calyces sesquilineam longi v. paulo longiores, pilis cinereis induti. Flores in unico specimine mihi obvio jam delapsi.

Microcorys longiflora.

Ramulis subtiliter puberulis, *foliis oppositis ovatis glabris* conspicue petiolatis margine recurvis v. fere planis subtus pallidioribus opacis, floribus solitariis evidenter pedunculatis, *calycis lacinia suprema ceteris conspicue majore, corollæ tubo elongato,* limbo extus parce pilosulo, stylo prælongo.

In vicinia fluminis Murchison's River; Drummond (340).

Fruticulus quantum video vix pedalis, patentim ramosus. Folia tenui-coriacea, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longa, 2–3‴ lata, nunc in formam oblongam nunc magis in formam rotundam vergentia. Pedunculi sesquilineares. Pedicellus brevissimus. Bracteolæ lineari-subulatæ, linea breviores, deciduæ. Calyx subtiliter pubescens, paulo hirtellus et imperfecte glandulosus, circiter 5‴ longus; laciniæ semilanceolatæ, acutatæ; suprema tubo æquilonga; ceteræ breviores. Corollæ tubus gracilis, fere semipollicaris; labium superum galeatum. Stigmatis lobi recurvati. Eadem calycis inæqualitas, eademque corollæ elongatio signant M. longifoliam.

Microcorys loganiacea.

Ramulis hirto-puberulis, *foliis oppositis ovatis planis* concoloribus parce hispidulis perbreviter petiolatis, floribus solitariis brevissime pedunculatis, *bracteolis elongatis,* calycis laciniis æqualibus anguste semilanceolatis tubo paulo longioribus, corolla majuscula extus parce hirtula, labio infero quoad longitudinem tubum æquante, fauce imperfecte crispo-pubescente, antheris sterilibus barbellatis.

In Australia occidentali forsan sinum Great Bight versus. Drummond (168).

Fruticulus erectus, spithamæus v. altior. Folia tenui-coriacea v. crassiuscule herbacea, 5–8″ longa. Bracteolæ 2–3″ longæ, parce hispidulæ, lineares, in basin angustatæ, acutiusculæ, diu persistentes. Calyces pæne 4‴ longi, parce v. parcissime hispiduli. Corolla $\frac{2}{3}$″ longa; lobus infimus orbiculari-obcordatus; lobi laterales cuneato-obovati, illo breviores; tubus ad staminum insertionem

barbatus. Stamina inclusa. Antherarum fertilium appendix in extremitatem sensim dilatata et hinc barbulata.

Huic speciei quadam planta Drummondi me tantum statu deflorato visa apparet propinqua, cujus folia magis cuneata et ex parte ternata.

Selagineæ.

Dischisma capitatum.

Choisy Mem. de la Soc. de Phys. et d'Hist. Nat. de Genèv. ii. 94; Walp. Repert. iv. 149; Choisy in Cand. Pr. xii. 7.

Annuum, pilosulum, *foliis linearibus* oppositis sparsisve integerrimis v. distanter dentatis, floribus in spicas capitatas v. cylindricas condensatis, *bracteis ovatis in appendicem linearem foliaceam integerrimam v. dentatam subito elongatis*, sepalis angustissimis, corolla brevi pertenui, fructu truncato-ellipsoideo ad commissuram leniter impresso.

In Australia occidentali; J. Drummond (150, 292).

Sepala 2 lineari-canaliculata, vix 1‴ longa. Corolla vix sesquilinearis, breviter unilabiata. Fructus lineam longus, leniter compressus, e carpidiis fertilibus 2 constans. Semen pendulum. Funiculus nullus. Albumen parcum. Embryo cylindricus, fere longitudine albuminis. Radicula supera, cotyledonibus fere æquilonga.

Plantam hic in vegetationem Australiæ admitto, quum Papaver aculeatum, Heliophila pumila, Cotula coronopifolia, Cotula filifolia, Cryptostemma calendulaceum, Lobelia anceps, Grammatotheca erinoides, Cyperus minimus et aliæ stirpes Austro-Africanæ apud nos magis minusve divulgatæ initio immigratæ nunc haud extirpandæ sint.

Asperifoliæ.

Cordia aspera.

G. Forst. Florul. Insul. Austral. Prodr. p. 18; Seem. Flor. Vit. i. 169, t. xxxv.

Arborescens, *ramulis cum cymis petiolisque tomento ferrugineo dense pubescentibus*, *foliis* membraneis ovatis rotundisve acuminatis *mucronulato-serrulatis* subtus parce supra parcissime pubescentibus, floribus parvis glomerato-cymosis dense tomentoso-pubescentibus, calycis dentibus brevibus peracutis, tubo decemstriato, corollæ albæ tubo calycem vix superante, drupa ovata acutiuscula.

Ad flumen Herberti; Dallachy. Folia interdum pedem metientia.

C. subcordata (Lam. Ill. 1899; C. orientalis, Br. Pr. 498) provenit in parte boreali terræ Arnhemicæ et in insulis freti Torresii. Planta optime Seemannio illustrata.

C. dichotoma (G. Forst. Florul. p. 18; C. Brownii, Cand. Prodr. ix. 499) extendit a Rockhampton ad Carpentariam. Arbor interdum 65′ alta, foliatione decidua. Corolla albida.

Ehretia membranifolia (Br. Pr. 497) tractus aridiores et litorales percurrit a Darling's Downs usque ad flumen Gilberti. Folia interdum late obovata. Fructus saturate rubri.

Trichodesma Ceylonicum (Br. Pr. 496; T. sericeum, Lindl. in Mitch. Trop. Austr. 258) e regionibus tropicis descendit ad Champion's Bay et Flinders' Ranges. Varietatem notavi *latisepaleam* ad Hooker's Creek et Burdekin's River, sepalis insigniter latioribus nec tamen biauritis.

Halgania litoralis (Gaudich. Voy. Freyc. Bot. 448, t. 59) cui H. Bebrana consanguinea, crescit ad flumen Murchisonii (Drumm. 52, 96, 132, 653).

Halgania Preissiana (Lehm. Pl. Pr. i. 347; H. strigosa, Schl. Linnæa 1847, 640; H. tuberculosa, Schl. l. c.) amplissime per Australiam extratropicam effusa est a fluvio Murchisonii (Drumm. 654) usque in Novam Angliam et ad flumina Clarence's River et Maranoa. Explorator Stuart plantam a Brinkley's Bluff attulit.

Halgania solanacea (F. M. in Hook. Kew. Misc. 1857, 21) crescit observante Stuartio inter Mount Morphett et Bonney River, et ut jam dixi ad Hooker's et Sturt's Creek.

Halgania andromedifolia (Behr et Muell. in F. M. Fr. i. 209; F. M. Lithogr. tab. lvii.) a fluviis Darling's et Murray's River vergit usque ad rivos Phillip's et Murchison's River (Drumm. 336).

Cynoglossum Australe (Br. Pr. 495) sparsim occurrit per totam Australiam extratropicalem; e. g. Mount Searl; Murray's River; Richmond's River; Swan-River (Drumm. 504). Corolla cærulea, passim alba v. rosea. Carpidia dorso asperrima v. hinc omnino lævia. Planta 4″–3′ alta.

Cynoglossum suaveolens (Br. Pr. 495) a sinu St. Vincent's Gulf usque ad oram Moreton's Bay et flumen Bogan magna copia abundat.

Cynoglossum latifolium (Br. Pr. 495) vidi e Nova Anglia et insula Kingii et in multis silvis Australiæ felicis.

Myosotis staminea (Lehm. Pl. Preiss. i. 348) mihi obvenit ad Porongerup.

Myosotis suaveolens (Poir. Dict. Suppl. iv. 44; Exarrhena suaveolens, Br. Pr. 495) crescit ad Ben Nevis, Mount Alexander, Ballarat et copiose in alpibus Australiæ. Magnitudo calycis varia.

Myosotis australis (Br. Pr. 495) inveniendа ad Mount Lofty, Rivoli-Bay, et frequentius in Australia felice alpibus tenus. Magnitudo corollæ varia. Planta sesquipedalis v. humilior, passim jam altitudine unciali floret.

Coldenia procumbens (L. Sp. Pl. 182) crescit in Australia centrali a Sturt's Creek usque Cooper's Creek. Flores quarumdam Tournefortiarum et Maccoyæ instar sæpe quadrilobi, tetrandri.

Heliotropium ovalifolium (Forsk. Fl. Æg. Arab. 47; H. Coromandelianum, Retz. Obs ii. 9; H. gracile, Br. Pr. 493) habitat per Australiam calidiorem rivo Cooper's Creek et portum Walcottii tenus, in Australia centrali frequens.

Heliotropium Europæum (L. Sp. 187; H. lacunarium, F. M. in Tr. Ph. Soc. Vict. i. 20) inventum ad flumina Murray-River, Murrumbidgee, Darling's River.

Heliotropium asperrimum (Br. Pr. 493) vergit a fluvio Murrayi in Australiam occidentalem. (Drumm. 337.) Flores fragrantes. Corollæ limbus albus; faux lutea. Varietatem petiolatam nisi speciem finitimam detexit ad montes Hamersley-Range M. Brown.

Heliotropium arenarium viget ad flumen Nicholsonii et Alberti. Huic finitima nisi conspecifica est planta Drummondi 134 a fluvio Murchisonii. Eandem reperit ad lacum Gregorii cl. Babbage. Huic affinia H. erosum et H. undulatum.

Heliotropium Curassavicum (L. Sp. 188) cognitum est e tractu inter flumina Murrayi et Murchisonii sito, nec non a portu Walcottii (C. Harper).

Heliotropium elachanthum (F. M. in Linnæa xxv. 424) migrat a fluviis Murrayi, Darlingi, Wimmera et Murrumbidgee ad lacum Torrensii et in Australiam occidentalem. (Drumm. 505.)

Echinospermum concavum (F. M. Fr. ii. 139) crescit ad fluvios Darling's et Murray's River, ad rivum Gawler's River, sicut in Australia occidentali (Drumm. 165).

Tournefortia acclinis (F. M. Fr. iv. 95) nota est a portu Mackayi, a sinu Edgecombe's Bay, ab oppido Rockhampton. Corolla alba v. cœrulea.

Tournefortia orientalis (Br. Pr. 497) altissime scandit in nemoribus ad sinum Rockingham's Bay et prope promontorium Cape York. Folia sæpe subtus tenui-pubescentia, tunc etiam ætate non glabrescunt. Corolla alba, interdum longius tubulosa.

Tournefortia mollis (F. M. Fr. i. 59) nunc observata juxta portum Dennisonii, flumina Burdekin's et Herbert's River.

Tournefortia argentea (Linn. Suppl. 133) oras sequitur arenosas totius Australiæ boreali-orientalis.

Apocyneæ.

Alstonia verticillosa.

Glabra, *foliis quaterno- usque septeno-verticillatis* chartaceis lanceolatis crebre præpatentim et tenuissime costatis subtus glaucis, *umbellis compositis* vel fere cymiferis, pedicellis calyce insigniter longioribus, *corollæ lobis ovalibus æstivatione dextrorsum tortis*, fauce brevissime barbata annulari-squamulata, antheris prope faucem insertis, germinibus glabris.

Ad promontorium Cape York; E. Dæmel.

Ramuli verticillati, mox lignescentes. Folia $1\frac{1}{2}$–3‴ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$″ lata, in petiolum brevem decurrentia. Umbellæ pedunculus primarius 1–$2\frac{1}{2}$″; pedunculi secundarii plures, $\frac{1}{2}$–1″ longi; ultimi paucilineares v. etiam nulli. Bracteæ et bracteolæ minutæ, deltoideæ v. magis lanceolatæ, semper acuminulatæ. Calyx lineam longus;

lobi rotundo-ovati, ciliolati. Corollæ tubus 3‴ longus v. paulo longior, intus superne pilosulus; lobi circa 2‴ longi, præter basim glabri. Antheræ vix ½‴ longæ, e basi cordata fere sagittatæ. Stylus glaber, setaceus. Stigma pæne clavatum, circum basim membranula annulatum. Fructus ignoti.

Species A. scholari sane propinqua, foliis minoribus et tenerioribus, pedicellis elongatis, forma loborum corollæ, germinibus non indutis facillime distinguenda. Speciem cognatam detexi ad flumen Roperi, ubi arborem mediocrem format.

Alstonia constricta (F. M. Fr. i. 57) extendit a fluviis Darling's et Clarence's River usque ad sinum Rockingham's Bay. Varietas pubescens non rara. Petioli interdum biunciales.

Alstonia scholaris (Br. in Mem. of the Wern. Soc. i. 75) nota est a Broad-Sound, Bowman; Edgecombe-Bay, Fitzalan; Rockingham's Bay, Dallachy. Altitudinem 90′ attinet. Folia in verticillo 4–7. Corolla albida.

Alstonia ophioxyloides (F. M. Fragm. i. 57) tantum a fluvio Victoriæ cognita. Folia in verticillo 3–4. Semina non distincte caudata.

Alstonia villosa (Blume Bidjr. 1038 non Seemann) crescit ad montem Hinchinbrookii et sinum Rockinghami. Arbor circiter 30′ alta. Folia in verticillo 3–4, minus patentim et minus copiose costata quam ea præcedentis. Flores albidi. Fructus ½–1′ longi. Testa distincte in caudam producta.

Cerbera Odollam (Gærtn. de Fruct. et Sem. ii. 193 t. 124) habitat ad fluvium Mackenziei et ad sinum Rockinghami. Arbor magna, sed jam statu fruticoso florifera. Calycis lobi majores, quam in icone Wightii.

Alyxia ruscifolia (Br. Pr. 470) occupat tractum litoralem nemorosum a fluvio McLeay's River usque ad portum Denisonii. Variat foliis quinatis et senis, nec non lanceolato-linearibus subulatis, porre ovato-orbiculatis. Radix odorem gratissimum spargit. Fructus vitellinus.

Alyxia buxifolia (Br. Pr. 470; A. capitellata, Benth. in Hueg. Enum. p. 81) occupat tractum arenosum orarium a fluvio Murchisonii saltem usque ad sinum Twofold Bay. Folia passim terna. Fasciculi nonnunquam pluriflori. Fructus vitellinus. Unica planta ordinem Apocynearum in colonia South Australia repræsentans.

Alyxia obtusifolia (Br. Pr. 470) nascitur in insula Curtisii. Arbor 25′ v. humilior. Fructus niger.

Alyxia spicata (Br. Pr. 470) tam ad oras quam in silvis occurrit, a fluvio Capei et portu Denisonii usque ad sinum Rockinghami. In nemoribus scandit. Fructus niger. Ad hanc forsan ducatur A. tetragona.

Tabernæmontana Orientalis (Br. Pr. 468) invenienda a flumine McLeay's River usque ad sinum Rockingham's Bay. Folia conspicue petiolata. Calyces profunde divisi; laciniæ peracutæ. Carpidia polysperma.

Tabernæmontana pubescens (Br. Pr. 468) a sinu Broad-Sound et fluvio Burdekin's River extendit ad promontorium Cape York. Frutex pluripedalis. Folia sæpe brevius petiolata quam ea T. Orientalis. Divisiones calycis breviores et obtusiores. Carpidia minora, oligosperma. Variat foliis sicut inflorescentia glabris.

Lactaria calocarpa (Hassk. Ned. Kruidk. Arch. iv. 9) habitat ad Keppel's Bay, Thozet; Edgecombe-Bay, Fitzalan; Brook-Island, Dallachy.

Lactaria Moorei (F. M. Fr. iii. 110) crescit ad ostium fluminis Clarence's River et Richmond's River.

Balfouria saligna (Br. Pr. 467) vergit a terra Arnhemica circum Carpentariam in Australiam orientalem usque ad flumen Suttoris. Lignum flavidum, durum. Cortex cinereus. Ramuli penduli.

Melodinus chilocarpoides (Chilocarpus Australis, F. M. Fr. ii. 89) habitat a fluvio Clarence's River usque ad sinum Rockingham's Bay. Frutex lactescens. Corolla flava.

Melodinus Guilfoylei.

Glaber, *foliis fere sessilibus lanceolatis* sensim acuminatis planis, pedunculis brevibus v. brevissimis 1–3-floris, pedicellis flore paulo v. dimidio brevioribus, calycis profunde divisi lobis deltoideo-v. ovato-cordatis acuminulatis ciliolatis, corollæ laciniis linearisemilanceolatis, *squamis faucis 5 rotundatis* breviter bilobis.

Ad sinum Rockingham's Bay; Dallachy.

Frutex alte scandens. Folia chartacea, 2–4″ longa, ½–1″ lata, subtus paulo pallidiora. Bracteolæ cymbeo-lanceolatæ, ½–1‴ longæ, acutatæ. Sepala lineam vix excedentia. Corolla 4–5‴ longa, rosea, medio tenus quinquefida, infra faucem barbata. Squamæ coronantes ½–⅔‴ longæ, membraneæ. Stamina infra medium tubi sita. Filamenta perbrevia et pertenuia. Antheræ circa ½‴ longæ, sagittato-lineares. Stylus perbrevis. Stigma infra bifidum apicem turgens. Fructus nondum detectus.

M acutifloro (F. M in Transact. Phil. Soc. Vict. ii. 71) approximandus.

Ichnocarpus leptodictyus.

Ramulis glabrescentibus, *foliis longiuscule petiolatis* chartaceis ovato-lanceolatis v. ovatis brevi-acuminatis *subtus arcte reticulatis* mox utrinque fere glabris, floribus in paniculа racemoso-fasciculatis, pedunculis cum pedicellis et calycibus ferrugineo-tomentellis, *calycis laciniis anguste semilanceolatis*, corollæ parvæ tubo semiemerso, fauce tenui-barbata.

Ad sinum Rockingham's Bay; Dallachy.

Frutex lactescens, scandens, nonnunquam repens. Petioli semipollicares v. breviores, supra sæpe tomentosi. Folia 2–4″ longa,

1–2″ lata, subtus pallidius virentia. Rami paniculæ oppositi, interdum valde abbreviati. Calyces linea vix longiores. Corolla alba, circiter 4‴ longa ; laciniæ acutatæ, imperfecte ciliatæ. Antheræ ovali-sagittatæ, partem tubi superiorum occupantes. Stylus linea brevior, capillaris, glaber. Stigma semiovatum, ex vertice truncato mucronatum, $\frac{1}{8}$–$\frac{1}{6}$‴ latum. Squamæ hypogynæ lineares, staminoides, perbreves. Fructus ignoti.

Planta I. frutescenti simillima, specifice ut videtur divellenda petiolis longioribus, foliis subtus conspicuis reticulari-venosis, pedicellis brevioribus, calycis lobis minime deltoideis, corollæ fauce minus dense barbata.

Orchideæ.

Dendrobium bigibbum.

Lindl. in Paxt. Flowerg. 1852, p. 25, fig. 245.

Caulibus breviusculis pauciarticulatis cylindraceis apicem versus attenuatis et paucifoliatis, *foliis linear- v. ensato-lanceolatis chartaceis*, scapo terminali tenui longiusculo, racemo plurifloro rarius bifloro, pedicellis bracteolam longe superantibus, *sepalis* exterioribus semilanceolatis interiora cuneato-obovata longitudine æquantibus *basi calcar breve obtusum pone gibberem producentibus, labelli breviter unguiculati lobis lateralibus brevibus truncato-rotundatis, lobo medio longiuscule semilanceolato*, labello centrum et basim versus minute pluriseriali-cristato atque roseo-tincto, columna brevi præter apicem adnata.

Ad flumen Liverpool's River ; B. Gulliver.

Radices albæ, filiformes, intricate ramosæ, fasciculum caulium sive pseudo-bulborum producentes. Caules 1$\frac{1}{2}$–5″ longi, in basin minus quam in apicem attenuati, vaginis pallidis scarioso-membraneis laxe obtecti. Folia 4–8″ longa, 5–10‴ lata, inter nervos 5 longitudinales parallele striolata. sensim in apicem acutata. Scapi $\frac{1}{2}$–1′ longi, bracteis 2–3 arctis pallidis membraneis paucilinearibus cylindraceis ochreati. Bracteolæ deltoideo-semilanceolatæ, acuminatæ, membraneæ, circiter sesquilineam longæ. Pedicelli $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longi. Sepala semipollicem paulo excedentia, membranea ; exteriora acuminulata ; interiora (seu sensu Lindleyi petala) supra medium fere 3‴ lata, pallescentia. Calcar basale cylindricum, 1‴ longum v. paulo longius, obtusum, cui anteponit gibber semiovatus v. hemisphæricus e columnæ basi ortus calcare conspicue brevior. Tota columna, additis genitaliis, vix 3‴ longa. Pollinia clavato-cylindracea, cerea. Labellum semipollice vix brevius, membraneum ; cujus dimidium inferius fere obcordatum et pulchre purpureo-venosum ; dimidium superius trinervulatum, præter basim læve. Capsulæ clavato-obovatæ, semiunciales v. paulo longiores.

D. tetragonum, observante Bowman, extendit ad capricornu.

Cirrhopetalum Elisæ.

Bolbophyllum Elisæ, F. M. coll.

Caulibus pseudobulbeis globoso- v. pyramidali-ovatis uniarticulatis dentato-angulatis monophyllis, folio anguste oblongo, scapis radicalibus tenui-filiformibus, *racemo pauci- v. plurifloro, sepalis integerrimis, supremo semilanceolato acutato lateralibus subulato-linearibus flavis fere triplo breviore* interiora glaberrima lanceolato-ovata fere duplo excedente; labello anguste linguiformi lævi obtuso, columna acute bidentata.

In tractu Blue Mountains, C. Moore; in Nova Anglia prope Tenterfield, C. St.

Rhizoma repens, fibras tenui-filiformes flexuosas emittens. Pseudobulbi circiter unciales, prominentiis irregularibus dentati. Folium tenui-coriaceum, 2–3″ longum, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ latum, in petiolum paucilinearem canaliculatum angustatum, nervoso-striatum. Scapi solitarii, cum racemo digitum ad spithamam longi, inferne bracteis 2 arcte cylindricis ochreati. Bracteolæ membraneæ, semilanceolatæ, fere $1\frac{1}{2}$‴ longæ. Pedicelli sub anthesi 2–3‴ metientes, flavidi. Alabastra subulata. Sepala membranea; supremum 2–3″ longum; lateralia $\frac{2}{3}$–1″ longa, in basim sesquilineam latam sensim angustata; interiora (sive petala) circiter $1\frac{1}{2}$‴ longa, hyalina, paulo rosea, 3-nervia. Labellum atro-purpureum, carnosum, mobile, circa $1\frac{1}{2}$‴ longum, glabrum, oblongo-semiteres, indivisum, vix brevissime unguiculatum. Columna pæne bilinearis, magna ex parte calyci adnata. Anthera cordata, bilocularis, rostellulata. Pollinis massæ 2 ovato-globosæ, non in corpora 2 æqualia dividendæ.

Plantula pulchella, a plerisque alienis jam propter inflorescentiam haud umbellatam separabilis, me devota Elisæ Kern, sollerti et amabili scientiarum præceptrici atque cultrici.

Liliaceæ.

Dracæna reflexa.

Lam. Encycl. ii. 324; Cordyline Rumphii, F. M. Fragm. v. 194.

Foliis ensatis chartaceis tenui-acuminatis *in basim sessilem sensim angustatis* margine lævibus haud valde elongatis, panicula breviuscule pedunculata e racemis orta, *pedicellis calyce albido longiusculo ter quaterve brevioribus*, calycis vix ultra medium divisi lobis fere æquilongis, *filamentis* prope medium calycis insertis crassiusculis *anthera aliquoties longioribus*, stigmate peltato semigloboso, *baccis magnis* coccineis 1–3-spermis.

Ad sinum Castlereaghi, B. Gulliver; ad Cape York, E. Dæmel.

Attinet altitudinem 12′. Folia unciam lata v. angustiora. Baccæ cerasi minoris magnitudine, vel etiam minores, trispermæ, fere

globosæ, lætissime ex aurantiaco coccinea, triloculatæ v. 2- v. 1-loculatæ. Semina trigono-rotunda, 3–4‴ metientia, omnino globosa si solitaria. Testa fulvido-cana, opaca, neque fragilis nec separabilis. Albumen corneum, durum. Embryo clavato-cylindricus, rectus, vix trientem albuminis æquans.

Planta nunc genus verum Dracænæ in regno plantarum Australiæ præsentat. Cordylines species mihi notæ testam seminum fragilem atram producunt, embryonem longiorem et albumen oleoso-carnosum.

Flores longiores quam in speciminibus cultis, ex horto bot. Calcuttensi acceptis. Aliis autem characteribus planta nostra non specifice distare videtur.

Generis Cordylines auctoritas erit Brownius, quum planta Commersonii forsan ad veras Dracænas referenda sit.

Cordyline stricta, abs qua fortasse C. angustifolia (Kunth Enum. v. 32) non separanda, gaudet baccis globosis pisorum magnitudine, nigrescentibus, pleiospermis. Semina circiter 1‴ longa, angulata, nigra, nitentia. Albumen amygdalinum.

Cordyline Murchisoniæ attinet altitudinem 10′.

Dianella revoluta.

Br. Pr. 280; Endl. in Lehm. Pl. Preiss. ii. 39; J. Hk. Fl. Tasm. ii. 57; D. divaricata, Br. Pr. 280.

Acaulis, *foliis* linearibus strictis vagina complanata aliquoties longioribus *lævibus margine cito revolutis*, vaginis ad collum clausis, caulinis angustis foliaceis, panicula effusa, pedicellis bracteolam longe superantibus flore cyaneo vix. v. paulo longioribus, sepalis planiusculis, *antheris nigrescentibus parte filamenti incrassata parva lutea ter aliquotiesve longioribus*, filamentorum parte nuda portionem incrassatam longitudine fere æquante, polline albido, baccis sphæroideis.

In locis aridioribus totius Australiæ extratropicæ immo per eremos diffusa et alpium summitates adscendens.

Altitudo 1½–4′. Folia, si explanantur, vix ½″ lata v. angustiora. Flores intensius cœrulei quam ii D. longifoliæ et D. elongantis. Sepala omnia distincte 5-nervia. Antheræ fere sesquilineam longæ. Baccæ, ut in congeneribus mihi notis, cyaneæ v. cœruleæ, minores quam eæ D. Tasmanicæ. Semina nigra, lucida.

Dianella Tasmanica.

J. Hook. Fl. Tasm. ii. 57, t. 133; Bot. Mag. t. 5551.

Foliis latiuscule ensiformibus elongatis ad margines tarde revolutos costamque asperis, vaginis complanatis ad collum longum clausis, panicula effusa, sepalis interioribus 5-nerviis, *antheris oblongis flavis parti filamenti magnæ incrassatæ vitellinæ vix*

æquilongis, filamentorum parte incrassata portionem nudam longitudine excedente, baccis globoso- v. cylindrico-ovatis.

Per valles umbrosissimas filicibus arboreis ornatas Australiæ felicis et Tasmaniæ. In monte Baw-Baw saltem ad altitudinem juxta-alpinam (4000′) adscendens. In insula Kingii ; McGowan.

Folia petiolis (vaginis) additis 4–5′ longa, circiter pollicem lata, consistentiæ firmioris. Sepala exteriora sæpe 7-nervia. Antheræ vix 1‴ longæ, obtusæ, poris apertæ. Baccæ cyaneæ, 10‴ longæ v. varie breviores. Semina lævissima, lucenti-nigra.

D. Archeri (J. Hk. Fl. Tasm. l. c.) me nondum visa differt fide iconis imprimis parte filamentorum stuppacea anthera conspicue longiore. D. lævis operis citati forsan D. Tasmanicæ formam sistit.

Dianella elegans.

Kunth et Bouche Ind. Sem. Hort. Berol. 1848 ; Kunth Enum. v. 49 ; D. cærulea, J. Hook. Fl. Tasm. ii. 56.

Foliis breviusculis lanceolato- v. ensato-linearibus fere arcuatis ad margines costamque asperis, vaginis ad collum clausis, panicula effusa, sepalis interioribus 5-nerviis, *antheris flavis parte filamenti incrassata duplo longioribus*, polline albido.

In silvis montanis Tasmaniæ et Australiæ felicis, nec non in insula Kingii.

Planta amplius investiganda, 1–3′ alta. Folia 5–10″ longa, 7–10‴ lata, iis D. longifoliæ rigidiora. Sepala azurea. Antheræ lineam longæ, inferne sensim dilatatæ. Baccæ ovatæ, violaceæ, 4–6‴ longæ. Semina nitenti-nigra, lævia.

Dianella longifolia.

R. Br. Pr. 280 ; Edw. Bot. Reg, 734 ; D. lævis, Br. Pr. 280 ; D. rara, Br. l. c.; D. strumosa, Edw. Bot. Reg. 751, Kth. En. v. 45 ; D. revoluta, Lindl. in Bot. Reg. 1120.

Foliis lato- et elongato-linearibus laxiusculis ad basim caulis distichis *lævibus v. parce asperis margine planis, vaginis ad collum apertis haud carinatis*, panicula effusa, sepalis interioribus 3–5-nerviis, *antheris sulphureis parte filamenti incrassata majuscula vitellina fere duplo longioribus* lineari-sagittatis, filamenti parte nuda portionem incrassatam longitudine fere æquante, polline flavido, bacca fere globosa.

In pratis præsertim vallinis totius Australiæ extratropicæ et Tasmaniæ, minus tamen frequens quam D. revoluta, ad montes Newcastle-Range usque circulum capricornu in tractu orientali transgrediens.

Radix e tuberibus cylindraceis fulvis fasciculata. Vaginæ minus compressæ quam in plerisque aliis, potius semicylindricæ quam complanatæ, satis teneræ. Baccæ saturate violaceæ, sæpe semi-

pollicares. Semina lævissima, lucenti-nigra. Icones prolatas haud sine hæsitatione adduco.

Nervatura triplex sepalorum interiorum, ut jam in D. cœrulea vidimus, nullum characterem firmum pro separatione D. strumosæ præbet. Occurrit var. confertiflora in Darling's Downs. Si synonymiam correcte dedi, tunc D. lævis nomen quod optimum, aptius toti formarum cyclo attribuendum. In varietate humili folia breviora, complicata, falcato-curvata ; occurrit in sabulosis ad flumen Darlingi.

Dianella cœrulea.

Sims Bot. Mag. 505 ; Redout. Lil. 79 ; R. Br. Pr. 279 ; Kunth Enum. Plant. v. 44.

Caulescens, foliis fasciculatis ramos terminantibus v. in caule distichis ensiformi-linearibus margine planis costaque asperis, vaginis ad collum clausis solidis, panicula parum effusa, sepalis planiusculis cœruleis pedicello æquilongis v. longioribus, *antheris sulphureis parte filamenti incrassata parva vitellina bis terve longioribus*, filamentorum parte nuda portionem incrassatam longitudine fere æquante, polline albido, baccis sphæricis.

Per Australiam totam orientalem in vallibus humidis umbrosis vel circum paludes, usque ad Novam Angliam et sinum Rockinghami extendens ; occurrens etiam in insula Palm Island.

Folia in formis normalibus sesquipedalia et semunciam lata, sed varietatis *bambusaceæ* fere duplo breviora et angustiora. Sepala sæpe omnia 5-nervia, ni exteriora passim 6–7-nervia ; interiora nervis 2 extimis sæpe tenuioribus nec, dicente Kunthio, semper trinervia. Antheræ sagittato-subulatæ, obtusiusculæ, apice dehiscentes. Baccæ oligospermæ. Semina lucida.

D. congesta (Br. Pr. 280) statum D. cœruleæ exhibere videtur. Occurrit etiam status fere lævis, et forma agrostophylla, foliis 1–2‴ latis. D. graminifolia (Kth. et Bouch. Ind. Sem. Hort. Berol. 1848, Kth. En. v. 46) cujus nondum exemplaria authentica inspicere potui, forsan formis D. cœruleæ adnumeranda est.

Dianella ensifolia (Redout. Lil. tab. 1) Benthamio in opere suo de plantis insulæ Hongkong, p. 372 cum D. odorata (Blume Enum. i. 13) juncta, provenire videtur in Australia tropica. Vidi enim exemplaria floribus quidem destituta ad Rockingham's Bay obtenta, quæ ab iis a præcl. Dr. Meller in Madagascar collectis specifice separare nequeo. In speciminibus suis et nostris vaginæ breviores et ad collum minus consolidatæ, tunc etiam lamina folii latior quam in planta Hancei ex Amoy et ea Seemanni e Feeje. Plantam ad hasce ultimas plerisque notis accedentem cl. Oldfield a fluvio Murchisonii attulit. Nomine D. ensifoliæ fortasse apud varios scriptores species duæ amplectuntur.

D. angustifolia, Schult. Syst. Veg. vii. 352, forsan e Neo-Cambria venit et tunc formis D. cœruleæ adscribi possit.

Filices.

Acrostichum scandens.

J. Sm. in Hook. Journ. iv. 149 ; Hook. Sp. Fil. v. 249 ; Lomaria scandens, Willd. Sp. Pl. 293. (Sect. Stenochlæna.)

Caudice elongato scandente anguloso cum stipitibus rachibusque lævibus, *pinnis sterilibus chartaceis lanceolatis acuminatis mucronulato-serrulatis* in petiolulum perbrevem cum rachi articulatum contractis utrinque concoloribus nitidulis, *venis copiosis dense parallelis* ad marginem pinnarum extendentibus plerisque simplicibus, pinnis fertilibus elongato-linearibus acutatis breviter petiolulatis.

Ad sinum Rockingham's Bay ; Dallachy.

Planta Australiana, quantum visa, habet pinnas brevius petiolatas et basi magis rotundatas quam planta Ceylonica et Feejana, sed hac nota convenit cum stirpe Assamica et ex insulis Philippinis. Planta Lomarias cum Acrotrichis connectit.

Grammitis pinnata.

Gymnogramme pinnata, Hook. Sp. Fil. v. 151. (Sect. Dictyogramme.)

Caudice repente, stipitibus elongatis frondibusque glabris, *pinnis coriaceis elongato- v. angusto-lanceolatis* perbreviter petiolulatis v. summis sessilibus omnibus integerrimis, *venis anastomosantibus*, soris linearibus oblongisque sparsis.

Ad sinum Rockingham's Bay. Dallachy.

Congruit cum planta Seemannio ex insulis Fijeanis allata.

Grammitis decurrens (conf. Fragm. v. 188) nullo modo recedit a G. elliptica, Thunb. Fl. Japon. sec. præclarum Barker.

Grammitis Muelleri ad Crocodile Creek reperta a Bowman.

Lomaria articulata, monente J. G. Barker eadem est ac L. euphlebia. Conf. Woolls Contrib. to the Flor. of Austr. 247. Clar. W. Hill nuperius novum Polypodium e serie Gymnopteris ad Museum Kewense misit. Hoc sec. Barker ostendit frondes crassiores quam P. pœcilophlebium ; venæ magis copiosæ sunt et tota planta dense villosa evadit. Ad P. Gheisbreghtii e Mexico approximat. Acrostichum aureum intrat Neo-Cambriam, secus flumen Richmond's River crescens (Henderson). Ophioglossum pendulum (sect. Ophioderma) extendit usque in viciniam urbis Rockhampton, uti P. O'Shanesy demonstravit. Idem indagator varietatem Ophioglossi vulgati, folio elongato angustissimo per insignem eodem loco reperit, nec non *Isoetis speciem tropicam*, jam tenuitate a planta Tasmanica diversam. Lycopodium laterale e silvis sinus Rockingham's Bay accepi. Explorator T. Hooley in vallibus ad flumen Glenelgii Australiæ boreali-occidentalis filices arboreas caudibus 14′ altis superbientes detexit.

Fasciculus XLIV. editus Febr. 1868.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLV.

Araliaceæ.

Astrotricha Hamptoni.

Foliis oblongo-lanceolatis planis subtus tomento fulvido-albo velutinis basi obtusis in apicem acutatis supra tenuiter stellari-pilosis, petiolis folio ferme duplo brevioribus velutinis, umbellis ample paniculatis, involucellorum foliolis anguste lanceolatis pilosulis, pedicellis calycibus petalisque glabris, ***calycis dentibus subulato-semilanceolatis distantibus corollam semiæquantibus, carpophoro bisecto secedente, fructibus urceolatis compressis*** apteris orbiculari-ovatis, collo membraneo pyrenis longitudine semiæquo, commissura utrinque bisulcata.

In hiatibus rupium ad montes Hammersly-Range; C. Harper.

Planta 5–6′, ex eadem radice caules 5–6 pullulans. Folia inferne conferta, 4–6″ longa, ⅔–1″ lata, subtus costa prominente quasi carinata, supra pennivenia et tali modo leniter impressa, nec tamen rite reticulata. Petioli teretes. Superior pars caulis aphylla, ad summitatem alternatim sive sparsim in pedunculos primarios bi- v. triunciales firmos divisa, quibuscum parcissime pilosula. Bracteæ ad basim horum pedunculorum latiuscule lineares, pollicares v. breviores, subtus satis dense stellari-pilosæ. Pedunculi secundarii unciales v. breviores, sæpe iterum in novos 2–3 divisi, bracteis ceteras simulantibus sed brevioribus solitarie suffulti. Umbellæ pluri- v. multifloræ, pedunculo paucilineari usque pollicari præditæ. Foliola involucelli seu bracteolæ plura v. plurima, 1½–2‴ longa. Pedicelli cum flore articulati, glabri, primum perbreves, demum ex parte usque ad sesquilineam longi. Calyx florens vix sequilinearis, collo longo amplo membraneo pallido et dentibus circiter semilineam metientibus præditus, his et illo persistentibus. Petala albida, leniter flavescentia, semilanceolata, basi truncata, æstivatione valvata, lineam longa, uninervia, subtilissime venosa, in calyptram

diu cohærentia et mox tali modo secedentia, apice simplicia. Filamenta setacea, antheram longitudine vix æquantia, basin versus stellari-pilosula. Antheræ flavidulæ, oblongæ, glabræ, mox versatiles ; loculi introrsum rima longitudinali dehiscentes. Pollinis granula lævia, indistincte octohedra. Styli 2 setacei, glabri, lineam paulo excedentes, basi tantum cohærentes, ætate soluti. Stigmata perminuta, terminalia. Fructus odorem satis gravem spargens, tubo calycis longiuscule superatus quocum pæne 2‴ longus, sponte in mericarpia solutus. Carpophori divisiones tenuicapillares, a basi apicem versus simul cum pedicello a mericarpiis secedentes, nec tamen a horum apice nisi fractura solubiles. Mericarpia dimidiato-ovata v. in formam dimidiato-rotundam vergentia, tenuiter quinquenervia, nervis 2 commissuralibus, 2 lateralibus, 1 dorsali. Discus depressus, haud prominens. Epicarpium membraneum cum endocarpio tenui-crustaceo connatum, inter nervos ductis oleigeris rufis irregulariter percursum. Commissura secus axim utrinque canali solitario sulcata. Semen ex apice cavitatis sine ope funiculi suspensum, albidum, dimidiato-ovatum, ferme lineam longum, totam cavitatam explens, vix lenissime curvatum. Testa tenerrima, lævis. Raphe ventralis, fere alteram seminis extremitatem (in situ basalem) attinens. Albumen amygdalinum. Embryon obverse cordatum, circiter $\frac{1}{30}$‴ metiens, intra apicem albuminis situm. Radicula cum cotyledonibus confluens, supera.

Plantam nunc ordinem Araliearum primum in Australia occidentali exhibentem devoveo Doctori Hampton, territorii ad occidentem Australiæ pertinentis, excellenti et liberali Gubernatori.

Heraclei et Angelicæ species giganteæ in Kamtschatka vigentes faciem omnino Araliearum assumunt, uti etiam Araliæ species herbaceæ Boreali-Americanæ quasdam plantas Umbelliferarum simulant, quo modo limites inter hos ordines saltem habituales diruuntur. Asterotricha pluribus notis ad Sieberam accedit.

Apocyneæ.

Parsonsia glaucescens.

Foliis breviter petiolatis ovato- v. oblongo-lanceolatis vel fere ovatis obtusis et brevissime acuminatis v. apiculatis *subtus viridiglaucis et indistincte venosis*, *cymis compositis confertifloris* breviter pedunculatis, calycis segmentis subulato-semilanceolatis, *corollæ lobis æstivatione imbricatis*, fauce imberbi, filamentis anthera paulo brevioribus, *caudis antherarum subulatis convergentibus*, squamis hypogynis semilanceolato-oblongis basi cohærentibus, placenta in utroque fructus loculo distincta, coma seminum albida.

In virgultis a fluvio Darlingii et a Nova Anglia usque ad Rockingham's Bay.

Ramuli fere semper subtilissime pubescentes. Folia pæne chartacea, glabra v. tenuiter et parce v. dense pubescentia, $1\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}''$ longa, $\frac{1}{2}$–$1''$ lata, petiolo sesqui- usque paucilineari prædita, tenuiter penninervia, supra saturate v. pallide virentia, subtus autem fere glauca et omnino opaca. Pedunculus primarius uncialis v. varie brevior; pedunculi secundarii paucilineares v. breviores, cum pedicellis et calycibus subtilissime tomentelli. Bracteæ et bracteolæ semilanceolato-subulatæ, lineam metientes vel breviores. Calycis tubus brevissimus; lobi sesquilineares. Corollæ lobi lanceolati, bilineares, intus pallide flavi v. raro rosei, semper glabri; tubus $1'''$ longus, ad staminum insertionem parce barbatus. Filamenta glabra v. tomentella, leniter v. spiraliter torta, vix $1'''$ longa. Antheræ lineam paulo excedentes; caudæ loculis fere duplo breviores. Squamæ hypogynæ $\frac{1}{3}'''$ longæ. Stylus glaber. Fructus 4–$5'''$ longus; valvarum margines sese tangentes et loculum intus flavidum claudentes sicut membranam placentæ elongato-linearem seorsim includentes. Semina igitur ad exteriorem paginam placentæ membraneæ tantum sita, saturate fusca, basi et apice attenuata, circiter $4'''$ longa. Coma semipollicaris.

Occurrit varietas undique tomento densiore mollis. Comprehenduntur forsan sub nomine novo supra dato P. lanceolata et P. mollis, Br. Pr. 466.

Parsonsia lilacina.

Ramulis gracilibus breviter reverso-pubescentibus, *foliis parvis lanceolato-ovatis brevissime petiolatis basi bilobis* utrinque fere glabris subtus pallidioribus, cymis paucifloris gracile pedunculatis pilosulis, corollæ tubo cylindraceo segmenta calycis semilanceolata saltem duplo superante, *lobis corollæ æstivatione valvatis*, filamentis glabris antherа ter brevioribus, *antheræ lobis posticis obtusis divergentibus*, stylo glabro, squamis hypogynis distantibus, placenta in utroque fructus loculo distincta, coma seminum fulvescente.

In nemorosis ad flumina Clarence's et Richmond's River; C. Moore; H. Beckler.

Alte scandens. Folia 1–$2''$ longa, tenui-chartacea, acutiuscula v. brevi-acuminata; nervi patentes cum venis supra prominentes, subtus minus conspicui. Pedunculus cymæ unciam longus v. varie brevior, cum pedicellis paucilinearibus breviter pubescens. Calycis segmenta vix lineam longa. Corollæ lilacinæ tubus sesquilinearis, lobis æquilongus, cum fauce glaberrimus; lobi semilanceolati, parcissime pilosuli. Antherarum caudæ loculis breviores. Squamæ 5 liberæ, invicem remotiusculæ, lineares, glabræ, modo truncatæ, modo acutæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ. Germen glabrum. Fructus 4–$5'''$ longi; valvarum margines contactu loculos intus pallidos separantes. Placentæ elongato-lineares, tenerrime membraneæ, superficie seminiferæ. Semina 3–$4'''$ longa, plano-convexa, fere oblonga, apice

leviter attenuata et truncata, basi obtusiuscula. Testa fulva, glabra, fusco-verruculosa. Coma circiter semipollicaris.

Eadem v. similis planta me ipso ad fluvios Brisbane's et Fitzroy's River visa.

Parsonia Leichhardtii.

Lyonsia Leichhardtii, F. M. coll.

Ramulis puberulis, *foliis ovatis v. cordato-ovatis in acumen obtusum protractis* glabris conspicue petiolatis, cymis longiuscule pedunculatis, pedicellis fere umbellato-confertis, calycis laciniis semilanceolatis, *corollæ lobis æstivatione valvatis*, extus fere glabris, fauce dense barbata, filamentis perbrevibus, antherarum lobis basalibus fere ovatis divergentibus loculo ter brevioribus, *squamis hypogynis latis bilobis.*

Ad sinum Wide Bay ; Leichhardt.

Petioli $\frac{1}{4}$–1″ longi. Folia $1\frac{1}{2}$–3″ longa, tenui-nervosa, tenuissime venosa. Pedunculus cymæ fere uncialis. Pedicelli bilineares v. breviores. Calycis divisiones lineam vix excedentes. Corolla circiter $2\frac{1}{2}'''$ longa. Antheræ $\frac{2}{3}'''$ longæ. Squamæ hypogynæ fere quadratæ, apice eminenter bidentatæ. Fructus ignotus.

Planta similis ni conspecifica crescit ad Rockingham-Bay et ad flumen Tweed. Paniculæ sunt largiflorentes, ferrugineo-tomentellæ, longius pedunculatæ; corolla extus velutino-tomentella; faux minus dense barbata ; filamenta pubescentia ; squamæ hypogynæ truncatæ, paulo dissitæ. Hæc planta jam æstivatione corollæ et floribus in paniculam amplius expansis a P. molli discedit.

Parsonsia Langiana.

Lyonsia Langiana, F. M. coll.

Ramulis tomentoso-pubescentibus, *foliis fere herbaceis ovatis v. cordato-ovatis acuminatis* breviuscule petiolatis reticulato-venosis parce pubescentibus ad nervos tomentosis, paniculis longe pedunculatis, *floribus brevibus cymoso-racemosis, calycis lobis deltoideis, corolla æstivatione valvata*, tubo lobis crassiusculis intus glabris extus sericeis paulo breviore, fauce ciliis densis reversis annulariibarbata, filamentorum parte libera pubescente perbrevi, *antherarum loculis lobos basales dilatatis obtusas divergentes aliquoties superantibus*, squamis hypogynis oblongo-quadratis glabris apice erosis basi cohærentibus.

Ad sinum Rockingham's Bay ; Dallachy.

Planta præalte scandens. Folia $2\frac{1}{2}$–$4\frac{1}{2}''$ longa, $1\frac{1}{2}$–2″ lata, prominule penninervia, conspicue venosa, supra nitentia, utrinque saturate virentia. Petioli $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ longi, ferrugineo-tomentosi. Pedunculi primarii 2–3″ longi, cum secundariis sicut pedicellis et calycibus tomento ferrugineo velutinelli. Racemi uncia sæpe breviores, simpliciter oppositi vel dichotome dispositi, sæpe in cymas mutati.

Pedicelli floriferi 1–2‴ longi. Calyces vix lineam metientes. Corolla ferme campanulata, vix 2‴ longa; lobi intus flavi, ad basim reverso-ciliati, lineari-semilanceolati; tubus lobis quoad consistentiam tenuior. Antheræ stramineæ, $\frac{3}{4}$‴ longæ, sensim acutatæ. Stylus brevis, glaber. Squamæ circiter $\frac{1}{3}$‴ longæ. Fructus ignotus.

Speciem distinguo nomine Thomæ Lang, hortulani in nostra colonia præstantis et peritissimi, qui e horto suo ditissimo nobis dona liberalia fecit.

Parsonsia induplicata.

Ramulis gracilibus mox glabratis, *foliis tenui-chartaceis lanceolatis v. ovatis* acuminatis glabris, cymis trichotomis, *segmentis calycis semilanceolato-linearibus patentibus corollam fere æquantibus, corollæ lobis galeato-induplicatis* tubo æquilongis, fauce dense barbata, antheris inclusis, caudis subulatis divergentibus loculo ter brevioribus, filamentis perbrevibus glabris, squamis hypogynis distantibus linearibus obtusis.

Ad fluvium Hastings-River; Beckler. Ad flumen Lansdown-River prope Brimben; Moore & Carron.

Petioli unciales v. breviores, interdum sesquilineares. Folia longiuscule v. breviter acuminata, $2\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}$″ longa, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{4}$″ lata, basi acutiuscula, tenui-penninervia, haud prominenter venosa. Pedicelli lineares-semipollicares, cum pedunculis et calycibus puberuli. Calycis segmenta 1–$1\frac{1}{2}$‴ longa. Corolla vix 2‴ longa, fauce paulo coarctata; lobi margine late inflexo quasi lanceolato-ovati. Antheræ tenui-sagittatæ, stramineæ, $\frac{2}{3}$‴ longæ, cito secedentes. Stylus brevis, tenuis, glaber. Stigma apice bifidum. Squamæ hypogynæ circiter $\frac{1}{3}$‴ longæ. Fructus ignoti.

Positio plantæ generica ob corollæ formam insolitam et fructus defectum adhuc dubiis vexatur.

Parsonsia straminea (F. M. Lithogr. lviii.; Lyonsia straminea, Br. Pr. 466) invenitur a montibus cæruleis per valles filicibus arboreis ornatas usque ad flumen Hopkins-River. Folia interdum late ovata, etsi acuta. Flores inodori. Corolla intus sordide luteola. Radices, observante amico Woolls, magnæ, tuberosæ, post coctionem edules.

Parsonsia reticulata (Lyonsia reticulata, F. M. Essay of the Plants of the Burdekin-Exped. 16) reperta a præclaro Woolls prope Parramattam; abhinc extendit usque ad sinum Rockingham's Bay, interdum altitudine 150′ arbores circumscandens. Planta lacte flavido scatet. Tubera Woollsius vidit nulla. Liber fibrosus, tenax. Folia usque semipedem longa, usque 3″ lata, subtus ferme cinerea, supra pallide viridia. Panicula interdum spithamæa et crebriflora. Corolla intus luteola v. fide Dallachyi rosea. Filamenta antheris duplo breviora. Coma seminibus ter longior.

Parsonsia diaphanophleba (F. M. Fr. ii. 158) est planta Drummondi 225.

Parsonsia eucalyptophylla (F. M. Fr. ii. 159) a fluviis Darling's et Lachlan's River usque ad flumen Flindersii extendit. Folia in varietatibus modo elliptica, modo lanceolato-ovata. Corollæ semipollicares.

Parsonsia ventricosa (F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. ii. 71) Novam Angliam intrat. Liber tenax. Pedicelli semipollicares v. breviores. Corollæ lobi statu valde juvenili tortuli, expansione intus albi. Fructus ignoti. Illustris Asa Gray plantam ad Lyonsias duxit. Forsan novi generis (Gastranthi) typus.

Parsonsia velutina (Br. Pr. 466) a fluvio Hastings-River vergit usque promontorium Cape York. Folia semipedalia v. breviora, varietatis glabrioris subtus punctato-scabrida. Petioli $\frac{1}{2}$–1″ longi. Cymæ confertifloræ, fere capitatæ. Corolla intus sordide alba; lobi æstivatione imbricati. Coma pallide fusca, semine utrinque acutato vix duplo paulove longior. Placentæ 2 membraneæ, distinctæ, pagina scilicet supera seminigeræ. Folia nonnunquam utroque margine sinu intrusa.

Loganiaceæ.

Gardneria fagræacea.

Glabra, *foliis* in apice ramulorum confertis oppositis lanceolatis vel ovato-lanceolatis brevi-acuminatis *opacis indistincte nervosis et venosis, pedunculis terminalibus trifloris v. cymoso-pauciforis,* bracteis fere deltoideis, bracteolis semiovatis, calycibus quinquelobis, *baccis ovatis* mono- v. dispermis.

In silvis ad sinum Rockingham's Bay; Dallachy. Planta adspectu Fagrææ.

Ramuli tantum apicem versus foliati, cetero spatio aphylli. Folia igitur tantum ad illorum extremitatem et ad nodos provenientia, 3–6″ longa, $1\frac{1}{3}$–2″ lata, in petiolum $\frac{1}{3}$–1″ longum sensim desinentia, subtus prominenter uninervia, utrinque nitoris expertia et subtilissime rugulata, supra minus pallescentia. Petioli ad basin superficiei in membranam angustam dilatati et hinc excavati. Pedunculus primarius semuncialis v. brevior v. omnino absens; pedunculi secundarii angulati, pluri- v. paucilineares. Pedicelli semiunciales v. breviores. Bracteæ et bracteolæ vix 1‴ longæ; hæ immediate sub calyce sitæ vel ab eo remotæ. Calyx persistens, medio tenus lobatus; lobi rotundati, circiter 1″ metientes, imbricati. Corolla et genitalia non exstant. Fructus $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longus, coccineus, apiculatus, biloculatus v. altero semine tabescente uniloculatus. Pericarpium coriaceum. Semen ovatum, 2–3‴ longum, ventre impressum, quo modo sectione transversa renatum. Umbiliculus ventralis. Testa membranea, fusca, subtilissime reticulata. Albumen recens fere amygdalinum, exsiccatione magis corneum.

Embryo axilis, paulo obliquus, cylindricus, vix ultra lineam longus, parte cotyledonari vix latiore sed paulo applanata. Radicula infera.

G. ovata et G. angustifolia jam facillime distinguuntur nervatione et venatione foliorum eximie visibilibus, eorumdem nitore, fructibus globosis, foliis fere æquidistantibus. G. angustifolia præterea differt florum dispositione.

Mitreola oldenlandioides (Wall. in Cand. Prodr. ix p. 9) me detecta ad flumen Victoriæ.

Strychnos psilosperma (F. M. Fr. v. 44) nuper ad rivum Crocodile Creek et sinum Rockingham's Bay collecta ostendit ramos spinosos.

Mitrasacme montana (J. Hook. in Proceed. Linn. Soc. i. 93; Fl. Tasm. i. 274 t. lxxxviii.; M. Archeri, J. Hook. Fl. Tasm. ii. 368) viget in alpibus Australiæ, e. g. in summitatibus montis Baw-Baw.

Mitrasacme polymorpha (Br. Pr. 453) vergit a fluvio Hastings River in tractum Blue Mountains et sinu Twofold-Bay tenus..

Mitrasacme pilosa (Lab. Nov. Holl. Plant. Spec. i. 36 t. 49) alpes Australiæ adscendit.

Mitrasacme distylis (F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i. 20) crescit ad basim montium Grampians; aliis locis forsan primo vere supervisa.

Mitrasacme paradoxa (Br. Pr. 454; M. nuda, Nees in Lehm. Pl. Preiss. ii. 239) vulgata est ab Australia occidentali in Australiam felicem. Variat caule nudo simplice et caule ramoso et tunc foliato, perhumili et pedali, corolla calyce superata v. eundem superante. Pedicelli interdum biunciales.

Mitrasacme laricifolia (Br. Pr. 453) me colligebatur ad flumen Victoriæ. Plantula sesquipollicaris. Faux corollæ barbata.

Logania floribunda (Br. Pr. 456; L. revoluta, Br. Pr. 456; L. angustifolia, Sieb. in Spreng. Cur. Post. 59) crescit a montibus Buffalo-Range et a flumine Genoa usque ad rivos Ballonne et Condamine's River, nec non in Novæ Angliæ montibus et in tractu Expedition Range. Frutex 8′ v. humilior. Capsula casu 3-loculata.

Logania nuda (F. M. Fr. i. 129; Lithograms Pl. lx.) crescit ad lacum Hindmarshi, ad flumen Murrayi, scilicet in deserto sabuloso, nec non in Australia occidentali (Drummond). Ramuli nonnunquam spinescentes, vel etiam contorti.

Logania pusilla (Br. Pr. 456) mihi solummodo admissa ab amico Woolls e vicinia pagi Parramatta.

Logania bracteolata (Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 367) quæ forsan veram L. fasciculatam Brownii repræsentat, inventa est a sinu King George's Sound usque ad Esperance Bay. Fruticulus $\frac{1}{2}$–2′. Folia sæpe margine incurva, nunquam recurva. Pedunculi perbreves, pauciflori. Faux corollæ barbata. Formationem calcaream amat.

Logania linifolia (Schl. Linnæa, 1847, 605) eremos occupat a fluviis Murray, Wimmera, Darling, Murrumbidgee usque ad sinum Spencer's Gulf. Frutex paucipedalis. Folia margine sæpe inflexa,

nunquam reflexa. Cymæ sæpe insigniter pedunculatæ. Flores fragrantes. Faux corollæ imberbis.

Logania micrantha (Benth. in the Proceed. of the Linn. Soc. i. 94) nota est a fluvio Murchisonii (Drumm. 252 et 253). Planta a L. stenophylla valde distincta.

Stricto prioritas jure nomen Euosmæ pro genere restituendum. Flores plerarumque specierum fragrantes.

Logania vaginalis.

Exacum vaginale, Lab. Nov. Holl. Plant. Spec. i. 37, t. 51 ; Logania latifolia, Br. Pr. 453 ; L. longifolia, Br. Pr. 454.

Elata, fruticosa, *glabra, erecta, foliis coriaceis lato- v. lanceolato-ovatis v. lanceolatis* planis, cymis paniculatis, sepalis rotundo-ovatis corollam parvam semiæquantibus, corollæ fauce barbata, *staminibus tubo inferne insertis,* antheris ovalibus filamento ferme æquilongis, stigmate ovato-globoso styli longitudinem vix æquante, *capsula calycem longe superante* majuscula, seminibus ventre impressis.

A sinu St. Vincent's Gulf et lacu Torrensi in Australiam occidentalem vergens.

Jam altitudine pedali floret. Folia conspicue vel vix petiolata. Cymarum pedunculi abbreviati v. elongati. Corolla circiter 2‴ longa. Faux fornicato-barbata. Capsula 4–5‴ metiens. Semina $\frac{2}{3}$‴ longa, ellipsoideo-ovata. Loganiam ovatam e diagnosi huc traho. Occurrit varietas foliis ternatis.

Logania crassifolia (Br. Pr. 455) in collibus calcariis ad lacum Alexandrinæ et observante Henrico Edwards ad Guichen Bay in locis sabulosis crescit. A precedente parum distat caule procumbente, seminibus majoribus, quantum vidi, medio æqualiter constrictis, ventre haud excavatis.

Logania cordifolia (Hook. in Mitch. Trop. Austr. 341) ad montem Pluto illustri Equite Thoma Mitchell detecta fuit. Planta evidenter fruticosa et duabus præeuntibus sicut sequenti cognata. Folia fere Veronicæ imperfoliatæ. Corollæ parvæ lobi deltoidei. Faux subtiliter barbata.

Logania elliptica (Br. Pr. 455) regiones litorales paludosas sequitur a sinu Portland-Bay Australia occidentali tenus. Humilior quam L. vaginalis, abs qua florum notis parum recedit. Capsulæ minores.

Logania buxifolia.

Erecta, glabra, fruticosa, *foliis coriaceis obovatis v. orbiculari-ovatis planis,* cymis terminalibus confertifloris breviter v. brevissime pedunculatis, sepalis fere ovatis corollam semiæquantibus, corollæ parvæ lobis orbicularibus, fauce tuboque barbatis, filamentis brevissimis infra medium tubi insertis, *antheris oblongo-cylindricis,*

stigmate tenui-cylindraceo longitudinem styli excedente, capsula parva calycem longe superante apice acutata.

In monte West Mount Barren (Drumm. 245); et ad sinum South West Bay; Mx.

Species arcte approximat ad L. ellipticam, divergens foliis minoribus apice obtusissimis, filamentorum brevitate, tunc antherarum sicut stigmatis gracilitate. Capsula vix 2‴ longa. Folia passim ternata.

Logania serpillifolia.

R. Br. Pr. 240; L. hyssopioides, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 368; L. hispidula, Nees l. c.

Suffruticosa, humilis, erecta v. diffusa, hispidula, *ramis acute quadrangulis*, *foliis parvis herbaceis ovatis* v. passim oblongis acutiusculis planis v. margine recurvis brevi-petiolatis, cymis breviter v. brevissime pedunculatis conferte paucifloris, sepalis anguste lanceolatis sensim subulato-acuminatis ciliatis, *corollæ calycem fere æquantis fauce barbata* ecallosa, filamentis ad faucem brevibus, antheris ovato-oblongis, *stylo glabro longitudinem stigmatis ovato-globosi conspicue excedente*, capsula apice obtusata.

Frequens a sinu King George's Sound saltem usque montes Stirling's Range, orientem versus usque ad promontorium Cape Le Grand extendens; Mxw. (Drumm. 221, 116, 145).

Planta paucipollicaris usque pedalis, pluri- v. multicaulis, Haloragis facie. Caules et rami lineis virentibus e marginibus petiolorum decurrentibus tetragoni. Folia 2–5‴ longa; nervus medianus superne tenuior, fere evanescens. Cymæ passim valde depauperatæ. Flores fragrantes. Corolla campanulata, venosa, circiter 4‴ longa; pili faucis conspicue crispi. Antheræ circiter $\frac{1}{3}$‴ longæ. Stylus fere 1‴ metiens. Stigma pæne semilineare. Capsula 2‴ longa, pleiosperma. Semina hemiellipsoidea. Huc etiam pertinere videtur L. Centaurium, Nees l. c. ii. 240.

Logania campanulata.

R. Br. Pr. 456; Vriese in Lehm. Pl. Preiss. ii. 240.

Suffruticosa, erecta, caulibus ramisque teretiusculis tenui-striolatis, *foliis distantibus linearibus planis* v. margine leniter recurvis, cyma terminali longe pedunculata pauciflora, sepalis anguste lanceolatis sensim acuminatis pubescentibus corollam semiæquantibus, *corollæ fauce imberbi ecallosa*, antheris tereti-linearibus filamento longioribus, *stigmate tenui-cylindraceo longitudine stylum conspicue excedente*, capsula apice acutata.

A promontorio Cape Riche usque ad sinum Great Bight; Drumm. (650).

Planta Boroniæ facie, spithamæa usque sesquipedalis. Caules simplices v. oligocladi. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa, $\frac{1}{2}$–1 $\frac{1}{2}$‴ lata, sensim acuta.

Cyma passim ad flores duos v. unicum depauperata. Sepala 3–4‴ longa, margine membranea. Corolla (fere Gentianæ) conspicue venosa, 4–5-loba, $\frac{2}{3}$‴ longa v. brevior ; lobi semielliptico-ovati, tubo amplo æquilongi, utrinque parce et subtiliter pilosuli. Antheræ 1‴ longæ, paulo supra basim affixæ. Stigma $1\frac{1}{2}$–2‴ longum. Stylus vix 1‴ longus, crassiusculus. Capsula calycem æquans, pleiosperma. Semina dimidiato-ellipsoidea.

Logania callosa.

(Sect. Stomandra.)

Suffruticulosa, humilis, erecta, caulibus foliosis teretiusculis sexsulcatis, *foliis linearibus acutiusculis margine revolutis*, floribus terminalibus solitariis, sepalis lineari-lanceolatis acutatis ciliatis pedicello multo longioribus corollam semiæquantibus, *corolla magnæ lobis ad basim barbatam callosis*, tubo intus inferne villosulo, antheris tereti-linearibus filamento longioribus, *stigmate tenui-cylindraceo*, stylo pilosulo perbrevi.

In Australia occidentali ; Drummond.

Planta ex unico specimine accepto paucipollicaris. Folia 2–4‴ longa, ob margines revolutos tantum $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ lata, erecta, nervo crasso mediano marginibusque decurrentibus ramos sexstriatos reddunt. Bracteæ et bracteolæ conformes, lineari-canaliculatæ, $1\frac{1}{2}$–2‴ longæ, acutæ, cum sepalis margine membraneæ et ciliatæ, dorso hispidulæ. Sepala circiter 3‴ longa. Corolla albida, $\frac{2}{3}$‴ longa ; tubus satis amplus, lobis paulo brevior ; lobi 5 ovato-oblongi, ad basim callo fere ovato barbatoque incrassati, albi, ferme glabri, haud evidenter venosi. Antheræ infra medium fixæ, $1\frac{1}{3}$‴ longæ, basi brevissime bilobæ. Filamenta subulata, glabra, vix semilineam excedentia. Stylus circa $\frac{2}{3}$‴ longus. Stigma 1–$1\frac{1}{2}$‴ longum. Fructus ignoti.

A Logania campanulata, cui characteribus antherarum pistillique cognata, habitu foliis sicut corollæ callositate divergens.

Logania spermacocea.

(Sect. Stomandra.)

Suffruticosa, humilis, erecta, hispidula, *ramis obtusangulis sexsulcatis*, *foliis linearibus margine revolutis* apice acuto recurvis, floribus solitariis geminis ternisve axillaribus et terminalibus breviter v. brevissime pedicellatis, sepalis lanceolato-linearibus acutatis ciliolatis corolla triente brevioribus, *corollæ fauce ecallosa imberbi*, tubo intus glabro, *antheris ovato-oblongis* filamento vix longioribus, *stylo glabro longitudinem stigmatis ovato-globosi conspicue excedente*, germine apice acutato.

Ad flumen Murchison's River et sinum Champion's Bay ; Walcott & Oldfield.

Planta facie Spercoces et Opercullariæ, stricta, ramosissima, spithamæa v. humilior. Radix simplex, recta v. tortula, pauci-pollicaris, descendens. Folia $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ longa, circiter $\frac{2}{3}'''$ lata, e nervo mediano valido et marginibus strias ramorum demittentia. Sepala circiter $3'''$ longa. Corolla alba, circiter $4'''$ longa, non conspicue venosa; lobi tubo vix æquilongi. Antheræ $\frac{1}{2}'''$ longæ. Stylus fere sesquilinearis. Stigma vix semilineare. Germen parce et subtiliter pilosulum. Capsula matura deest.

Planta se habet ad L. callosam, quam L. serpillifolia ad L. campanulatam, quoad floris structuram. Ex iisdem regionibus accepi plantam simillimam, cujus antheræ lineari-oblongæ et stigma ellipsoideo-cylindricum, quo modo ad L. campanulatam vergit. Hæ plantæ forsan hybridismum nisi dimorphismum indicant. Omnes in loco natali amplius examinandæ.

Asclepiadeæ.

Marsdenia araujacea.

Volubilis, ramulis adpresso-pubescentibus, *foliis cordato-ovatis* v. cordatis brevi-acuminatis fere glabris conspicue petiolatis subtiliter reticulato-venosis, umbellis plurifloris breviuscule pedunculatis, *floribus magnis* pedicello velutino-tomentoso longioribus, sepalis orbiculari-ovatis extus pubescentibus, *corollæ lobis oblique semi-lanceolatis supra cum fauce villoso-barbatis*, coronæ divisionibus quadrato-ovatis subito acuminatis, *stigmate rostrato.*

Ad sinum litoreum Rockingham's Bay. Dallachy.

Petioli circiter unciales, appresso-pubescentes. Folia 3–5″ longa, $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}''$ lata, tenui-chartacea v. pæne membranea. Pedunculi unciales v. breviores, parciuscule pubescentes. Bracteæ et bracteolæ ovatæ v. lanceolatæ, 1–$1\frac{1}{2}'''$ longæ, pedicellos involucrantes. Sepala 2–$3'''$ longa, intus glabra. Corolla albida, semipollicaris; tubus satis ventricosus; lobi acutiusculi, apice et margine glabri. Coronæ partitiones sesquilineares, basi truncatæ, infra acumen terminale subito rotundato-obtusæ. Massæ pollinis ellipsoideo-teretes, basifixæ, adscendenti-erectæ. Stigmatis rostrum semilineam vix excedens, apice bidenticulatum. Fructus ignoti.

Planta præ omnibus hic indigenis speciosa differt a Marsdenia velutina, cujus specimina Javanica comparavi, foliis non velutinis, minus latis, minus crasse nervosis, arctius reticulato-venosis, sepalis latioribus, corollæ lobis nec late ovatis, nec supra glabris, nec hinc saturate coloratis, coronæ partibus non late sagittatis, stigmate haud mutico et forsan fructibus adhuc comparandis.

Marsdenia rostrata distinguitur situ massarum pollinis, forma segmentorum coronæ aliisque notis, convenit stigmate rostrato. Hanc speciem trans circulum capricornu nondum reperimus.

GENTIANEÆ.

Gentiana saxosa (Forst. in Act. Holm. 1777, p. 183, t. 5; F. M. Veg. Chath. Isl. p. 40) in planitiebus basalticis Australiæ felicis raro exstat, occidentem versus usque ad paludem Tilly's Swamp. In montibus alpinis crebra; in regionibus frigidis Novæ Angliæ quærenda.

Canscora diffusa (Br. Pr. 451; Orthostemon erectus, Br. Pr. 451) habitat ad flumen Victoriæ. Flores 4–5-meri.

Sebæa albidiflora (F. M. in Tr. Ph. Soc. Vict. i. 47) passim in pratis fere salinis inter montes Grampians et portum Phillipi occurrit. Capsula paulo, semina conspicue majora et hæc pallidiora, quam ea S. ovatæ. Placenta bipartibilis.

Sebæa ovata (Br. Pr. 452; Erythræa chlorifolia, Lehm. Pl. Pr. ii. 239) ample et gregarie per Australiam extratropicam diffusa est. Occurrit passim uniflora.

Erythræa australis (Br. Pr. 451) per totam Australiam continentalem sparsa est. Altitudo $1\frac{1}{2}''$–$2\frac{1}{2}'$. Folia pollicem longa v. varie breviora. Planta statu pygmæo nonnunquam uniflora.

Villarsia trachysperma.

(Sect. Limnanthemum.)

Natans, foliis renato-cordatis integerrimis breviter petiolatis, umbellis multifloris e basi petioli emergentibus, sepalis angusto-lanceolatis, *corollæ albæ lobis tota superficie barbatis ecristatis*, antheris fere ovatis, capsula ovata evalvi polysperma, *seminibus lenticulari-globosis asperis*, raphe haud prominenter marginante.

In lacunis juxta fluvium South Alligator-River. F. M.

Caules teretiusculi, leviter compressi, vix ultra lineam crassi, interdum angulati, non articulati. Petioli semiteretes, semipollicares v. breviores. Folia ad caulis nodos cymis umbelliformibus solitarie opposita, 1–$2\frac{1}{2}''$ lata, obtusa, subtus dense punctulata; lobi divergentes, quo modo sinus basalis redditur amplus. Pedicelli ætate 1–2″ longi, teretes. Sepala patula, fere 3‴ longa. Corollæ fundus luteus, glaber, præter 5 barbulas basibus filamentorum interpositas; lobi fere semipollicares. Filamenta alba, inclinata, circiter 2‴ longa, tenui-filiformia, sursum paulo attenuata. Antheræ vix 1‴ longæ, oblongo-ovatæ, supra basim affixæ, introrsæ. Stylus nunc brevissimus et tunc stigmata 2 crispata papillosa magis minusve lobata ochroleuca gerens; nunc elongatus et tunc stigmata alba petaloidea fimbriolata producens. Capsula calycem æquans. Semina nitidula, pallide flavida, circiter $\frac{1}{2}'''$ metientia.

Planta ex optima diagnosi Grisebachii Limnanthemo Wightiano sane propinqua, nisi conspecifica.

Villarsia nymphæifolia (Fras. in Hook Bot. Misc. i. 257; Limnanthemum Fraserianum, Griseb. in Cand. Pr. ix. 140) gaudet

caulibus articulatis et seminibus lævibus. Capsula sæpius oligosperma. Planta hæc ornatissima a fluvio Clarence's River divulgate reperitur per totam Australiam intratropicam. L. Kleinianum Seemanno pulcherrime depictum nostram plantam valde approximat. Petioli breves v. brevissimi, cymis solitarie adstantes, aut cymæ, ut cum ill. Grisebach loquar, petiolo insertæ.

Villarsia crenata (Limnanthemum crenatum, F. M. in Tr. Ph. Soc. Vict. i. 17) ab ambabus præcedentibus divergit petiolis folio fere semper varie longioribus, ad nodos sæpe pluribus. Caules non articulati. Pedicelli 5-unciales v. breviores. Antheræ tenuisagittatæ. Semina ovata, $\frac{1}{3}'''$ longa, numerosissima. Planta venusta, a fluviis Wimmera et Murray ad flumina Warrego, Condamine's, Albert's, Fitzmaurice's et Burdekin's River extendit. Petioli interdum pedales. Ad Parramattam nuper Woollsio reperta.

Villarsiæ genus multis notis accedit ad Velleyam, æquo modo amaram; et optime ad Menyanthis sectionem reducendum est, qua sectio solum distinguenda corollæ lobis apteris igitur præfloratione simpliciter valvatis et foliis haud trisectis.

Villarsia geminata (Br. Pr. 457; Menyanthes sarmentosa, Sims Bot. Mag. t. 1328; Limnanthemum geminatum, Griseb. Gent. 346) producit semina lenticulari-globosa, $\frac{1}{3}'''$ metientia, aspera. Planta extendit e regionibus tropicis in terram Gipps-Land; ad Omeo occurrit altitudine 3000–4000′. Petioli passim pedales. Caules non articulati. Folia interdum $\frac{1}{2}'$ longa, nunquam distincte crenata. Corolla ad marginem passim fimbriata, sed nunquam secus lobos cristata. Semina speciminum e Nova Anglia allatorum lævia, sed rotunda.

Villarsia exigua (Limnanthemum exiguum, F. M. Fr. i. 40) adhuc solum a sinu Southport cognita est.

Villarsia Gunnii (J. Hook. Fl. Tasm. ii. 368; Liparophyllum Gunnii, J. H. in Lond. Journ. of Bot. vi. 472; Fl. Tasm. i. 273, t. lxxxvii.) ad Tasmaniam restricta manet.

Villarsia minima (Limnanthemum minimum, F. M. Fr. i. 40) nondum extra Arnhemiam inventa est. Caules pertenues, non articulati. Petioli brevissimi, vix ulli. Capsulæ sesquilineares. Semina fere $\frac{1}{3}'''$ longa, livida.

Villarsia exiliflora (F. M. Fr. v. 46) gaudet petiolis sesquipollicaribus usque semipedalibus. Caules scilicet inarticulati, passim elongati. Pedicelli in panicula sæpe gemini. Folia interdum renata.

Villarsia lasiosperma.

Erecta, elatior, glabra, foliis radicalibus lanceolato- v. lato- v. rhombeo- v. cordato-ovatis crenulato-repandis, caulinis bracteiformibus angusto- v. lineari-lanceolatis, omnibus subtus copiose glanduloso-punctatis, panicula elongata multiflora terminali, sepalis ovato-lanceolatis margine conspicue membraneis, *corollæ majusculæ*

perfecte albæ lobis margine nudis ala verticali nuda longitudinaliter alte cristatis, fauce fimbriata concolore, staminibus albis, stigmatibus renatis, capsula polysperma, ***seminibus ovatis concavo-convexis patentim pubescentibus*** lividis, raphe marginulante, strophiola nulla.

In paludibus aqua pura repletis prope urbem Albany, ad bases montium Willyung et montes Porongorup versus. F. M.

Planta superba, quinque-pedalis v. humilior. Petioli circiter semipedales v. breviores, præter basim teretiusculi, cum caule nigra punctati. Caulis aphyllus v. monophyllus. Folia 1–2″ longa, carnulenta, fere flabellari-nervata. Bracteæ basibus ramorum paniculæ adstantes, sesquipollicares v. breviores. Bracteolæ ad pedicellorum basim 2–3-lineares. Pedicelli unciales v. breviores, graciles. Sepala circiter 3‴ longa. Corolla etiam fundo cum suis fimbriis candida ; lobi non solum marginibus, sed etiam superficie alati ; alæ marginales sursum dilatatæ. Antheræ fere 1‴ longæ, supra basim fixæ, sagittato-oblongæ. Filamenta perbrevia. Glandulæ hypogynæ quinque glabræ, renatæ. Stylus demum sesquilineam longus. Stigmatis lobi 2 denique rotundati, longitudine latiores. Capsula calycem vix superans, firma, bivalvis ; valvæ iterum bifidæ. Placenta suturæ medianæ valvarum inserta. Semina semilineam paulo excedentia, pilis distinctis rigidulis onusta.

Villarsia albiflora (F. M. Fr. ii. 21) ab antecedente facillime divellitur præter characteres jam datos sepalis minus late membraneis, seminibus utraque facie turgentibus dense asperulatis haud marginulatis. Occurrit quoque ad flumen Blackwood's River. Petioli passim pedales. Folia ad 3″ lata. Semina $\frac{1}{3}$‴ longa, flavida, ad umbilicum apiculata. Huc planta Drummondi 4.

Villarsia violifolia.

Humilis, stolonifera, glabra, ***foliis parvis cordato- v. ovato-orbicularibus membraneis*** longe petiolatis vix repandulis ad radicem et caulis nodum paucis fasciculatis, pedunculis scapisve uni- v. bi- v. paucifloris, pedicellis gracilibus calyce aliquoties longioribus, calycis laciniis semilanceolatis acuminatis, corollæ luteæ lobis ecristatis margine nudis, fundo parce fimbriato, antheris cordato-ovatis, stylo perbrevi, stigmatibus ovalibus, ***capsula*** ovata sursum tenui-cartilaginea recurvo-valvata calyce superata ***oligosperma, seminibus majusculis e fulvo sordide nigro-fuscis lævissimis lucidis compressiuscule ovatis immarginatis, strophiola basuli*** fere cupulari.

Ad fluvios Tweed et Don's River ; Oldf. Maxw. Prope urbem Hamden, Clarke.

Species etsi habitu adeo aliena et hoc respectu V. geminatæ jam aliquotenus adveniens locum tamen juxta V. reniformem in systemate tenet. Rhizoma saltem breviter prorepens et fibras sat

elongatas emittens. Caules non articulati. Petioli bi- v. pauci-pollicares. Folia pollice sæpius breviora quam longiora. Venarum rami ultimi in areolis liberi. Bracteolæ lanceolatæ, bi- v. pauci-lineares. Calyx floreus 2‴, fructificans 3‴ longus, basi tubulosus, et hinc conspicue cum capsula concretus. Corolla calycem semi-superans; lobi truncato-alati. Filamenta brevissima, juxta corollæ basim sita. Antheræ circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ. Capsula inferne tenera, superne firma. Semina $\frac{3}{4}$‴ longa. Strophiola pallida, depresso-semiglobosa.

Villarsia hydrocharoides.

(Sect. Limnanthemum.)

Natans, petiolis folio cordato longioribus, pedicellis axillaribus solitariis geminisve elongatis, corollæ pallidæ lobis haud v. imperfecte fimbriatis ecristatis, fauce dense fimbriifera, stylo perbrevi, capsula evalvi ovata calycem paulo superante oligosperma, *seminibus majusculis velutinellis* compresso-globosis immarginatis nigro-fuscis, *strophiola membranea* rhombeo-orbiculata denticulata.

Ad sinum Rockingham's Bay in stagnis. Dallachy.

Caules, speciminibus examinatis, breves, radicantes, haud articulati. Folia 1–1$\frac{1}{2}$″ metientia, non bullosa. Petioli folio paulo v. aliquoties breviores. Calycum segmenta 2–3‴ longa. Corolla, quantum e statu sicco judico, albida nisi pallide flava; loborum margines latiuscule alati. Antheræ oblongæ, sursum attenuatæ, supra basim fixæ. Semina $\frac{3}{4}$‴ metientia. Strophiola bene evoluta sæpe trientem seminis æquans.

Planta imprimis seminibus a V. geminata divellitur.

Villarsia reniformis.

R. Br. Pr. 456; Bot. Reg. t. 1533; V. parnassifolia, Br. Pr. 456 partim; Griseb. in Cand. Prodr. ix. 137 partim; J. Hook. Fl. Tasm. i. 272 partim; Menyanthes exaltata, Soland. in Sims Bot. Mag. 1029.

Perennis, *erecta*, glabra, foliis ovatis v. cordatis v. ovato- v. renato-cordatis radicalibus longe v. longissime et valide petiolatis crassiusculis integerrimis v. repandis, caule aphyllo v. monophyllo, panicula terminali, calycis segmentis acutatis, corollæ luteæ lobis ecristatis margine nudis, fauce denso-fimbriata, stylo brevi, stigmatibus deltoideo-rotundatis, *capsula fere ovata pleio- v. oligosperma* calyce superata vel ei æquilonga valvata crustacea, placentis alte extensis, *seminibus magnis lenticulari-ovatis lævibus strophiola conspicua circulari basali præditis* fulvo-lividis immarginatis.

In toto tractu inter sinus Spenceri et Moretoni jacente, alpes etiam adscendens.

Planta spithamæa usque pluripedalis, in limosis passim procumbens nec repens. Petioli sesquipedales v. breviores. Folia 3$\frac{1}{2}$″

longa vel breviora, acutiuscula v. obtusissima, haud eminenter nervosa. Bractea ad basim rami infimi paniculæ foliiformis, anguste lanceolata, petiolata. Calyces semipollicares v. breviores. Corollæ lobi, ut in plerisque Goodeniaceis, truncato-alati. Capsula 3–4‴ longa; valvæ bifidæ, apice recurvæ. Placentæ e divisura utriusque valvæ descendentes, ante valvæ basim evanescentes. Semina iis quarumdam Goodeniarum similia, $\frac{3}{4}$‴ rarius $\frac{1}{2}$‴ metientia, fere rotunda, subtilissime punctulato-impressa, rarissime papilloso-aspera.

Planta non solum habitu Velleyis similis, sed etiam corollæ æstivatione induplicato-valvata et pluribus aliis notis.

Folia nunquam rite renata, quam ob rem et propter nomenclaturæ confusionem hæcce species nunc melius V. exaltata appelletur.

A fluvio Wannon habeo plantam seminibus minoribus ovatis turgentibus estrophiolatis asperis saltem a forma legitima diversam.

Villarsia parnassifolia.

R. Br. Pr. 456 partim; Griseb. in Cand. Pr. ix. 137 partim; Swertia parnassifolia, Labill. Nov. Holl. Plant. Spec. i. 72, t. 97.

Perennis, erecta, glabra, foliis ovatis v. deltoideo-orbiculatis v. cordatis repando-dentatis teneris longe v. longiuscule et graciliter petiolatis, caule aphyllo v. monodiphyllo, panicula terminali, calycis segmentis acutatis, corollæ luteæ lobis margine nudis, fauce fimbriata, stylo procero, stigmatibus fere oblongis, *capsula fere conica polysperma* calycem superante pæne membranea apice transverse rupta haud distincte aut brevissime valvata, placentis alte extensis, *seminibus parvis globoso-ovatis turgidis ad umbilicum supra-basalem apiculatis* subtilissime punctulato-rugulosis lividis immarginatis.

A sinu Great Bight ad oram occidentalem extendens.

Planta eximie iconi Billardierii respondens a planta commutata orientali præter notas diagnosticas recedit foliis sæpe minoribus nunquam integerrimis, seminibus tantum $\frac{1}{4}$‴ longis. Plantæ Drummondi 6 et Preissii 1957 (igitur V. parnassifolia, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 364) huc pertinent. Corollæ Grisebachio lobi fimbriati tribuuntur; sunt autem, quantum vidi, margine efimbriati.

Villarsia calthifolia.

Erecta, robusta, glabra, *foliis magnis v. maximis carnulentis orbiculato-cordatis calloso-dentatis*, petiolis crassis radicalibus longissimis, caulinis folio fere æquilongis, cymis compositis corymboso-paniculatis, sepalis late ovatis acutis, corollæ luteæ lobis ecristatis margine nudis, fauce fimbriata, capsula ovato- v. globoso-urceolata calycem paulo superante polysperma infra apicem truncatum circumscissum breviter valvata fere membranea, placentis

ad dodrantem per cavitatem extensis, *seminibus livido-fulvidis majusculis turgide ovatis immarginatis dense asperulatis* ad umbilicum circularem supra-basalem paulo turgidulis.

In rivulis et in summitatibus rupestribus montium Porongorup. F. M.

Petioli radicales bipedales v. breviores. Folia iis formarum majorum Calthæ palustris non absimilia, radicalia plura v. numerosa, interdum fere pedem longa et lata, margine irregulariter seu erose dentata, subtus glandulis callosis conspersa; sinus angustus v. clausus; folia caulina sæpe 2–3-uncialia; nervatio omnium haud valde prominens; ramuli venularum in areolis venarum liberi. Bracteæ inferiores foliaceæ, rhombeo- v. lanceolato-ovatæ, 1–1½″ longæ. Panicula confertiflora, caulem v. ramum terminans. Pedunculus primarius pluriuncialis v. brevior. Pedicelli calyce duplo breviores vel usque ad duplum longiores. Bracteolæ latius angustiusve lanceolatæ, paucilineares. Calyces circa 4‴ longi. Corolla fere ea V. parnassifoliæ et V. reniformis. Antheræ oblongo-ovatæ, apiculatæ. Glandulæ basales 5 renatæ. Stylus circiter semilinearis. Capsula ad collum constricta, inferne turgens; operculum fere 1‴ latum; orificium passim 8-dentatum. Semina circiter ⅔‴ longa.

Ad hancce speciem traho plantam Drummondi 5.

Villarsia latifolia (Benth. in Hueg. Enum. 81; Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 364) gaudet capsula globoso-ovata, calyce superata, chartaceo-crustacea, oligosperma, distincte valvata; seminibus fulvis, lævibus, nitentibus, fere 1‴ longis, turgide ovatis, strophiolam ferme semiglobosam laterali-basalem conspicuam producentibus, immarginatis. Caulis magis foliatus et folia magis membranea, quam in V. reniformi. Cl. P. Walcott plantam a fluvio Blackwood's River misit. Corolla expansa calycem saltem breviter superans. Radix fibrosa, forsan annua. Huc pertinent plantæ Drummondi 3 et fortasse 4.

Indagatio omnium specierum denuo in libera natura necesse erit. Configuratio enim alarum corollæ et aliæ notæ e corollis emarcidis ægre recognoscuntur. Caulis anatomia, sicut venarum per folia cursus tantum in plantæ statu vivo bene intelliguntur.

Villarsia congestiflora.

Annua, erecta, glabra, caule distanter foliato, *foliis radicalibus nullis paucisve cum caulinis membraneis rhombeo- v. cordato-rotundis præter basim truncatam repando- v. grosso-dentatis* petiolo æquilongo v. longiore præditis, supremis in formam ovatam vergentibus, *panicula cymosa confertiflora*, pedicellis perbrevibus v. nullis, calycis laciniis semilanceolatis acuminatis capsulam superantibus, corollæ luteæ lobis ecristatis margine nudis, fauce fimbriata, antheris ex ovato sagittatis obtusis, stylo brevi, stigmatibus

rotundo-deltoideis, capsulis teneris ovatis distincte valvatis oligo- v. pleiospermis, *seminibus opacis lividis nigrescentibus læviusculis rotundo-ovatis leni-compressis immarginatis strophiolam basalem fere hemisphæricam gerentibus*, funiculis semine paulo brevioribus.

Ad fluvios Swan-River et Murchison-River. Oldf.

Herba digitum ad pedem alta, caules sæpe 2–3 e radice fibrosa producens. Folia in formis majoribus sesqui- v. biuncialia, in formis minoribus uncia breviora et fere integerrima; nervi tenues; venæ tenuissimæ. Flores in fasciculos fere capitatos collecti; fasciculi tri- v. pauciflori, pedunculo unciali v. breviore sustensi. Bracteolæ paucilineares, ovatæ v. fere cordatæ, argute denticulatæ v. edentulæ. Pedicelli ad summum lineam longi. Calyces denique 3‴ metientes. Flores bene expansi desunt. Capsula inferne accreta, superne firmior, 2‴ longa v. paulo longior. Semina $\frac{1}{2}$‴ metientia.

Affinitate hinc V. capitatam, illinc V. latifoliam attingit.

Villarsia capitata (Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 365; V. involucrata, Hook. Ic. Pl. dccxxv.) allata est Oldfieldio a flumine Serpentine-River, Clarkio ab urbe Hamden.

Duratio annua et absentia pedicellorum plantam præsingularem reddunt. Indumentum ut in multis aliis plantis hydrophilis modo densum modo parcum. Corolla lutea; lobi ecristati, margine nudi. Capsula membranea, conica, stylo longiusculo terminata, rumpens, oligosperma, haud distincte valvata. Semina lenticulari-globosa, vix $\frac{1}{3}$‴ longa, e pallide fulvo fuscata et demum nigrita, lævia, nitida, immarginata, estrophiolata. Bracteæ involucrantes foliaceæ interdum haud evolvuntur.

Solanaceæ.

Anthocercis Leichhardtii.

Fere glabra, *foliis lanceolatis* sensim acutatis planis, floribus cymoso-paniculatis, pedicellis pertenuibus calyce aliquoties longioribus, *calyce perbrevi* fere hemisphærico deltoideo-dentato, *corollæ calyce multo longioris lobis subulato-linearibus* tubo æquilongis, filamentis longioribus tubo corollæ longe superatis, ceteris perbrevibus.

In Australia orientali extratropica; Leichhardt.

Folia evoluta $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ longa, conspicue petiolata, floralia sensim magnitudine decrescentia. Calyces vix lineam metientes. Corolla circiter 5‴ longa. Antheræ renatæ, uniloculatæ, transverse dissilientes. Stylus tenuissimus, 1‴ longus. Fructus ignotus.

Ad hancce speciem fortasse ducenda Cyphanthera cuneata (Miers Ill. ii. 31, t. pl. 84 C, etsi folia non cuneata et corollæ lobi multo angustiores. Ultimo charactere ab A. Eadesii longe distat, cui foliorum forma concurrit.

Anthocercis Eadesii (F. M. Fr. ii. 139) occurrit in plaga Tattiara-country secundum reverendum J. Woods, nec non in cacumine montis Arapiles, ubi 3′ alta.

Anthocercis myosotidea (F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i. 20) extendit usque ad Wimmeram. Ab hac A. amblyantha non distincta apparet. Pedicelli fructiferi deflexi. Lobi corollæ interdum 2‴ longi. Capsula 2‴ longa, ovato-globosa, calycem æquans v. eodem conspicue brevior, septicide bivalvis; valvæ medio tenus bifidæ. Semina 1–2 maturantia, ellipsoidea, 1½‴ longa, splendenti-brunnea, alveolari-exsculpta.

Anthocercis microphylla (F. M. Fragm. i. 179) cum Cyphanthera microphylla, Miers Illustr. App. 33, pl. 85 D, plane congruit.

Anthocercis anisantha (Endl. Stirp. Austr. Decad. 13) occurrit sine schedula inter plantas Drummondi; atque eandem vel persimilem plantam cl. Burkitt a lacu Gillesi misit.

Anthocercis spinescens (F. M. Fr. i. 122) crescit in montibus lapidosis ad flumina Thomas-River et Kalgan. Similem nisi eandem speciem accepi a fluvio Murchison's River. Habitu planta quasdam Daviesias simulat. Corolla albida.

Anthocercis genistoides (Miers Ill. App. 27, pl. 83 D) differt ab A. spinescente ramis minus divaricatis, pedicellis brevioribus, calycis dentibus longioribus. Habeo hanc inter plantas Drummondi.

Anthocercis fasciculata (F. M. Fr. i. 212) crescit ad flumen Phillips-River.

Anthocercis arborea (F. M. Fr. i. 212) producit ramulos interdum deflexos. Corolla albida; lobi tubo nonnunquam ter longiores.

Anthocercis albicans (A. Cunn. in Field's New South Wales, 335; Cyphanthera albicans, Miers Ill. App. 31) lecta est a Car. Moore prope Cassilis. Huic Cyphanthera tomentosa forsan adscribenda.

Anthocercis Hopwoodii (F. M. Fr. ii. 138) occurrit inter plantas Australiæ occidentalis Drummondio lectas. Huic angustia foliorum similis A. angustifolia.

Anthocercis Tasmanica (J. Hook. Fl. Tasm. i. 289, t. xcii.; Cyphanthera Tasmanica, Miers Ill. App. 30, pl. 84 B) nascitur ad Kelvedon sec. Dr. Story in collibus fontanis. Folia interdum omnino plana. Pedicelli ad 4‴ longi. Lobi calycis suo tubo non raro longiores. Corolla ochroleuca.

Anthocercis litorea (Labill. N. Holl. Pl. Sp. ii. 19, t. 158) vergit ad sinum Champion-Bay et promontorium Cape Arid, secus litora maris arenosa. Attinet altitudinem 16′, sed jam statu humili floret. Folia interdum late rhombea, passim paucidentata. Ab hac non specifice distincta videtur A. ilicifolia, etsi lobi corollæ tubo vix longiores. Folia integerrima et serrata in eodem ramo vidi. Corollæ flavæ tubus intus fusco-striatus. Atque A. gracilis et A. glabella huic valde propinquæ.

Anthocercis viscosa (Br. Pr. 448; A. litorea, Endl. Iconogr. t. 68) in rupibus graniticis prope sinum regis Georgii altitudinem 20′ attinet. Corollæ albidæ tubus interne viridulo-striatus. Capsula ovato-globosa, acuminata, calycem æquans. Planta venenosa.

Anthotroche pannosa (Endl. Nov. Stirp. Mus. Vindob. 7 ; Miers Ill. App. 36, t. 86) variat foliis orbiculatis.

Duboisia myoporoides (Br. Pr. 448 ; Miers Ill. App. ii. 37–39, t. 87) sæpe sistit arborem altam, trunco recto, cortice suberoso flavescenti-cinereo exarato fragili, et occurrit in toto silvarum tractu ab Illawarra ad Rockingham's Bay. Vidi etiam plantam e Neo-Caledonia.

Datura alba (Nees in Tr. Linn. Soc. xvii. 73) nisi cognata species floribus sæpe brevioribus insignis occurrit ab Armadilla (Barton) ad Carpentariam (Landsborough) ad flumen Burdekin (F. M.) nec non ad flumen Ashburtoni (Walcott).

Nicotiana suaveolens (Lehm. Hist. Nicot. 43) variis formis e regionibus extratropicis ad Carpentariam vergit. Folia nonnunquam late amplexantia, basi cordiformi sessilia. Corollæ passim valde elongatæ.

Physalis parviflora (Br. Pr. 447) e regionibus subtropicis orientalibus in Arnhemiam extendit.

Solanum Shanesii.

Fruticosum, *inerme, foliis membraneis rhombeo-ovatis integerrimis* acutatis v. acuminatis in petiolum gracilem decurrentibus supra ramisque glabris subtus pilos breves simplices parce gerentibus, *pedicellis axillaribus solitariis, calyce fructifero patellari integerrimo,* bacca globosa coccinea calycem longe superante biloculata polysperma, seminibus oblique orbiculari-ovatis valde compressis ad marginem tumidum reticulari-foveolatis.

Ad rivulos montium prope Rockhampton ; Dallachy & O'Shanesy.

Frutex gracilis, circiter 8′. Ramuli flexuosi. Folia gemina, inæqualia, $1\frac{1}{3}$–3″ longa, tenuiter penninervia, venis subtilibus percursa. Pedicelli $\frac{2}{3}$–1″ longi, sursum incrassati, cum calyce fere glabri. Flores ignoti. Calyx fructifer diametro 3‴, non ruptus. Bacca saltem semipollicaris. Semina $1\frac{1}{4}$‴ longa, in faciebus minus evidenter foveolata.

Species longe distat a S. virente foliis basi nec inæqualibus neque subito in petiolum desinentibus, baccis aliquoties majoribus, seminibus ter majoribus, calyce fructifero non fisso et forsan corollis staminibusque.

Solanum aviculare (G. Forst. Prodr. n. 107) cognovimus a monte Gambier usque sinum Broad Sound.

Solanum vescum (F. M. in Tr. Vict. Inst. i. 69 ; Lithograms Pl. 62) invenies per fere eandem terræ tractum, quem antecedens sequitur, minus tamen frequens est ; ita provenit in insula Kingii (McGowan) ; Queenscliff, Upper Yarra, Gipps-Land, Twofold Bay (F. M.) ; Parramatta (Woolls) ; New England (C. St.)

Solanum fasciculatum (F. M. Fr. i. 123) ipse collegi in pratis arenosis orariis circum sinum regis Georgii ; extendit usque Espe-

rance-Bay et Murchison-River. Folia passim profunde lobata, passim linearia. A lacu Gillesii varietatem attulit cl. Burkitt, quæ baccam conico-cylindricam ultra pollicem longam vix 3‴ latam gignit.

Solanum simile (F. M. Tr. Ph. Soc. Vict. i. 19) observavi a fluviis Murrayi, Darlingi, Wimmera et Murrumbidgee sinu Spenceri et lacu Torrensi tenus per eremos.

Solanum viride (Br. Pr. 445) in insulis freti Torresii legi et a portu Denisonii, monte Muelleri, sinu Rockinghami et promontorio Yorkii accepi. Frutex 10′ altus. Corolla violacea. Bacca parva, rubra.

Solanum nigrum (L. Sp. Pl. 266) notavimus per totam Australiam tam extratropicam quam intratropicam. Baccæ hinc innocuæ considerantur. Invenitur etiam varietas chlorocarpa.

Solanum verbascifolium (L. Sp. Pl. 263) silvas incolit inter flumen Clarence's River et sinum Rockingham's Bay. Corolla interdum alba.

Solanum repandum (G. Forst. Pr. 105; Dunal in Cand. Pr. xiii. 353; Seemann Fl. Vit. i. 177, pl. xxxviii.) vidit Dallachy ad Rockingham's Bay, ubi 12′ altum. Rami et petioli aliis locis conspicue aculeati, aliis inermes. Superficies foliorum glabra v. stellari-pubescens. Gradus vestimenti variabiles. Folia repanda v. sinuato-angulata, nonnunquam integerrima. Corolla intus cærulea. Bacca magna, lutea, saltem passim biloculata.

Solanum echinatum (Br. Pr. 447) vidi ad flumen Victoriæ.

Solanum eriophyllum (Dunal Synops. 30) accepi a fluvio Murchisonii, ubi 2–3′ altum. Corolla intus cærulea. Bacca ovata, calyce occulta.

Solanum oligacanthum (F. M. in Tr. Ph. Soc. Vict. 19) explorator Sturt hactenus solummodo reperit. Corolla extus tomentosa.

Solanum orbiculatum (Dun. Syn. 27) exhibet collectio Drummondi sub 130 a fluvio Murchisonii. Formationem calcariam amat. Frutex 2–3′. Corolla intus cærulea.

Solanum Oldfieldii (F. M. Fr. ii. 161) invenit J. Drummond ad flumen Murchisonii (224).

Solanum lithophilum (F. M. in Linnæa xxv. 434) inspexi e multis locis Australiæ calidioris interioris, e. g. Rockhampton, Cape's River, Cooper's Creek, Mount Murchison, Flinders's Range, Hammersly's Range, Murchison's River. Crescit etiam ni fallor ad fluminis Victoriæ originem. Specimina a fluvio Murchisonii habent folia inferne aculeata et ramos validius armatos. Huic speciei S. ellipticum evidenter cognatum, cujus distinctiones nondum clare expositæ.

Solanum biflorum (Br. Pr. 445; S. pulchellum, F. M. Transact. Ph. Soc. Vict. i. 18) in amplo deserto tractu collegi, sed nondum ex Australia occidentali accepi. Occurrit enim a sinubus Spencer's et St. Vincent's Gulf et a fluviis Murrayi, Darlingi, Murrumbidgee

et Lachlani per Australiam centralem usque ad flumina Burdekin's River et Sturt's Creek. Planta semper humilis, interdum humillima. Bacca albida. Variat corymbo quinquefloro.

Solanum Sturtii (F. M. in Tr. Ph. Soc. Vict. i. 19) cognosco a montibus Flindersii, a lacu Gillesii, a monte Searli, a sinu Spenceri. Tomentum fere argyrophanum. Bacca pæne pollicaris, globosa, nigra, polysperma. Semina nigrescentia, oblique renato-orbiculata, fere sesquilinearia.

Solanum chenopodinum (F. M. Fr. ii. 165) extendit trans flumen Cooper's Creek et monte Blightii tenus in Australiam occidentalicentralem.

Solanum semiarmatum (F. M. Fr. ii. 163) attulit a fluvio Richmond's River Carolus Moore.

Solanum campanulatum (Br. Pr. 446) habeo a montibus cæruleis et e Nova Anglia.

Solanum pungetium (Br. Pr. 446) in regionibus silvaticis vidi a portu Phillipi flumen Burnettii tenus. Hujus videtur varietas S. Hystrix. Bacca uncialis, globosa, viridis, albido-variegata. Pedunculi interdum corymboso-pluriflori. S. armatum, quod foliis profunde dissectis aberrat, parum a S. pungentio distat. Aliam plantam persimilem accepi a sinu Rockinghami.

Solanum eremophilum (F. M. in Linn. xxv. 432) ad flumen Macquarie's River extendit.

Solanum petrophilum (F. M. in Linn. xxv. 433) migrat a montibus Barrier-Range trans sinum Spencer's Gulf. Racemi passim 4-flori.

Solanum lacunarium (F. M. in Tr. Ph. Soc. Vict. i. 18) mihi notum e vicinia montis Murchisonii. Corolla extus velutinella. Bacca flava, globosa, semipollicaris.

Solanum diversiflorum.

Fruticosum, aculeis brevibus *armatum*, stellari-tomentosum, *foliis ambitu fere ovatis profunde pinnatilobis* v. breviter v. imperfecte lobatis inermibus v. sparse aculeatis, lobis obtusis, *pedicello alari solitario calycem copiose aculeatum gerente, pedicellis ceteris pedunculum corymbose terminantibus, horum floribus perfecte inermibus agynis*, calycibus omnibus profunde divisis, laciniis semilanceolatis acuminatis, corollis violaceis prope costas stellari-tomentellis, filamentis brevissimis, antheris liberis sensim leniter attenuatis apice poro geminato apertis.

Ad sinum marinum Lagrange-Bay; Martin. Prope montes Davenport-Range; J. M. Stuart. Ad originem fluminis Victoriæ; F. M. Ad portum Walcott; C. Harper.

Frutex 2–3′. Ramuli nunc parce nunc copiose aculeati. Folia utplurimum conspicue petiolata, 1–3″ longa, supra parce v. parcissime rarius dense pilis stellatis conspersa, subtus densius stellari-

pubescentia nisi tomentosa. Pedicellus alaris 1–1½″ longus, saltim apicem versus aculeatus. Pedunculus biuncialis v. brevior, inermis v. aculeatus. Pedicelli florum sterilium semper inermes, tenues, circiter semipollicares. Calyces ¼–½″ longi ; lobi interdum longe acuminati. Corollæ diameter 1″ ; lobi nunc breves, nunc proceri. Antheræ circiter 2½‴ longæ, luteæ. Stylus floris fertilis semipollicaris, glaber, apice uncinatus ; floris sterilis rudimentorius v. nullus. Bacca adhuc incognita.

Hoc Solanum locum juxta S. lacunarium tenebit.

Solanum corifolium (F. M. Fr. ii. 166) forsan includit plantam Leichhardtii armatam, foliis passim repando-lobatis et ad 4″ longis insignem, quam prope sinum Moretoni infelicissimus peregrinator detexit.

Solanum leptophyllum (F. M. Fr. ii. 164) vergit a fluvio Lachlani et monte Murchisonii portum Denisonii tenus. Baccæ pisi magnitudine, coccineæ. Ab hoc forsan S. parvifolium non separabile. Cl. Lockh. Morton varietatem glabrifoliam a fluvio Bogan attulit. Planta pluribus notis ad S. chenopodinum accedit. S. furfuraceum e phrasi Brownii sicut e descriptione Dunalii magnam similitudinem patefacit.

Solanum stelligerum (Sm. Exot. Bot. ii. 57, t. 88) nunc cognoscimus e toto tractu nemorali a portu Jacksonii usque ad Rockingham's Bay. Attinet altitudinem 8′. Tomentum interdum densissimum et utramque foliorum paginam occupans. Cl. C. Moore varietatem foliis armatis peculiarem ad promontorium Byroni colligebat. S. violaceum huic simillimum.

Myoporinæ.

Eremophila Drummondi.

Viscosa, lævis, *foliis lineari-filiformibus* sparsis leniter et imperfecte canaliculatis apice haud uncinatis, *pedicellis calyce bis terve longioribus recte patulis, sepalis ovatis acutis* viscidis chartaceis exterioribus interiora includentibus tubo corollæ fere triplo brevioribus, corollæ extus glabræ labio supero bifido, labii inferi lobis lateralibus rotundatis, *lobo medio renato-orbiculari parce barbato*, staminibus inclusis, stylo parce pubescente, germine ellipsoideo-conico glabro biloculato.

In Australia occidentali ; Drummond (74, 212).

Frutex valde et gracilenter ramosus. Folia ⅔–1⅓″ longa, ⅔–1‴ lata, acutiuscula. Pedicelli ¾–1″ longi. Sepala fere 3‴ longa, exteriora 3 interioribus 2 passim lanceolatis latiora. Corolla fere pollicem longa. Antheræ primum cordato-ovatæ, demum semiannulato-renatæ, loculis confluentibus. Stylus ⅔″ longus, basim versus glaber. Stigma simplex, perminutum. Germen viscidum, in speciminibus examinatis imperfecte evolutum. Ovula pendula. Recedit ab E. alternifolia et E. Sturtii forma sepalorum, ab illa

porre directione pedicellorum et forma corollæ, ab hac pedicellis longioribus et textura calycis, ab E. polyclada sepalis non auriculatis, corolla minus ampla.

Eremophila bignoniflora (F. M. in Papers of the Roy. Soc. of Tasm. 1858, 294) crescit ad flumen Murrayi haud procul ab ostio fluvii Darling's River (Clarence Irwine). Lignum viride. Corolla passim rosea.

Eremophila scoparia (F. M. l. c. 296) extendit ad partem mediam sinus Great Bight (Delisser).

Eremophila crassifolia (F. M. l. c. 297) allata a sinu Venus-Bay (Warburton).

Eremophila longifolia (F. M. l. c. 295) vergit in Australiam occidentalem, ubi haud longe a flumine Murchisonii reperta. Corolla $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}$″ longa. Antheræ parvæ, nigro-fuscæ, nec ut in plurimis congeneribus pallidæ ; loculi etiam ætate fere paralleli, haud divaricati.

Eremophila Brownii (F. M. l. c. 297) producit ad flumen Kalgan corollam pure viridem. Folia interdum serrata et iterum linearia pollice breviora. Lobus corollæ infimus passim valde abbreviatus.

Eremophila Freelingi (F. M. l. c. 295) attinet rivum Cooper's Creek, crescit etiam ad originem fluvii Murchisonii.

Eremophila Duttonii (F. M. Report on Pl. of Babb. Exped. 16) eremos inhabitat ad fluvios Darling's River et Cooper's Creek.

Eremophila alternifolia (Br. Pr. 518) migrat ad partem mediam sinus Great Bight, ubi folia anguste lanceolato-oblonga.

Eremophila Sturtii (Br. in Sturt's Centr. Austr. ii. App. p. 85) crescit ad flumina Lachlan's River et Cooper's Creek exceptis locis jam in alia dissertatione indicatis. Vidi arbusculam 16′ altam.

Eremophila latifolia (F. M. in Linnæa xxv. 428) orientem versus ad flumen Lachlan's River migrat, occidentem versus ad lacunam Sapphire Lake (Harper).

Eremophila Mitchelli (Benth. in Mitch. Trop. Austr. 31) ad flumen Flindersii arborem 30′ altam sistit. Cortex nigrescens, sulcatus, rugosus. Lignum satis fragrans.

Eremophila Goodwinii (F M. Rep. on Pl. of Babb. Exped. 17) nunc nota ab amne Attack Creek, ubi variat pedicellis calyce duplo longioribus. Conf. F. M. Plants coll. by J. M. Stuart, pag. 14, de aliis varietatibus. Folia passim denticulata. Drupa ovata, acuta, saltim juventute pubescens, vix 4‴ longa, leviter compressa, exsucca, perfecte quadriloculata.

Myoporum deserti (A. Cunn. sec. Benth. in Hueg. Enum. 78 ; M. dulce, Benth. in Mitch. Trop. Austr. 384 ; M. rugulosum, F. M. in Linnæa, 1852, 427) regiones steriliores incolit a sinu Spenceri flumine Burdekin's River tenus ; porre prope flumen Murchisonii detegebatur, ideoque in amplo tractu interjacente nondum explorato quærendum. Pedicelli insigniter recurvati. Folia crassiuscule coriacea, rigidula. Corollæ lobi imberbes. Drupa semper flavescens.

Myoporum Cunninghami (Benth. in Hueg. Enum. 78) tam antecedens quam sequens affinitate approximat et forsan verum M. montanum exhibet. Adscendit enim montes prope Mudgee et Novæ Angliæ, abhinc descendens in eremos et tali modo a fluviis Darling's, Lachlan's et Murray's River ad sinum Champion-Bay tendit. (Drumm. 137.) Idem etiam ad fluminis Victoriæ originem occurrere videtur. Arbuscula 12′ v. humilior. Folia minus crassa et pedicelli minus recurvi quam ea antecedentis. Corolla alba, parum punctata ; lobi barbati v. præter imum imberbes. Stamina inclusa. Antheræ fuscæ. Drupa sphærica, lilacina.

Myoporum tenuifolium (G. Forst. Prodr. 44) reperitur in silvis inter sinus Rockingham-Bay et Cleveland-Bay. Frutex pluripedalis. Stamina inclusa. Lobus corollæ infimus sæpe barbatus. Folia passim serrata. Myoporum acuminatum, cujus stamina conspicue exserta, viget a fluvio Hastings's River usque ad sinum Moreton-Bay. Hoc sicut M. ellipticum, quod a portu Jacksoni ad sinum Moreton-Bay extendit, cum M. tenuifolio plerisque characteribus congruunt.

Myoporum insulare (Br. Pr. 516 ; M. tuberculatum, Bartl. in Lehm. Pl. Preiss. i. 349 ; M. Tasmanicum, Alph. de Cand. Prodr. xi. 709 ; J. Hook. Fl. Tasm. i. 287 ; M. tuberculatum, A. de Cand. l. c. partim) reperimus a promontorio Cape Howe secus oras et circum locos salinos usque in viciniam sinus Shark-Bay ; nec non passim in locis montanis longe a litore remotis, e. g. Buchan, ad flumen Snowy River. Arbor umbrosa, 40′ alta v. humilior, jam statu fruticoso florens. Folia carnulenta, sæpe apicem versus serrulata, passim integerrima. Fructus extus violacei.

Myoporum serratum (Br. Pr. 516 ; M. subserratum, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 350 ; M. gracile, Bartl. in Lehm. Pl. Pr. i. 350) in Australia occidentali a sinu Great Bight usque ad flumen Murchisoni progreditur, planities arenosas præsertim incolens, sed montes rupestres passim adscendens. Frutex pluripedalis. Folia interdum omnia pollice breviora. Pedicelli nonnunquam ad unciæ longitudinem extensi. Ad rivum Gales-Brook crescit varietas pubescens, cujus ramuli, folia, pedicelli, calyces et stylus dense pubescentia. Limites inter hoc et M. tuberculatum tracti fortasse non constantes ; tunc planta in terram Gipps-Land et ad Mount Remarkable vergit. Copia glandularum prominentium valde varia. M. tuberculatum altitudinem 12′ attinet.

Myoporum oppositifolium (Br. Pr. 516) mihi obvium erat ad sinum regis Georgii in locis scaturiginosis. Pemb. Walcott plantam ad flumen Warreni detexit. Frutex erectus, amplus, pluripedalis. Folia interdum anguste lanceolata ; inferiora passim sparsa, longitudinem 4″ attinentia.

Myoporum debile (Br. Pr. 516 ; M. diffusum, Br. Pr. 516) a portu Jacksoni et montibus Blue Mountains circulo capricornu tenus reperimus. Rami sæpe tuberculosi. Faux corollæ dense barbata.

Myoporum humile (Br. Pr. 516) a fluviis Boyne, Darling, Murray et Murrumbidgee migrat ad extremitatem orientalem sinus Great Bight. Stirps amplissime procumbit. Huic speciei proxime stat M. parvifolium, quod a sinu Spenceri progreditur ad oras Australiæ occidentales ; folia obovato- v. lineari-spatulata. Myoporinarum ordinem, si Spartothamnum et Dasymallam excludis, satis firme limitatum invenies.

Disoon platycarpus (Myoporum platycarpum, Br. Pr. 516) a fluviis Murray- et Lachlan-River ad lacum Torrensi extendit, eremos arenoso-calcarios incolens. Arbor 30′ v. humilior, saccharifiua. Cortex nigrescens, sulcatus, rugosus. Ramuli sæpe eximie flexuosi. Folia passim integerrima. Corollæ limbus parce barbatus. Fructus omnes, quos dissecui, biloculati erant et dispermi ; nec locellos nec alterius ovuli ullum vestigium in loculis inveni. Drupa circiter 2″ longa, ovata, conspicue compressa, sensim acuminata, exsucca, rugulosa. Semen ex apice loculi sine funiculo pendens, clavato-cylindricum, lineam longum. Testa tenerrime membranea, lævis, albida. Albumen amygdalinum, conspicuum. Embryo cylindricus. Cotyledones plano-convexæ, semioblongæ. Radicula supera, cotyledonibus paulo longior.

Disoon floribundus (Alph. de Cand. Pr. xi. 703 ; Myoporum floribundum, A. Cunn. in Hueg. Enum. 78) in clivis graniticis ad flumina Lachlan- et Snowy River reperiendus, itaque forsan secus partes orientales fluviorum Murray et Murrumbidgee detegendus. Frutex 5–8′. Variat edentatus, i. e. foliis integerrimis sicut corollis calycem ter excedentibus.

Disoon cordifolius (F. M. Fr. i. 26 ; Myoporum salsoloides, Turcz. in Bullet. de Mosc. xxxvi. 226) nuperius ad flumen Gardneri inveniebatur. Est planta Drummondi 339.

Disoon Beckeri (F. M. Fr. iv. 48) extendit a monte West Mount Barren usque ad Eyre's Relief-Point (Drumm. 338). Visciditas plantæ oleosa. Fructus sæpe monospermus. Semina albuminosa. Phrasis brevis Myopori viscosi nostræ plantæ non dissonat.

Pseudopholidia brevifolia (Alph. de Cand. Prodr. xi. 704 ; Myoporum brevifolium, Bartl. in Lehm. Pl. Preiss. i. 350) est planta Drummondi 445. Genus ita ad Disoon tendit, ut Eremophila ad Myoporum. Huic generi Eremophila Behrii nisi fallor adducenda. Hanc in insula halmaturorum invenit Waterhouse.

Sentis rhynchocarpa (F. M. Fr. iv. 47) occurrit interdum corollis albis immaculatis et rarius sepalo quinto.

Eremophila Macdonnellii (F. M. Rep. on Pl. of Babb. Exp. 18) detecta in Australia centrali ab J. M. Stuart. Occurrit omnino glabra. Conf. F. M. Plants of Howitt's Exped. p. 17.

Eremophila gibbosifolia (F. M. Rep. on Pl. of Babb. Exp. 18) nunc allata a plaga Tattiara-country (J. E. Woods) et a monte Arapiles (Dall.)

Eremophila Woollsiana (F. M. Fr. i. 125) provenit ad flumina Oldfield- et East-River et prope Stokes-Inlet (Mx.) Huc traho plantam Drummondi 162. Varietas foliis angustioribus nisi species affinis crescit ad portum Gregorii. Frutex sæpe 4′. Pholidia resinosa huic evidenter cognata.

Verbenaceæ.

Lippia lantanifolia.

(Sect. Zapania.)

Fruticosa, *erecta, foliis ovato- v. cordato-orbiculatis* obtusis hirtellis crenato-serrulatis conspicue petiolatis, pedunculis axillaribus singulis v. passim binis folio brevioribus, floribus in *capitulo ovato* dense imbricatis, bracteis deltoideo- v. orbiculari-rhombeis acutis v. acuminatis, calyce aptero membraneo, corollis majusculis, labio supero integro, *fructibus globosis*, pericarpio crustaceo.

In vicinia urbis Rockhampton; Thozet et O'Shanesy.

Frutex paucipedalis, odorus. Rami hirto-pubescentes et asperati. Folia $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{4}''$ longa, rugulosa, subtus pallidius virentia. Pedunculi $\frac{1}{3}$–$1''$ longi. Bracteæ inferiores herbaceæ, $1\frac{1}{2}'''$ metientes. Calyces vix $1'''$ longi, appresse pubescentes. Corollæ roseæ; tubus fere $2'''$ longus; labium superum pæne semiorbiculatum; lobi labii inferioris laterales lobo medio renato-orbiculato dimidio breviores. Stamina inclusa; filamenta perbrevia; antheræ 4 cordato-globosæ. Stylus brevissimus. Fructus lineam metiens, parum compressus, exsuccatus, calyce velatus, facile in mericarpia secedens.

A Lippia asperifolia jam differt forma foliorum, corollæ tubo longiore, limbo ampliore, a L. dulci bracteolis, corollis fructibusque bis terve majoribus, fructu haud ovato.

Lippia nodiflora (Rich. in Micheaux Flor. Bor. Amer. ii. 15) a fluvio Murchisoni et planitiebus Peak Downs effusa est usque ad oras septentrionales.

Clerodendron Linnæi.

Thwait. Enum. Pl. Ceylon. 243; Volkameria scandens, L. fil. Suppl. Pl. 292. (Sect. Hemiderma.)

Alte *scandens*, ramulis appresso-pubescentibus glabrescentibus, *foliis ovatis* v. cordato-ovatis chartaceis vix acuminatis breviter petiolatis mox glabris, panicula trichotoma corymbosa conferte multiflora, *calyce brevissime dentato, corollis parvis* albis extus imperfecte sericeis, fructibus ellipsoideo-obconicis calycem tenui-chartaceum immutatum fere semisuperantibus, *carpidiis exsuccis cito secedentibus, pericarpio inferne longe producto alam præbente et a columella elongata placentis cornuta secedente alterum carpidii latus interius haud claudente.*

In nemoribus inter promontorium Cape York et urbem Rockhampton; A. Thozet, E. Dæmel, J. Dallachy et P. O'Shanesy.

Folia $1\frac{1}{2}$–4″ longa, plana, integerrima. Flores fragrantes, in panicula interdum creberrimi. Bracteæ lineari-oblongæ, circiter $1\frac{1}{2}$‴ metientes. Calyx $1\frac{1}{2}$–2‴ longus, obconico-campanulatus, repando-denticulatus, passim truncatus. Corolla 4‴ longa; tubus gracilis, parum in faucem ampliatus, inferne glaber; lobi 5 ovales, fere æquales, 1‴ longi. Filamenta fauci inserta, capillaria, 3‴ longa. Antheræ ovales, dorsifixæ; loculi paralleli, $\frac{1}{2}$‴ longi. Stylus capillaris, glaber, pæne $\frac{1}{2}$″ longus. Stigmata perbrevia, setaceo-subulata. Fructus circiter 4‴ longus, parte exserta pubescens, revera bilocularis, etsi tetraspermus. Pericarpium cujusque carpidii longe trans basim seminis descendens, hinc glabrum, pellucens, fere scariosum. Carpidia etiam altero latere interiore a basi ad apicem aperta. Spermatophorum 2–3‴ altum, apice subulatum, placentis 2 laterali-terminalibus fere cornutum, basi attenuatum, omnino persistens. Semina perfecta non accepi.

Planta anomala saltem sectionem propriam nisi genus nomine sectionali distinguendum præbet.

Clerodendron inerme (R. Br. Pr. 511) ab Arnhemia (Hulls) per Australiam borealem et orientalem litoralem sparsum flumine Richmondi tenus (Fawcett). Frutex 6′ v. humilior, erectiusculus v. alte scandens. Calyx sæpe edentulus, omnino truncatus. Corolla alba, extus paulo purpurea.

Clerodendron tomentosum (R. Br. Pr. 510) invenimus a portu Jacksonii et montibus cœruleis usque in Novam Angliam et fluvio Richmondi tenus. Arbor sæpe 20′. C. attenuatum, quod per Australiam orientalem tropicam et subtropicam satis frequens, non nisi absente indumento distinguo. Hæc varietas occurrit etiam ad flumen Hastings-River. Varietas altera, definitioni C. ovati non male respondens, occurrit in insulis Carpentariæ et ad flumen Victoriæ. De C. tomentoso, quæ sequuntur, annotavi. Calyx fructifer carnulento-coriaceus, rubellus; lobi 5, passim 4, deltoidei. Drupa in caryopses 4 facile secedens, trigono-ovatas, 4–5‴ longas, latere interiore pulpa purpurascente tenuiter tectas, et hinc endocarpio tenui-cartilagineo sordide fusco clausas; latere autem exteriore exocarpio nigro crustaceo-coriaceo vestitas. Caryopsis una v. altera sæpe asperma. Testa crassiuscule membranea, livida. Cotyledones plano-convexæ. Radicula brevissima, latitudine sua vix longior.

Vitex trifolia (Linn. fil. Suppl. Pl. 293; V. ovata, Thunb. Fl. Japan. 257) crescit a fluvio Brisbani in Arnhemiam. Arbor 20′ jam fruticis statu florens. Variat foliis digitate quinque-foliolatis.

Vitex melicopea (F. M. Fr. v. 35 et 213) producit paniculam trichotome multifloram, velutinellam. Calyx campanulato-semiovatus, 1–$1\frac{1}{2}$‴ longus, minute quinque-dentatus, firme truncatus. Corolla cœrulescens, vix 3‴ longa, extus præter basim velutinello-

sericea glandulisque depressis flavidis dense onusta, intus ante basim dense sericeo-barbata ; labium superum bidentatum ; labii inferi lobi laterales deltoidei ; lobus medius ceteris latior. Stamina vix e tubo corollæ emersa. Filamenta inferne dense sericea. Antherarum loculi oblique ovati, apice confluentes, inferne liberi et paulo divergentes. Stylus circiter $2\frac{1}{2}'''$ longus, glaber. Stigmatis crura 2 perbrevia, semilanceolato-subulata, divergentia. Drupa rubra, sæpe globosa. Mesocarpium passim suberosum et irregulariter sulcatum.

Vitex Cunninghami (Schauer in Cand. Pr. xi. 691) a promontorio Cape York circum sinum Carpentariæ ad flumen Victoriæ vergit. Drupa $\frac{1}{2}''$ longa, ovata. Pericarpium succulentum. Ad V. acuminatam et V. litoralem valde approximat.

Vitex Leichhardtii (F. M. Fr. iii. 58) nuper ad Illawarra detegebatur, nec non ad flumen Richmond's River. Drupa statu imperfecto visa globosa, exsucca, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}''$ metiens. De Ephieli simplicifolia sive Vitice macrophylla videbis observationes eximias Seemanni in Flor. Vit. p. 189.

Faradaya splendida (F. M. Fr. v. 21) alte scandit. Corolla alba.

Spartothamnus junceus (A. Cunn. in Walp. Rep. vi. 649) crescit a fluvio Manning's River usque in viciniam rivi Cape's River, occidentem versus ad Maranoam tendens. Planta interdum conspicue pubescit. Genus a Myoporineis ad Verbenaceas transtuli. Bacca enim pyrenas 4 liberas includit. Semen medio ventre fixum. Albumen nullum. Cotyledones oblongæ, compressæ, duplo logiores quam radicula infera cylindrica. Habitus plantæ Myoporinarum omnino dissimilis, divisio etiam stigmatis Myoporinis aliena. Teucridium parvifolium (J. Hook. Fl. N. Zeal. i. 203, t. xlix.) sub nomine Spartothamni Hookeri ad hocce genus duco.

Premna serratifolia (Linn. Mant. ii. 253) regni plantarum Australiæ civis est ex annotatione præclari J. Hooker in Flor. Tasm. Introd. p. xlvi. Pycnolachne ledifolia (Turcz. in Bull. de Mosc. xxxvi. 241) hoc scriptore ad Verbenaceas tracta, est Lachnostachys Walcotti. Cl. auctor tubum staminum quam corollam descripsit.

Verbena officinalis (Linn. Sp. Pl. 29) a sinu Spencer's Gulf ad sinum Rockingham's Bay extendit.

Verbena Bonariensis (Linn. Sp. Pl. 28) a portu Jacksoni in Novam Angliam et ad flumen Brisbane's River vergit.

Cyanostegia Bunnyana.

F. M. Fr. v. 36, t. xxxix.

Foliis latiuscule lanceolatis, pedicellis glabris, *calycibus repande quinquecrenatis tenui-chartaceis glabris* cyaneis, corollæ lobis lateralibus semiorbiculatis, lobo infimo fere rotundo, labio supero breviter lobato, stigmate indiviso, *germine quadrilobo.*

Ad sinum Roebuck-Bay ; Dr. Martin.

Cyanostegia Turczaninowii.

C. lanceolata, Turcz. Bullet. de Mosc. xxii. pars ii. p. 35 ; C. intermedia, Turcz. l. c. ; C. angustifolia, Turcz. l. c.

Foliis filiformi- v. lanceolato-linearibus v. anguste lanceolatis, pedicellis pubescentibus, *calycibus in lobos semiorbiculatos v. deltoïdeos v. semiovatos apiculatos medio tenus divisis membraneis* cœrulescentibus inferne extus intusque pubescentibus, corollæ amethystinæ lobis lateralibus semiovatis, lobo infimo fere ovato, labio supero conspicue lobato, *stigmatis cruribus acutis inæqualibus.*

In Australia occidentali extratropica ; Drummond (139, 140, 161, 440).

Germen biloculare; loculi unigemmulati; gemmulæ adscendentes.

Hæc planta, formis intermediis melius cognitis, antecedenti forsan conjungenda.

Mallophora globiflora (Endl. in den Annal. des Wien. Mus. ii. 206; Lachnocephalus lepidotus, Turcz. in Bull. de Mosc. xxii. part ii. pag. 36 ; Bocq. Group. des Verbén. 139, pl. iii. fig. 1–7) nascitur in plagis apricis Australiæ occidentalis extratropicæ. Mallophoram et Lachnocephalum combinare non hæsitavi, etiamsi illi stigma obtusum attribuitur. Facile enim crus stigmatis alterum defringit. Mallophoræ genus a Dicrastyli præcipue floribus tetrameris divellitur, sicut stylo non profunde diviso. Sepala Mallophoræ globifloræ corollam fere æquantia. Corollæ lobi fere ovales ; superiores breviores ; inferiores tubo æquilongi. Stamina 4 fauci corollæ inserta ; inferiora lobis corollæ pæne æquilonga. Antheræ dorsifixæ, fere versatiles ; loculi ellipsoidei, paulo divergentes. Stylus inferne lanosus. Stigmatis crura setacea. Germen tomentosum, 4-loculare, 4-gemmulatum. Bracteæ exteriores 2–3″ longæ, anguste lanceolatæ, ferrugineæ, extus lanuginosæ. Tota planta pedalis v. sesquipedalis. Folia 3–5‴ longa, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$‴ lata. Flores adspectu exteriore iis Physopsis similes. Mallophora corymbosa forsitan M. globifloræ varietatem constituit.

Physopsis spicata (Turcz. Bull. de Mosc. xxii. part ii. 34 ; Bocquill. Group. des Verbénacées 102, pl. iii. fig. 8–14) mihi suppetit in collectione Drummondi. Planta Lachnostachyos et Newcastliæ habitu. Folia opposita v. ternata, aliquot sparsa, oblonga v. ovata, crassa, paucilinearia, margine revoluta. Bracteæ lanceolatæ v. lineari-lanceolatæ, 2–3‴ longæ, extus lanosæ. Calyx cylindricus, perbreviter 4-dentatus, intus glaber, extus lana occultus. Corollæ lobi ovato-oblongi, æquales, tubo cylindrico duplo breviores. Antheræ 4, ad summitatem tubi fere sessiles, æquialte sitæ. Stylus setaceus. Stigma brevissime bidentatum. Fructus ignoti.

Genus Newcastliam appropinquat, præsertim divisione florum quaternaria distinguendum.

Newcastlia cladotricha (F. M. in Hook. Kew Misc. 1857, 22) reperta est a cl. Dr. Martin ad sinum Roebuck-Bay. Bracteæ rhombeo-orbiculares, teneræ, 3–4‴ metientes, acuminatæ, secus spicam nondum florentem imbricatæ, cito deciduæ.

Pentaptelion involucratum (Turcz. Bullet. de Mosc. xxxvi. p. 194) ad Verbenaceas pertinere dicitur, obstante autem stigmate sessili, si hoc recte descriptum. Plantam (Drumm. vii. 122) nondum vidi. Folia sec. Turcz. alterna; capitula terminalia; sepala 5 linearia; corolla 5-fida; stamina 5; antheræ fere sessiles; germen quadriloculare, 4-gemmulatum.

Dicrastylis Stœchas (J. Drumm. sec. Harv. in Hook. Kew Miscell. vii. 57) attinet quantum vidi tantum altitudinem pauci-pollicarem v. spithamæam. Folia $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longa, indumento varia, oblonga, sæpe in modum Chloanthis specierum verarum rugosissima. Corolla extus intusque pubescens; lobus infimus evidenter longior. Antheræ ut eæ omnium congenerum loculos habent ellipsoideos inferne disjunctos, nec divaricatos nec basi ullo modo productos. Stigmata stylo æquilonga. Fructus ignoti.

Dicrastylis reticulata (J. Dr. & Harv. l. c. 57) a quibusdam formis præcedentis et sequentis parum distat. Sepala iis ambarum paulo longiora reperi. Lobus corollæ infimus ovatus, paulo major; tubus lobis longitudine sat æqualis. Drupa nondum cognita.

Dicrastylis fulva (J. Dr. & Harv. l. c. 56) allata est a Dirk Hartog's Island (Dr. Martin, 32) et a fluvio Murchisonii (J. Drummond et Aug. Oldfield). Panicula ample corymbosa. Antheræ nigritæ. Calyx vix lineam longus. Corollæ tubus et lobi superi conspicue breviores quam lobus infimus; corolla igitur potius bilabiata, quam regularis dicenda. Fructus harum omnium comparatione egent.

Dicrastylis parvifolia (F. M. Fr. ii. 160; D. rosmarinifolia, Turcz. in Bulletin de Mosc. xxxvi. 226) adest in herbario Drummondi sub numero 176 et 286. Calyx vix lineam longus. Corolla distincte labiata; lobus infimus pæne orbiculatus. Fructus etiam hujus speciei nondum allati.

Dicrastylis ochrotricha (F. M. Fr. iv. 161) proprium forsan generis v. subgeneris Homotome dicendi typum exhibebit. Calycis lobi sub præfloratione et fructificatione valvati. Lobi etiam corollæ fere valvares, saltem non conspicue imbricati. Stamina semper 5. Antherarum loculi ellipsoidei, inferne liberi, basi non producti. Styli rami seu stigmatis crura elongata. Drupa exsuccosa, perfecte quadriloculata, axi imperforata, nec sponte in elementa carpica secernens, tenui-septata nec lacunam septi producens.

Pityrodia salvifolia (Br. Pr. 513; Schauer in Cand. Pr. xi. 628; Bocq. Group. des Verb. 131, pl. xv. fig. 8–15) nuper reperta est a P. O'Shanesy ad montem Tablemount prope Rockhampton, ubi fruticem 8-pedalem sistit.

Chloanthes Stæchadis (Br. Pr. 514) viget in tractu nemoroso litorali a portu Jacksonii usque ad sinum Rockingham's Bay. Corolla flavescens. Speciem similem detexit Dallachy ad montem Hinchinbrook, quæ secundum annotationem collectoris corolla cœrulescente gaudet. Hujus plantæ drupa 1–1½‴ alta, basi perfossa, foramine inter locellos minuto.

Chloanthes coccinea (Bartl. in Lehm. Pl. Preiss. i. 352) aut species proxime cognata sub 97 et 142 in seriebus plantarum Drummondi militans, progreditur ad promontorium Cape Arid. Jam statu spithamæo floret. Eandem iterum vel similem accepi floribus fructibusque destitutam a loco Swan-Hill ad flumen Murray-River.

Chloanthes Bartlingii (Lehm. Pl. Preiss. i. 352; Schauer in Cand. Pr. xi. 531) exhibitur collectione Drummondi sub 447. Corollæ adnotante Oldfieldio pallide purpureæ.

Chloanthes bullata.

Ramis albo-lanatis, *foliis confertis oppositis semilanceolato-linearibus supra bullato-rugosis* leviter arcuatis margine revolutis in basim sessilem sensim dilatatis lanuginoso-pubescentibus glabrescentibus, floribus fere sessilibus axillaribus solitariis, *calycis laciniis semilanceolato-linearibus planis*, corollæ tubo gracili, staminibus inclusis, stigmate juniore semigloboso e vertice breviter bilobato.

In vicinia fluminis Murchison's River; J. Drummond.

Suffrutex spithamæus v. pedalis. Folia ¾–1½″ longa, potius herbacea, quam coriacea, acuta. Bracteolæ oppositæ, laciniis calycis conformes. Hæ teneræ, extus lanuginoso-pubescentes, circiter 3‴ longæ; tubus calycis vix ultra lineam longus. Corolla circiter ⅔″ metiens; tubus inferne extus glaber, intus supra basim barbatus; cetera pars pilis ramosis mollibus parce tecta; faux ampla; lobi obtusi circiter 2‴ longi. Antheræ fere cordatæ. Filamenta brevia, didynama. Drupa bipartibilis, globosa, 2‴ alta; lacuna ampla inter locellos; foramen axili-basale.

Chloanthes uncinata (Turcz. Bullet. de Mosc. xxxvi. 194) cui folia inflexo-uncinata attribuuntur, cum nostra forsan haud commanda est.

Chloanthes hemigenoides.

Quoya hemigenoides, F. M. coll.

Tomento tenui stellari cinerascens, *foliis parvis ovali- v. oblongo-lanceolatis* oppositis sessilibus margine recurvis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris rarius bi- v. trifloris brevibus v. brevissimis, *calycis parvi lobis semilanceolatis tubo parum longioribus*, corolla extus superne velutinella calycem vix dimidio superante, filamentis brevibus, drupa parva velutinella.

In planitiebus arenosis flumen Murchisoni versus. Drummond & Oldfield.

Frutex 1–3′, erectus, adspectu Hemigeniæ. Rhizoma ad apicem densissime albo-tomentosum. Folia 3–10″ longa, 1½–3″ lata, integerrima, supra glabrescentia, non bullata. Pedunculi 1–2″ longi, prope medium bracteolas 2 oppositas lanceolari-lineares 2–3″ longas gerentes. Calycis laciniæ æquales, 1½–2‴ longæ, æstivatione valvatæ, medio et margine nervosæ. Corolla circiter 5‴ longa; labium superum deltoideo-bilobum; labii inferioris lobi semiovati; medius paulo latior et basim versus barbatus, interdum obcordato-orbiculatus; tubus corollæ brevis, basi glaber; faux dense sericeo-barbata. Stamina 4 didynama. Antheræ oblique cordatæ, omnes fertiles; loculi primum parelleli, demum divergentes, inferne liberi, basi brevissime calcarati. Stylus terminalis, tenuifiliformis, glaber, deciduus, 2‴ longus. Stigmatis lamellæ 2 semilanceolatæ, perbreves. Germen cano-velutinellum. Drupa exsuccata, crustacea, tenuissime velutina, 2‴ metiens, sphæroidea, sponte dissiliens, biloculata, tetrasperma. Septum incompletum; lacuna inter loculos nec locellos satis ampla; basis perforata. Semina albuminosa, ellipsoideo-cylindracea.

Chloanthes atriplicina (F. M. Fr. i. 235; Quoya atriplicina, F. M. Fr. iv. 80) extendit usque ad sinum Shark-Bay. Occurrit quoque inter plantas Drummondi sub 138. Corollæ lobus infimus orbicularis, 3–4‴ metiens, supra parce stellari-pubescens, ad faucem villoso-barbatus.

Chloanthes Oldfieldii (F. M. Fr. i. 234; Quoya cuneata, Gaudich. Voy. Freyc. Bot. 453, t. 66) est planta Drummondi 139. Antherarum inferiorum loculi interdum ambi conspicue appendiculati.

Chloanthes verbascina (F. M. Fr. i. 233; Quoya verbascina, F. M. Fr. iv. 80) variat foliis ternis. Huc spectat specimen Drummondi 140. Septum commissurale fere completum; lacuna inter locellos nulla.

Chloanthes loxocarpa (F. M. Fr. ii. 22; Quoya loxocarpa, F. M. Fr. iv. 80; Pityrodia Drummondi, Turcz. Bull. de Mosc. xxxvi. 213) est planta 141 ultimæ collectionis Drummondi ad flumen Murchison's River congestæ. Indumentum florum densius et flores magis conferti quam in planta Oldfieldii. Lobus corollæ medius pæne orbicularis, 2‴ metiens. Longitudo stigmatum variat. Folia interdum ternata.

Chloanthes dilatata.

Quoya dilatata, F. M. coll.

Ramis et innovationibus cano-tomentosis, *foliis spatulato-oblongis ad basim sessilem dilatatis* supra valde rugatis utrinque mox laxius tomentosis margine crenulatis planis, floribus axilla-

ribus solitariis breviter pedunculatis, calycis segmentis spatulato- v. oblongo-linearibus extus lanosis, corolla calycem bis terve superante ringente extus laxe lanuginoso-tomentosa, *labio corollæ supero inferum paulo excedente* in dentes 2 deltoideos diviso, fauce parce pilosula, filamentis brevibus, antheris æqualibus basi utrinque minute productis, germine tomentoso.

In Australia occidentali flumini Murchison's River vicina; Drumm. (210).

Frutex patentim ramosus. Folia opposita, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}''$ longa, 3–5‴ lata, ætate patentia v. deflexa; pars superior magis ovata; pars inferior magis cuneata; pars basalis semiamplexans, neque decurrens. Pedunculi bilineares v. breviores, tomentosi. Bracteolæ lanceolatæ, $1\frac{1}{2}$–2‴ longæ. Sepala 3–4‴ metientia. Corollæ labium superum cuneato-obcordatum; hujus lobi lineam paulo excedentes; lobi laterales corollæ deltoideo-ovati, vix 1‴ longi; lobus etiam infimus triangularis, $1\frac{1}{2}$–2‴ metiens; tubus etiam basi amplus et hinc glaber, ante basim intus annulato-barbatus. Stamina scilicet didynama. Antherarum loculi saltem initio paralleli. Stylus setaceus, glaber, plurilinealis. Stigmatis crura $\frac{1}{2}'''$ longa, subulato-linearia. Germen disco cupulari glabro insidens. Drupa ignota.

Chloanthes stachyodes (F. M. Fr. v. 50; Quoya racemosa, Turcz. Bullet. de Mosc. xxxvi. 194) propter corollam satis elongatam jam ad typicas Chloanthi species approximat. Tomentum ramorum et foliorum modo densum modo parcum. Huic e descriptione congeneres Dasymalla axillaris et D. terminalis (Endl. Nov. Stirp. Dec. ii. 12 & 13). Pityrodia etiam extremam Chloanthorum formam præbet, ut Quoya sectionis valore illis adstantem.

Buettneriaceæ.

Lachnostachys verbascifolia.

Robusta, *lanosissima, foliis magnis ovatis v. lanceolato-ovatis* margine recurvatis, spicis simplicibus v. divisis, calycis dentibus sex–novem semilanceolatis tubo fere duplo brevioribus, tubo staminum filamentis æquilongo, *germine subtilissime pubescente*, fructu glabro.

In Australia occidentali (Drummond, 237).

Frutex forsan altior. Lanugo in ramis foliis et spicarum rachibus fulvescens, longa et densa, e pilis plumoso-ramosis composita. Folia sessilia, conferta, opposita, $1\frac{1}{2}$–3″ longa, circiter 1″ lata, sæpe ad marginem ample reflexa. Spicæ terminales, solitariæ v. triplicatæ, 2–4″ longæ, ætate alares. Rachis denique glabrata. Bracteæ lineari-lanceolatæ, fere 3‴ longæ, dorso præter basim lanosæ, caducæ. Flores brevissime pedicellati, cum pedicello articulati, fere verticillate conferti. Calyces æstivatione valvati, mox $1\frac{1}{2}$–2‴ alti, lanugine densa exteriore longe superati, intus glabri. Stamina numero dentium calycis, hypogyna; columna truncata, lineam

alta, intus dense barbata, extus glabra, cum filamentis capillaribus decidua. Antheræ secedentes, introrsæ, obovato-oblongæ, dorsifixæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ, flavæ ; loculi paralleli, longitudinaliter dehiscentes. Stylus terminalis, capillaris, $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longus, glaber. Stigma minutissimum. Germen uniloculatum, unigemmulatum. Gemmula e basi cavitatis erecta. Fructus glabratus, evalvis, indehiscens, basi disco annulari glabro cinctus, circiter sesquilineam altus, obovatus, striolatus, stylo terminatus. Pericarpium membraneum. Semen erectum, obovatum, turgens, $1'''$ longum v. paulo longius, cavitatem explens. Testa tenerrime membranea, albida, glabra. Raphe longitudinalis. Albumen satis copiosum, amygdalinum. Embryo in axi albuminis situs et eidem æquilongus, rectus, amygdalinus. Cotyledones plano-convexæ, ovales, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longæ. Radicula infera, ovato-cylindrica, cotyledonibus fere dimidior brevior.

Fructus characteres nunc primum expositi genus ab Amarantaceis demovent. Ob carpidium unicum Lachnostachis approximat Waltheriæ, ob folia opposita Lasiopetalo. Genus autem proprium tribum (Lachnostachyarum) præsentat.

Lachnostachys ferruginea (Hook. Ic. Plant. 415 ; Moq. in Cand. Pr. xiii. sect. ii. 298) ab antecedente distinguitur indumento breviore magis velutino, foliis multo minoribus planis, bracteis dilatatis, dentibus calycis minus acutis, antheris dorso glandulosis.

Lachnostachys albicans (Hook. Ic. 414) occurrit in collectione Drummondi sub 439.

Lachnostachys Walcottii (F. M. Fr. ii. 140 ; Pycnolachne ledifolia, Turcz. Bull. Mosc. xxxvi. 214) militat sub 219 et 220 in collectione sexta Drummondi. Folia iis Guichenotiæ ledifoliæ similia.

Thymeleæ.

Pimelia Holroydii.

(Sect. Heterolæna).

Ramulis cum foliis et involucro glabris, *foliis oppositis ovalibus* fere sessilibus herbaceis glaucis majusculis planis obtusis, *bracteis involucrantibus* 4–6 *orato- v. cordato-orbiculatis*, capitulis terminalibus multifloris, *axi cylindraceo elongato* villoso, floribus bisexualibus, calycibus flavidis extus villosis basi sericeis haud articulatis, tubo lobis quater quinquiesve longiore, drupa parva sicca glabra conico-attenuata.

In montibus Hammersley-Range ; C. Harper (16).

Planta circiter $3'$ alta. Ramuli teretiusculi, pallide flavidi. Folia $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longa, tenuiter uninervia, tenuissime venosa. Bracteæ glaucedine foliorum participes, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}''$ longæ. Axis pollicaris v. brevior, pedicellis brevissimis tuberculatus, molli-villosus. Calyx semipollicaris. Stamina breviter exserta. Antheræ fere ovatæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ, recurvæ. Drupa ovato-conica, sensim rostrata, parte

calycis basali membranea non adhærente inclusa, $1\frac{1}{2}'''$ longa. Pericarpium nigrescens, crustaceum. Semen pendens, $1\frac{1}{3}'''$ longum, ovatum, rostratum. Funiculum perbreve. Testa lævis, pallide membranea. Albumen nullum. Cotyledones ovatæ, plano-convexæ. Radicula subulata, supera, cotyledonibus paulo brevior.

Plantam dicavi amico Arcturo Holroyd, celebri per regiones Niloticas peregrinatori, nunc horticulturæ in Neo-Cambria præstanti fautori.

Pimelea myriantha cum pluribus congeneribus diclinismum participat, ut ipse in loco plantæ natali ample observavi. Occurrit ad bases basalticas montium Stirling's Range, ubi fruticem pluripedalem format.

Lentibularinæ.

Utricularia perminuta.

Foliis numerosis linearibus v. spatulato-linearibus minutis, *scapis capillaribus perbrevibus unifloris folia nulla bracteiformia gerentibus*, bracteolis 2 sub flore oppositis oblongis ovatisve basi truncata brevissime productis, corollæ violaceæ labio supero brevissime et obtuse bi- v. trilobo calycem paulo superante, labio infero superum duplo excedente ter latiore quam longo crenato-trilobo calcar subulato-conicum obtusiusculum semiæquante.

In montium graniticorum locis madidis muscosis ad sinum Regis Georgii. F. M.

Plantula Polypompholyci tenellæ simillima. Radices breves, teneræ, utriculo terminatæ. Utriculi vesiculares, acumen filare et membranulam duplicem fimbriatam fere terminalem producentes. Folia obtusa, petiolo addito 2–3‴ longa. Scapi 1–3‴ alti. Bracteolæ $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longæ. Sepala 2, orbicularia, violacea, circiter sesquilineam metientia. Labium corollæ superum ovato-obcordatum, basi in palatum valde ampliatum; labium inferum lenissime trilobum, medio luteum et hinc striolis saturate violaceis ornatum. Calcar lenissime aut vix emarginatum. Capsula ovato-globosa, polysperma, statu maturo nondum nota.

Diagnosis Utriculariæ violaceæ dissuadit nostræ plantæ. Plantam quam maxime affinem nisi eandem detexi in locis silvaticis ad flumen Glenelg's River. Multis forsan locis interjacentibus adhuc supervisa.

Urticularia Menziesii (Br. Pr. 431; U. macrosceras, A. de Cand. Pr. viii. 666) nascitur ad sinum Regis Georgii.

Utricularia volubilis (Br. Pr. 430) crescit in variis locis Australiæ occidentalis; e. g. ad Albany, Porongorup, Gordon's River. Attinet altitudinem 3′. Sepala et corollæ labium inferum violacea; labium superius pallidum; palatum luteum.

Utricularia fulva (F. M. in Tr. Phil. Inst. Vict. iii. 63) sub itinere Stuartii devehebatur a fluvio Strangeway-River. Calcar conico-subulatum, haud compressum.

Utricularia chrysantha (Br. Pr. 432) in pratis humidis secundum flumen Victoriæ me ipso observata est; ad flumen Glenelgi (Martin); ad sinum Rockinghami (Dallachy). Racemi interdum bini. Flores suaveolentes, in racemo usque 18 numeravi. Corollæ luteæ labium superum ovato-rotundum, truncatum, paulo brevius quam inferum, quod quadrifidum; lobi hujus semiovati v. semi-oblongi, obtusi. Palatum valde inflatum, aureum, glabrum. Calcar descendens, subulatum, vix curvatum.

Utricularia graminifolia (Vahl Enumer. i. 195) ad flumen Brisbani me lecta est. Corolla cœrulea.

Utricularia cyanea (Br. Pr. 431) crescit a Manly Beach (Woolls) usque ad sinum Rockingham's Bay. Planta tantum digitum ad spithamam alta, pluribus notis antecedenti accedit. Folia aliis locis linearia, aliis spatulato-ovalia. Corolla interdum alba. De planta simili ad Carpentariam crescente notavi labium corollæ superius breviter acuteque bifidum; labium inferius truncatum, indivisum, utrumque dilute cœruleum; palatum flavo-virens; calcar trigono-conicum, acutum, horizontale, leniter adscendens.

Utricularia stellaris (Linn. fil. Suppl. 86) ad Carpentariam, e. g. ad flumina Nicholson's, Robinson's et Gilbert's River, me detecta. Corollæ flavæ labium superum late ovatum, integerrimum; labium inferum illo et calcare vix longius, ferme rotundum, antice truncatum et obscure tridentatum. Calcar adscendens, conicum, obtusum, pubescens.

Utricularia dichotoma (Lab. Nov. Holl. Pl. Spec. i. 11, t. 8; U. speciosa, Br. Pr. 430; U. oppositiflora, Br. Pr. 430; U. uniflora, Br. Pr. 431) extendit a flumine Glenelgi in Novam Angliam, regiones alpinas adscendens. Caulis 3″–1½′. Folia passim graminea, 4–5″ longa. Corolla violacea, ad faucem flava et hinc saturatius zonata, raro casu alba. Flores stirpium bene evolutarum plures; tunc racemosi, non dichotomi. Nomen plantæ melius in U. Billardieri mutetur. Huc forsan U. linearifolia (Benj. in Linnæa xx. 306) trahenda. Corolla violacea v. lilacina; labium inferum horizontale, securiforme, lenissime repandum, usque 10‴ latum; labium superum adscendens, ovatum, emarginatum v. breviter bilobum, ad latera plane reflexum, ita ut margines se tangant; calcar dependens, saccato-cylindricum, labio inferiore duplo-brevius; palatum flavum, saturate violaceo zonatum, subtilissime puberulum. In vertice muscoso montis William planta jam altitudine 1–3″ floret.

Utricularia australis (Br. Pr. 430) per Australiam extratropicam sparse occurrit, locos subalpinos (e. g. Omeo) adscendit et ni fallor ad flumen Burdekin's River et Carpentariam vergit. Cum U. vulgari amplius comparanda. Labium superum ovatum, adscendens, margine leniter inflexum; labium inferum horizontale, pæne reniforme; palatum inflatum, venis fuscis pictum; calcar obtusum, compressum, labio infero semisuperatum.

Utricularia exoleta (Br. Pr. 430) nisi species finitima me legebatur in Arnhemia et ad flumen Burdekin's River. Hæc U. minori ulterius comparanda. In Arnhemia Nelumboni nuciferæ consociata ; hoc loco vidi labium corollæ superius truncatum, inferius breviter bilobum, calcar obtuse conicum. Planta persimilis ad flumen Victoriæ mihi præbebat segmenta foliorum setacea, parum divisa, labium corollæ inferum truncatum, sua longitudine duplo latius, medio emarginatum, cetero repandum ; labium superum infero paulo longius, margine incurvum, brevissime trilobum, lobis truncato-rotundatis ; palatum inflatum, glabrum ; calcar complanatum, conico-subulatum, satis obtusum, rectum, horizontale v. leniter adscendens, labio infero triente longius. Alio loco ad flumen Victoriæ vidi labium inferum fere rotundum, retusum v. breviter bilobum, calcar apice truncatum v. lenissime emarginatum.

Utricularia Hookeri (Lehm. in Mohl & Schl. Bot. Zeit. 1843, 109 ; U. inæqualis, A. de Cand. Pr. viii. 666 ; U. latilabiata, Benj. in Linn. xx. 315) reperta ad flumina Vasse- et Tone-River. Corolla violacea ; labium inferum sæpe integerrimum. Bracteæ quaternæ, supra basim affixæ. Variat biflora.

Utricularia lateriflora (Br. Pr. 431 ; U. parviflora, Br. Pr. 431) me reperta prope Brighton portus Phillipi ; vidi quoque plantam a Southport Tasmaniæ. Folia minuta, spatulata, radicalia. Bracteæ sive folia caulina semilanceolata, minutissima, distantia, basifixa. Caulis simplicissimus v. dicladus, 1–10-florus. Calcar labio infero vix brevius, acutum nisi forsan emarginatum.

Utricularia simplex (Br. Pr. 431 ; U. monanthes, J. Hook. Fl. Tasm. i. 299) crescit in planitiebus uliginosis prope King George's Sound, ubi de hac notas sequentes scribebam. Corolla violacea ; labium superius obovato-spatulatum ; inferum securiforme ; calcar labiis æquilongum, compressum, emarginatum v. bidentatum. Species præeunti quam maxime affinis, iisdem bracteis caulinis donata et fortasse specifice non divellenda. Crescit etiam in Neo-Zelandia ; conf. J. Hook. Manual i. 222.

Polypompholyx tenella (Lehm. in Mohl & Schl. Bot. Zeit. 1843, 110 ; Tetralobus pusillus, A. de Cand. Pr. viii. 667) crescit in cacumine fontano muscoso montis Melville. Bona specimina non habeo. Aut ad hanc aut ad P. exiguam (F. M. in Tr. Phil. Soc. Vict. i. 50 ; Lithogr. Pl. lxiv.) pertinet Utricularia tenella. Plantam e insula Flindersii (conf. J. Hook. Fl. Tasm. i. 300) nondum vidi. Species vel varietas Australiæ felicis ostendit ut planta occidentalis palatum brevi-pubescens et bracteolas basi non productas. Semina rotunda, depressa, nigra, nitida, scrobiculata. Specimina uniflora valde æmulantur Utriculariam perminutam, quacum speciem consociatam reperi.

Polypompholyx multifida (P. Endlicherii, Lehm. l. c. ; P. latiloba, Lehm. l. c. ; Utricularia multifida, Br. Pr. 432 ; U. latiloba, Benth. in Hueg. Enum. 82 ; Tetralobus Preissii, A. de Cand. Pr.

viii. 340) tractus udos inter sinum Regis Georgii et flumen cygnorum ample occupat. Corolla amœne rosea; lobi 3 labii inferioris sive emarginati sive bifidi. Huc pertinet planta Drummondi 509. In muscosis paucipollicaris uni- v. pauciflora, foliis floribusque minoribus; in paludosis major et sæpe pluriflora, tunc caulis ad sesquipedem altus.

Sesameæ.

Josephinia imperatricis.

Vent. Malmais. t. 103; J. grandiflora, Br. Pr. 520.

Glabra v. pubescens, *foliis integerrimis* lanceolatis, corollis antherisque magnis, stylo elongato, *stigmate quadrilobo*, fructibus 4–8-loculatis.

In insulis Lord Howick's Group (F. M.); ab hinc ad oras occidentales tropicas sparse extendens.

Icon Endlicheri (Iconograph. 106) stigma trilobum præbet.

Josephinia Eugeniæ (F. M. in Hook. Kew Misc. ix. 371, tab. xi.) nunc nota a Kyejerou, i. e. aquis boreali-occidentalibus rivi Cooper's Creek (Dr. Murray); a fluvio Suttor's River (E. Bowman) et ut jam scimus ex Arnhemia. Antheræ semilineam longæ v. paulo longiores. Semina fere cylindrica, circiter 3‴ longa, basifixa, hinc truncatula, apice rotundata, leniter compressa. Endopleura tenui-membranea, pallida, facile separabilis. Cotyledones valde compressæ, anguste oblongæ, paulo latiores et duplo longiores, quam radicula infera.

Pedalium Murex in Australia nondum repertum, sed fortasse reperiendum.

Myrsineæ.

Ardisia brevipedata.

Fruticosa, glabra, foliis chartaceis lanceolatis opacis acuminatis breviter petiolatis, *umbellis terminalibus solitariis v. geminis breviter pedunculatis*, pedicellis flore ter quaterve longioribus, calycis dentibus cordato-deltoideis, *corolla profunde quinquepartita* antheras superante nigro-glandulosa præter barbulas filamentis brevissimis intersitas glabra, stylo perbrevi.

Ad sinum Rockingham's Bay; Dallachy.

Folia $2\frac{1}{2}$–5″ longa, 1–$1\frac{3}{4}$″ lata, tenui-penninervia, glandulis rubiginosis nigrescentibus copiose punctata et lineolata, in petiolum bi- v. pauci-linearem decurrentia. Pedicelli semunciales v. breviores. Calycis lobi vix $\frac{1}{2}$‴ longi, nigro-glandulosi. Corollæ albæ lobi semilanceolati, 1‴ longi, leniter ante anthesin torti. Antheræ e basi cordata sagittatæ, flavæ, $\frac{2}{3}$‴ longæ. Stylus tenuissime subulatus, vix lineam æquans. Germen paucigemmulatum, nisi unigemmulatum. Drupa baccata, fere semipollicaris, globosa, extus

rubra. Putamen striolato-rugatum. Semen unicum, basifixum, membranis tenerrimis laxis velatum, globosum, $2\frac{1}{2}'''$ metiens, læve, opacum, extus fulvidum, basi impressum. Albumen albidum, corneum. Embryon transversum.

Myrsine subsessilis (F. M. Fr. iv. 81) allata est a Rockingham's Bay, ubi frutescit. Præter Samaram Australianam (Choripetalum Australianum, F. M. Fr. iii. 36 ; iv. 82 et 174) cognosco alteram speciem Leichhardtio in silvis Araucariarum ad flumen Burnettii detectam.

Myrsine achradifolia.

Glabra, *ramulis valde robustis, foliis magnis conspicue petiolatis* ovato-lanceolatis integerrimis obtusiusculis utrinque nitentibus pertenui-penninerviis, umbellis pauci- v. plurifloris sessilibus v. pedunculo brevi percrasso impositis, floribus pentameris, calycis dentibus deltoideis, *corollæ lobis ante expansionem valvate in globum conniventibus* antheras breviter superantibus.

Ad Rockingham's Bay ; Dallachy.

Species modice arborea. Ramuli saltem eximie crassi, apicem versus foliati, inferne longo tractu aphylli et hinc cicatribus magnis notati, exsiccatione rugato-angulati. Petioli validi, circiter $1''$ longi, canaliculato-semiteretes. Folia coriacea, utplurimum $4–7''$ longa, $1\frac{1}{2}–2\frac{1}{2}''$ lata, nitore oleoso superfusa, passim in formam lanceolarem v. obovatam vergentia, nervo mediano valido subtus prominenter costata, margine plana nisi exsiccando leniter recurva, undique punctulis hyalinis pellucentibus numerosissimis simulque punctis rubiginosis paucioribus inspersa, non lineolata. Pedunculi $3'''$ longi v. breviores, crebre squamulosi, sæpe abbreviati v. in parte ramulorum supera obliterati. Pedicelli bracteolis vix lineam longis fere ovatis ciliolatis involucrati, crassiusculi, $1–2'''$ longi, angulosi. Flores passim 6-meri. Calyces vix ultra lineam alti, medio tenus quinquefidi ; lobi sive dentes glandulis rufis notati, basim versus perpetue imbricati, margine ciliolati. Corollæ tubus brevissimus, extus glaber ; laciniæ ovato-lanceolatæ, crassiusculæ, circiter lineam longæ, extus ubique intus marginem versus pulverulento-velutinellæ. Antheræ cordato-ovatæ, sursum acutatæ, rimis lateralibus apertæ. Filamenta perbrevia, quibus squamulæ minutæ triangulares interpositæ. Stylus in floribus hisce masculis vix ullus etsi germen conspicuum. Fructus non visi.

M. Rapaneæ et M. capitellatæ propinqua.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLVI.

Simarubeæ.

Hyptiandra.

J. Hook. in Benth. & Hook. Gen. Pl. i. 294.

Flores bisexuales. Sepala 4–5, perbrevia, tarde decidua. Petala 4–5, sessilia, æstivatione imbricata. Stamina 8–10. Filamenta libera, inferne linearia ciliata et intus barbata, apice subulata et glabra. Antheræ ovato-cordatæ, exappendiculatæ, dorsifixæ, versatiles ; loculi introrsum longitudinaliter dehiscentes. Germina 4 coalita, 1–2-gemmulata. Stylus perbrevis. Stigma minutum. Discus annularis. *Carpidia gynophoro crasso brevique stipitata, ovata, erostria*, tarde v. tardissime valvata, monosperma, leviter compressa. Exocarpium fere coriaceum. Endocarpium diu nisi perpetuo adnatum. *Semen solitarium, ventrifixum, estrophiolatum*, ovatum, acuminulatum. Testa membranea. Endopleura tumida. Albumen parcum nisi parcissimum. Cotyledones ovatæ, planæ, extus paulo convexæ. *Radicula brevissima, supera.*

Frutex Australiæ orientalis capricornicæ, indumento e pilis brevibus simplicibus in ramis densiore in foliis parciore, *foliis sparsis elongato- v. angusto-lanceolatis coriaceis parce v. indistincte punctatis*, floribus parvis brevissime pedicellatis axillaribus solitariis binis paucisve, carpellis 1–2 maturantibus.

Hyptiandra Bidwilli.

J. Hook. in Benth. Fl. Austr. i. 374.

In vicinia sinus Wide-Bay, Bidwill ; prope montem Table-Mount, O'Shanesy ; ad cavernas montium Moriset's Mountains, Thozet.

Frutex 1–8′, rigidus. Folia amaricantia, 3–5″ longa, 3–10″ lata, in apicem obtusum et petiolum brevem angustata, margine angustissime recurvata, subtiliter pennivenia et reticulari-venulosa,

supra nitentia, subtus pallidiora. Sepala semiorbiculata, vix $\frac{1}{2}'''$ alta. Petala ovata, basi truncata, $1\frac{1}{2}'''$ longa, dorso pilosula. Stamina petalis fere æquilonga. Antheræ $\frac{1}{3}'''$ metientes, ætate resupinatæ. Stylus subulatus, glaber, $\frac{2}{3}'''$ longus. Carpidia 4–5‴ longa, gynobasi sesquilineari obverse pyramidali v. magis cubicæ insidentia. Semen 2‴ longum, nondum statu perfecte maturato examinatum. Embryon semini fere æquilongum.

Cadellia monostylis ad flumina Tweed et Richmond-River arborem 100′ altam format. Flores paniculati. Germen cum styli basi interdum dense velutino-sericeum.

Brucea Sumatrana nascitur ad montem Ellioti et sinum Rockinghámi. Petala vidi obovata, $\frac{1}{2}'''$ longa, foliola passim integerrima. Antheræ didymæ. Albumen valde parcum. Embryo amygdalinus, ovatus, rectus. Cotyledones plano-convexæ. Radicula brevissima, supera.

Ailantus imberbiflora crescit ad altitudinem 100′. Foliola numerabam usque 50. Hæc arbor nuper a monte Buzzard, a portu Denisoni et a fluvio Clarence's River cognita.

Rutaceæ.

Eriostemon ambiens.

(Sect. Phebalium.)

Altior, *glaber, foliis permagnis chartaceis ovalibus subtilissime serrulatis basi lata sessili biloba ample ambientibus, cymis terminalibus corymboso-paniculatis*, calycis minuti dentibus deltoideis ciliolatis, petalis albis æstivatione valvatis, filamentis setaceo-subulatis glabris, antheris versatilibus exappendiculatis, germinibus 5 parce et brevissime stellari-pubescentibus, carpidiis parvis perbreviter rostratis.

In rupibus graniticis juxta Timbarra et in loco Poverty-Point. C. St.

Frutex 8′ v. humilior, balsamico-odorus. Ramuli mox teretes. Folia plana, pleraque $2–3\frac{1}{2}''$ longa, circiter 1″ lata, utrinque nitentia, subtus pallidiora, apice obtusa v. emarginata; venæ tenues superne ramosæ; venulæ pertenues. Panicula multiflora; rami et pedunculi angulati. Pedicelli flore vix longiores, solitarii, gemini et sæpe ternati. Calycis dentes $\frac{1}{3}'''$ longi. Petala lanceolata, $2–2\frac{1}{2}'''$ longa, uninervia, patentim venosa, basi truncatula. Filamenta petalis æquilonga. Antheræ $\frac{3}{4}'''$ longæ, dorsifixæ; loculi ellipsoideo-lineares, basi et apice soluti. Carpidia ovato-rhombea, sesquilineam vix excedentia. Dens basalis endocarpii haud distincte adscendens. Membrana placentaria cordato-rotunda, $\frac{1}{2}'''$ metiens. Semen renato-ovatum, viridi-fuscum, perparum nigro-punctatum, 1‴ longum.

Planta quidem adspectu nec ullis notis generalibus aliena, in viciniam Eriostemonis elatioris et E. nudi trahenda.

Phebalium tam diu cum Eriostemone combinandum est, quam diu in Boroniæ genere finitimo species imbricate et valvate florentes retinemus. Pagetia medicinalis ostendit strophiolam 2–2½‴ metientem cordiformem membraneam, endocarpium denique plane solutum. De fructu Acradeniæ Franklini disserui in Papers of the Royal Society of Tasmania, 1867, pag. 7–8. Ad Acradeniam sub nomine A. Bosistoi ducatur Bosistoa sapindiformis.

Pittosporeæ.

Pittosporum rubiginosum.

A. Cunn. in Annals of Nat. Hist. iv. 108; Benth. Fl. Austr. i. 112.

Arboreum, *foliis* lanceolatis v. ovato-lanceolatis acuminatis breviter v. brevissime petiolatis verticillari-confertis prominenter penninerviis fere *herbaceis subtus cum ramulis et inflorescentia tomento sericeo fuscescente dense vestitis* supra breviter pubescentibus, corymbo umbelliformi terminali solitario rarius paniculato, sepalis angusto- v. lineari-lanceolatis liberis corollam saltem semiæquantibus, filamentis anthera duplo longioribus, *capsulis turgidis fere globosis extus velutino-tomentosis*, seminibus spadiceis.

Prope Endeavour-River; A. Cunningham. Ad Rockingham-Bay; Dallachy.

Arbor jam statu frutescente florens. Folia 3–6″ longa, margine parum recurva. Bracteolæ lanceolato- v. subulato-lineares, 3–4‴ longæ. Pedunculi breves v. brevissimi. Pedicelli 3–8‴ longi. Petala anguste spathulata, obtusa, circiter 4‴ longa, glabra, mox omnino disjuncta. Antheræ lineam paulo excedentes, oblongo-lineares, basi bilobæ. Stylus glaber, saltem 2‴ longus. Capsula bivalvis, utplurimum semipollicaris, vix compressa sed passim depressa; valvæ non valde crassæ. Semina 12 v. pauciora, fusconigra, fere 2‴ metientia, oleoso-viscida. Funiculi rigidi, flavidi.

Statio Pittospori melanospermi Whit-Sunday Island (conf. Benth. Fl. Austr. i. 111) ad Celastrum dispermum pertinet. Veram plantam nondum ex Australia orientali cognosco.

Pittosporum phillyroides circum sinum Great Bight extendit. Visciditas seminum ut in aliis oleosa.

Pittosporum undulatum montes Novæ Angliæ adscendit. Frigori minus resistit quam P. tenuifolium et P. eugenioides. Arbor passim ultra 100′ alta. Cortex squalide cinereus, rugosus.

Pittosporum revolutum reperitur per totum silvarum tractum Australiæ orientalis usque ad Rockingham-Bay.

Pittosporum ovatifolium gaudet seminibus rubro-fuscis ætate nigrescentibus. A promontorio Cape York ad circulum capricornu vergit. Bracteolæ lineari-lanceòlatæ. Sepala angusto-lanceolata, acuminata, trientem corollæ vix superantia, æqualia, ciliolata. Petala circiter 4‴ longa, glabra, acuta, anguste lanceolata. Antheræ oblongo-ovales. Germen tomentosum. Stylus circiter 1‴

longus, glaber. Semina 14 v. pauciora, saturate rubro-fusca, nunquam nigra.

Cheiranthera filifolia viget ad flumen Young-River.

Cheiranthera linearis occidentem versus progreditur usque ad Venus- et Streaky-Bay, septentrionem versus ad Darling's Downs.

Citriobatus multiflorus extendit in Novam Angliam sicut ad urbem Rockhampton. Flores fragrant.

Citriobatus pauciflorus a fluvio Glenelg-River allatus est; sed specimina me visa floribus fructibusque carent.

Hymenosporum flavum septentrionem versus sinum Rockinghami attinet. Arbor nonnunquam 50′. Cortex lævis. Lignum albidum, haud durum.

Billardiera cymosa includit Pronayam Muelleri, Turcz. Bull. de Mosc. 1863, 561.

Illustris et venerabilis Liber Baro Carolus de Huegel me edocuit, genus Marianthum dicatum esse prænobili Mariæ Melaniæ Principi de Metternich, dominæ patrocinio elato horticulturam in imperio Austriaco olim quam maxime foventi.

Malvaceæ.

Sida lepida.

Abutilon lepidum, F. M. coll.

Ramulis tomentoso-pubescentibus et sparse villosis, *foliis parvis orbiculatis* repando-dentatis velutino-pubescentibus conspicue petiolatis, stipulis lineari-setaceis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris tenuissimis flore conspicue longioribus prope apicem articulatis undique patentim pubescentibus, *calyce parvo petalis albis purpurascentibus glabris ter breviore*, columna staminum glabra petalis ter superata inferne conica superne penicillari-filamentosa, carpidiis numerosis planis obtusis monospermis.

In vicinia portus Walcotti; C. Harper. Ad Camden-Harbour; Dr. Martin.

Folia circiter pollicem metientia. Pedunculi petiolis paulo longiores. Calyces 2‴ longi; lobi tubo paulo longiores, primum semilanceolati, demum magis deltoidei. Petala oblique obovato-cuneata, circiter 4‴ longa, exsiccatione aut purpurascentia aut cœrulescentia. Columna staminum lineam alta. Filamenta antheris longiora. Styli filamentis longitudine æquales. Carpidia me nondum statu maturo visa, vix 2‴ longa, renato-ovata, in fructum globosum vertice depressum cohærentia, separabilia, dorso pubescentia. Semen fuscum, oblique cordato-deltoideum.

Sida geranioides ad Shark-Bay monente Maitl. Brown altitudinem 8′ attinet. Carpidia 8 calycem pæne æquantia, brevipubescentia, tarde et imperfecte secedentia, oligosperma, acumine subulato lineam paulo excedente terminata. Semina fusca, lineam

metientia, pilis minutis conspersa. Abutilon australe (Garcke Ind. Sem. Hort. Berol. 1857 et Append. Plant. Nov. quæ in Hort. Ber. col. 1861) ex Australia allatum dicitur.

Sida pleiantha vergit ad fluvios Maranoa et Warrego.

Sida crispa nascitur ad portum Denisoni.

Sida micropetala nuper inventa est ad flumen Herberti (Dallachy), ad montes Caves-Mountains (Thozet). Frutex 6′ v. humilior. Folia usque ad 8″ longa. Calyx interdum 10‴ altus. Pedicelli pedunculo sæpe æquilongi et 9‴ metientes. Stamina ex annotatione Dallachyi purpurascentia. Semina vix lineam excedentia, parce floccoso-pilosula.

Howittia trilocularis crescit prope Timbarra Novæ Angliæ.

Gossypium Sturtii attulit a flumine Elizabeth-River cl. Babbage, e regionibus interioribus Neo-Cambriæ Dr. Leichhardt.

Fugosia thespesioides occurrit in collectione Mackinlayi ab Arnhemia septemtrionali. F. hakeifolia variat corolla flavescente.

Fugosia punctata viget ad Camden-Harbour (Dr. Martin), ubi 3–4′ alta. Ad Nichol-Bay quandam Fugosiam cœrulei- v. purpureifloram legit C. Harper. Hæc planta differt a F. populifolia et F. australi foliis longe et acute trilobis, ab ultima specie præterea glabritie sicuti bracteolis majoribus, tunc venatione tenuiore.

Plagianthus sidoides includit P. discolorem (Asch. in Append. de Plant. Hort. Berol. 1861).

Urena lobata provenit ad Rockingham-Bay.

Hibiscus Abelmoschus (L. Sp. Pl. 980) invenitur ad flumen Glenelgi fide collectionis Martini. Corolla scilicet flava.

Hibiscus Normani in insula Hinchinbrook-Island attinet altitudinem 3′. Involucri foliola occurrunt unguiculata grosse pauciden-tata interdum calyce conspicue superata. Corolla rosea.

Hibiscus vitifolius vergit ad Rockingham-Bay.

Hibiscus Krichauffi extendit ad flumen Capei, sec. collectionem Bowmani.

Hibiscus leptocladus exhibitur eadem collectione a fluvio Capei.

Hibiscus panduriformis progreditur flumine Suttoris tenus (Dorsay); ita occurrit ad flumen Burdekin's River et in aliis locis Australiæ orientalis tropicæ.

Hibiscus brachysiphonius exploratore Stuart inventus ad montem Freelingi Australiæ centralis.

Hibiscus diversifolius sparse totum tractum occupat a portu Jacksoni usque sinum Rockingham's Bay. Attinet altitudinem 8′. Corolla ex observatione Woollsii rosea, e notis O'Shanesyi et Dallachyi flava. Plures Hibisci in modum Althææ roseæ colore corollæ variant.

Hibiscus pentaphyllus a Bowman repertus ad fluvium Flindersi.

Hibiscus radiatus extendit ad flumen Suttoris. Folia interdum basi tenus dissecta. Caulis 12′ evadit. Cortex tenacissimus. Corollam luteam passim producit.

Hibiscus zonatus riparum fluvii Flindersii incola est observante Bowman.

Hibiscus heterophyllus nonnunquam corollam luteam evolvit. Hujus etiam varietatis flavifloræ semina reperio glabra. Alia varietas hispidifolia gignit folia utrinque stellari-hispidula; hæc ad flumen Fitzroy-River nascitur. Tertia varietas a Rockingham's Bay habet folia supra glabra subtus velutinella et attinet altitudinem 20′.

Hibiscus splendens migrat a Nova Anglia ad Rockingham's Bay.

Hibiscus tiliaceus ad flumen Clarence's River inveniebatur a Wilcox; ad rivum Richmond's River a Henderson; ad Adam's Bay a Hulls. Ad flumen Alberti hanc arborem 40′ altam vidi.

Thespesia populnea me ipso reperiebatur in insula Moreton-Island.

Plagianthus microphyllus in planitiebus salinis ad montes Stirling's Range occurrit.

Plagianthus spicatus statu pubescente transmissus est a monte Murchisoni et lacu Hindmarshii.

Malvastrum spicatum ex Australiæ occidentalis insula Hearson-Island obtineo.

Tiliaceæ.

Sloanea Macbrydei.

Echinocarpus Macbrydei, F. M. coll.

Ramulis mox glabratis, foliis obovatis crenulato- v. denticulato-repandis glabris basi cuneatis, floribus corymboso-racemosis, pedicellis elongatis, *sepalis* 4 *æstivatione valvatis*, *petalis nullis*, antheris in toro parvo fere sessilibus, stylo brevi, *germine biloculato*, *capsulis pyriformi-ovatis bivalvibus subulato-aculeatis*, loculo altero angusto vacuo.

Ad sinum Rockingham's Bay in tergis montium silvaticorum; J. Dallachy.

Arbor magna. Lignum satis durum, flavum. Petioli unciales v. breviores. Folia chartacea v. tenui-coriacea, 2–6″ longa, 1–2″ lata, patentim et distanter penninervia, obtusa, transverse inter nervos venosa et reticulari-venulosa. Pedicelli parum puberuli, graciles, biunciales v. breviores. Flores eximie fragrantes. Sepala albida, carnulento-coriacea, ovata, acuminulata, circiter 4‴ longa. Antheræ 60–70, tetragono-lineares, puberulæ, sesquilineam longæ, connectivo acutatæ, rimis 2 brevibus apice v. fere medio tenus dehiscentes. Germen ovatum, echinulatum, stylo subulato indiviso fere lineam longo rostratum. Gemmulæ in loculo 7 v. pauciores, seriato-axillares. Capsulæ fere pollicem longæ, leviter compressæ, lignescentes, extus velutinellæ et aculeis 1–1½‴ longis secedentibus basi incrassatis armatæ. Septum excentricum. Cavitas loculi glabra. Semina ignota.

Nobilem hancce arborem dicavi clar. Joanni MacBryde, per aliquot annos laborum phytologicorum Dallachyi adjutori.

Sloanea Woollsii.

Echinocarpus Woollsii, F. M. coll.

Ramulis velutinellis, *foliis* lanceolatis v. ovato-lanceolatis breviter et remotiuscule *serrato-dentatis* basi haud obtusatis præter axillas nervorum glabris, floribus racemoso-corymbosis longe pedicellatis, stylo breviusculo, *fructibus parvis ovatis densissime subulato-aculeatis*, loculo unico fertili.

Ad flumen Tweed ; Moore & Carron (34).

Arbor usque 100′ alta, nativis Carrabin vocata. Cortex profunde sulcatus. Folia 2–5″ longa, coriacea, sensim acutata, petiolo unciali v. sæpius breviore prædita. Pedicelli 1–1½″ longi. Flores ignoti. Fructus nondum plane maturi 4–5‴ longi, stylo subulato 1‴ metiente denique bifido terminati et aculeis separabilibus 1–1½‴ longis onusti, in exemplaribus suppetentibus nondum valvati. Semina matura desunt.

Positio plantæ generica nondum certa.

Arbor nobilis devota præclaro auctori libri nuperrime editi Contributions to the Flora of Australia.

Elæocarpus sericopetalus.

Foliis longiuscule petiolatis *ovali-lanceolatis subtilissime crenulatis utrinque glabris* pertenuiter et patentim nervosis haud foveolatis, racemis tenuissime cano-sericeis, *petalis præter apicem minutim denticulatum integerrimis extus cano-sericeis*, staminibus numerosis brevissime pubescentibus, antheris muticis, stylo brevi, germine triloculato, loculis pauci-gemmulatis.

In montibus orariis ad sinum Rockingham's Bay ; Dallachy.

Arbor 40′ v. altior. Folia utplurimum 2½–3½″ longa, tenui-coriacea, basi cuneata et integerrima, apice sæpe breviter et obtuse acuminata ; venæ supra reticulari-prominulæ. Racemi cum brevi pedunculo 1½–2½″ longi. Alabastra globosa, nutantia. Pedicelli 3–4‴ longi. Sepala stricte valvata, lanceolata, 2‴ longa ; cum petalis infra discum inserta. Petala albida, oblonga, membranea, acutiuscula, calycem paulo superantia, inferne fere valvata, superne imbricata. Stamina 40–50. Antheræ lineari-tetragonæ, circa ⅔‴ longæ, fere medio tenus dehiscentes. Stylus circiter ⅔‴ longus, subulatus. Discus applanatus, annularis, lenissime crenulatus, superficie stamina gerens. Fructus nondum missus.

Ab E. foveolato jam nervis magis patentibus et tenuioribus foliorum sicut eorum glabritie nec non indumento inflorescentiæ tenuiore facile divellendus.

Elæocarpi obovati varietatem foveolatam (Bth. Fl. Austr. i. 281) separavi sub nomine E. Arnhemici. Conf. Documents of the Intercol. Exhib. 24.

Elæocarpus foveolatus producit fructum ovato-ellipsoideum, circiter $\frac{2}{3}''$ longum, interdum e cinereo-fusco nigrescentem, pedicello semipollicari prædítum, opacum, leniter verruculoso-rugosulum. Hujus speciei varietas abrasa ostendit folia late ovata, crassius coriacea, repando-crenulata, apice in acumen breve obtusum protracta, subtus tomento brevi crispo ferrugineo cito abraso obtecta, pedicellos flori vix æquilongos. Petala ut in statu normali fere integerrima extusque sericea.

Elæocarpus holopetalus habitat ad Wingicarrebe (C. Moore); ad Sassafras-Place prope Berrima et juxta oppidum Mittagong (Woolls).

Elæocarpus obovatus a Thozet ad Rockhampton inventus.

Elæocarpus cyaneus nuper ex insula Kingii ditionis Tasmanicæ allatus est. Repertus quoque in Nova Anglia et in monte Lindsayi.

Elæocarpus grandis extendit ad Rockingham's Bay. Cortex læviusculus, cinereus. Lignum pallidum et durum.

Triumfetta procumbens habitat ad Rockingham's Bay.

Triumfetta plumigera me visa in plagis arenoso-rupestribus prope originem fluviorum Roper's River et Macarthur's River.

Grewia latifolia v. species valde affinis detegebatur a Leichhardt in Nova Anglia.

Grewia multiflora nunc cognita ab Edgecombe Bay.

Corchorus Walcottii occurrit ad Shark-Bay secundum Maitl. Brown.

Corchorus Cunninghami ad montem Lindsayi inveniendus secundum Carol. Moore.

Sloanea Australis folia habet interdum ad brevitatem 2–3″ reducta. Sepala passim vix 3‴ longa. Hanc speciem a fluviis Richmond's River et Tweed attulit C. Moore.

Sterculiaceæ.

Sterculia laurifolia.

Alte arborea, *foliis simplicibus ovatis integerrimis* glabris breviacuminatis, floribus ample paniculatis, *calycibus parvis profunde quinquepartitis* utrinque cum pedicellis velutinis, divisionibus anguste lanceolato-oblongis, columna staminum fere ovata velutinella.

Ad sinum Rockingham's Bay; Dallachy.

Arbor saltem usque 60′ alta, mucilaginosa. Folia pleraque inter 3 et 6″ longa, $1\frac{1}{2}$–2″ lata, petiolo gracili teretiusculo biunciali v. breviore prædita, plana, nervis subtus prominentibus dissite costata, venis subtilibus reticulata, subtus etiam punctulata et ad axillas nervorum barbellata, supra opaca. Flores in panicula valde nu-

merosi. Pedicelli calyci pæne æquilongi, prope medium articulati. Sepala expandentia, flavida, æstivatione valvata, circiter 3‴ longa. Antheræ 15 capitato-confertæ; loculi ovati, flavi, vix $\frac{1}{4}$‴ longi. Columna fere sesquilineam alta. Discus annularis, tomentellus. Flores fœminos et fructus nondum vidi; positio generis igitur confirmanda, vix tamen in Tarrietia quærenda.

Tarrietia Argyrodendron habet carpidia passim disperma. Cotyledones albumini adnatæ, orbiculatæ. Radicula perbrevis, inferior, inter cotyledones inclusa. Hæc Tarrietia ad fluvios Hasting's et Richmond's River passim foliola usque novem glabra et petiolos elongatos gignit. Ad hunc statum pertinet planta Beckleri a fluvio Hastings, Sterculiæ fœtidæ (Fl. Austral. i. 227) adscripta. Foliola juventute parce lepidota inveni, dum folia triphylla brevius petiolata ceteris admixta sunt. Fructus saltem juniores non differunt; flores autem magis velutini occurrunt. Tarrietia Argyrodendron statu normali sinum Rockingham's Bay et flumen Manning's River attinet. Altitudine passim 150′ superbit.

Sterculia quadrifida descendit in Novam Cambriam, ubi ad flumina Tweed et Richmond's River a cl. Moore et Carron collecta. Folia fere decidua sunt. De venustis hujus speciei fructibus agebam in Report on the Plants of the Burdekin-Expedition. Arbor interdum 60′. Cortex cinereus, lævis.

Brachychiton platanoides extendit ad sinum Nicholi. Conf. F. M. in Transact. Bot. Soc. Edinb. vii. 485. Folia decidua.

Brachychiton acerifolium reperit Dallachy ad Rockingham-Bay. Folia ibi minus divisa.

Heritiera litoralis producit carpidia 1–2-sperma, intus tomentosa ad sinum Rockingham's Bay et portum Mackay. Cortex rugosus, cinereus. Lignum albidum, durum, fissile. Pterospermum acerifolium e flora saltem Nova-Cambrica nunc excludo.

Helicteres Isora crescit ad fluvium McArthur's River (F. M.); in Arnhemia boreali (Mackinlay).

Waltheria Indica extendit ad circulum capricornu Australiæ orientalis.

Abroma fastuosa Jacquini, quæ fortasse ab A. augusta non separanda, mecum communicata est e regione montis Ellioti (Fitzallan) e vicinia fluvii Pioneer's River (Nernst) a sinu Rockingham-Bay (Dallachy). Septorum margo secedens dense villoso-barbatus. Planta 4–12′ alta. Corolla saturate rubra.

Melochia pyramidata prope Rockingham's Bay et in multis aliis locis Australiæ tropicalis nascitur.

Melochia corchorifolia me ipso reperta ad flumina Flinders- et Gilbert-River; a Bowman ad flumen Burdekin's River. Dallachy mecum communicavit e regione sinus Rockingham's Bay varietatem floribus copiose pilosis et caule seriato-pubescente. Corollam dicit albam.

Melhania incana extendit fluminibus Maranoa et Warrego tenus.

Guichenotia ledifolia nascitur orientem versus usque promontorium Point Malcolm.

Lasiopetalum parvuliflorum.

L. parviflorum var. occidentale, Benth. Flor. Austr. i. 262.

Foliis alternis perbreviter petiolatis lato- v. oblongo-linearibus *in basim parum obtusam sensim angustatis apice subito rotundatis* margine angustissime recurvis subtus squalide cano-velutinis, cymis paucifloris conspicue pedunculatis, pedicellis brevibus v. brevissimis, segmentis bracteolæ perbrevibus fere æqualibus latiuscule linearibus obtusis appressis, alabastris exangulatis, *calycibus parvis extus cinereo-velutinellis intus glabris*, laciniis anguste semilanceolatis, petalis minutis glabris, antheris sursum conspicue contractis filamento longioribus poro duplice apertis, stylo præter basim glabro, germine albido-velutino triloculari.

In Australia occidentali ; Drummond (267).

Species facili negotio a L. parvifloro separanda propter folia basi minus obtusata apice non sensim contracta, indumentum cinerascens non ferrugineum, cymas sæpe evidentius pedunculatas minus laxas, bracteolas breviores nec insigniter inæquales nec acutas nec patulas, alabastra non prominenter pentagona, divisiones calycis breviores et angustiores non in formam deltoideam vergentes, petala adhuc minora et fortasse fructus nondum pro comparatione exstantes. Præterea planta Rudgei cis partem orientalem terræ Gipps-Land et cis montes Blue Mountains non apparet. Species etiam pluribus notis L. indutum approximat.

Lasiopetalum parviflorum occurrit calyce intus parce stellari-tomentello.

Lasiopetalum Baueri invenit ad sinum St. Vincenti cl. Blandowsky calycibus glanduloso-tomentosis.

Lasiopetalum cordifolium nisi speciem valde affinem legi in montibus Stirling's Range foliis subtus fere argyrophanis conspicue nigro-punctatis.

Lasiopetalum dasyphyllum loco Brisbane's Waters attulit C. Moore. Idem ad flumen McAllister's River vidi.

Lasiopetalum Drummondi a sinu Champion-Bay misit Dr. Martin. Sua specimina Drummondianis plane conveniunt. Frutex 1–5′.

Lysiosepalum Barryanum accepi a Lucky Bay (Maxw.)

Keraudrenia lanceolata occurrit ad Rockingham's Bay, ubi fruticem 3–4′ format. Flores cœrulei. Planta Leichhardtii a Benthamio huic speciei adducta, ad K. Hillii pertinere videtur propter calycem fructum fere æquantem et folia non rugata.

Keraudrenia Hillii in Nova Anglia fruticem 8-pedalem format.

Keraudrenia Hookeriana extendit in plagam Darling's Downs sec. H. Lau.

Keraudrenia integrifolia ad montem Claræ collecta a cl. Harper.

Thomasia rhynchocarpa inhabitat virgulta trans montes Stirling's Range, ut ipse observavi.

Seringea platyphylla est Novæ Angliæ incola.

Thomasia macrocalyx extendit ad Cape Arid, Cape Le Grand et Russell-Range, ubi colles graniticos occupat. A Th. cognata præter alias notas differt germine glabro sæpe glutinoso et antheris atropurpureis.

Rulingia densiflora a Doctore Martin reperta est prope Roebuck-Bay.

Commersonia Leichhardtii occurrit ad rivum Cape's River secundum collectionem Bowmani. Folia angustius lanceolato-oblonga, tenuius velutina. Calycis lobi deltoidei, intus sericeo-pubescentes intusque cum petalis violacei. Petala glabra, calyce paulo breviora; lobi eorumdem laterales semioblongi, fere lineam metientes, laminam etiam oblongatam semiæquantes. Staminodia glabra, aurantiaca, semilanceolata, acutata, lineam longa, prope basim utrinque denticulo minuto acuto i. e. staminodio duplice laterali adnato prædita. Habitu planta Keraudreniam Hookeri approximat.

Commersonia echinata altitudinem 70′ attinet. Cortex albidus, lævis, rimulosus, primum viridis. Lignum durum, albidum. Folia interdum fere pedalia.

Hannafordia Shanesii.

Foliis oblongis basi cordatis repando-denticulatis v. fere integerrimis, pedunculis bi- v. paucifloris, *calyce magno* parum striato, laciniis semilanceolatis simpliciter acutis, *petalis anguste lanceolatis basin versus canaliculatis*, stylo longiusculo, gemmulis in loculo 6 v. paucioribus, capsula crustaceo-coriacea, seminibus ovato-globosis.

In partibus rupestribus montis Table-Mount prope Rockhampton; O'Shanesy.

Frutex circiter 2′, amplus. Ramuli velutino-tomentosi. Folia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ longa, 5–10‴ lata, petiolo 2–4‴ longo prædita, supra glabrescentia, subtus velutina. Pedunculi prope apicem ramulorum oppositifolii. Pedicelli circiter 2‴ longi. Bracteolæ 3 paulo invicem distantes, hypocalycinæ, unilaterales, circiter 1‴ longæ. Calyx campanulatus, pollicem longus, medio tenus quinquefidus, extus tenuiter stellari-tomentosus, intus glaber et obscure coccineus. Petala atro-purpurea, calycem semiæquantia, acuta, glabra. Stamina fertilia 5, petalis opposita. Staminodia inter stamina 3 subulata; medium 2‴ longum; lateralia filamento fertili altius adnata, 1‴ longa, omnia basi cum staminibus fertilibus breviter connata. Antheræ erectæ, extrorsæ, supra basim dorsifixæ, fere 1‴ longæ, oblongatæ; loculi paralleli, longitudinaliter dehiscentes. Stylus glaber, setaceus, 2‴ longus. Germen velutinum, 4–5-locu-

latum. Gemmulæ adscendentes, cavitatis partem inferiorem occupantes. Capsula globosa, 5–7‴ metiens, 4–5-loculata, extus stellato-tomentosa, loculicide 4–5-valvis, intus glabra. Semina 2–4 in loculo maturantia, lineam paulo excedentia. Integumentum exterius tenui-crustaceum, nigrescens ; medium tenui-cartilagineum, læve, pallide fuscum, nitidulum ; interius fulvidum, membraneum. Albumen album, amygdalinum. Embryo rectus, albus, longitudine albuminis. Cotyledones cordato-orbiculares, planæ, radicula infera cylindrica paulo longiores.

Planta orientalis characteres genericos essentiales speciei typicæ occidentalis ad amussim repetit.

Hannafortiæ locum assignabam juxta Commersoniam ; nuperius autem hoc genus locum inter Thomasiam et Guichenotiam accepit (conf. Benth. & J. Hook. Gen. i. 227). Staminodiorum numerus et petalorum forma sicut plurima alia signa sunt ea Buettnerieis nec Lasiopetaleis idonea.

Anonaceæ.

Melodorum Maccreai.

Xylopia Maccreai, F. M. coll.

Arboreum, ramulis villoso-tomentosis, *foliis brevissime petiolatis chartaceis* ovatis v. ovato-lanceolatis supra glabris subtus parce pilosis, pedunculis unifloris brevibus, calycis lobis deltoideis corolla multoties brevioribus, *petalis exterioribus anguste semilanceolatis*, interioribus tetragono-subulatis, antherarum connectivo semilanceolato acuminato, stylis perangustis apice barbatis, baccis pyriformibus pleiospermis, testa lævi.

Ad sinum Rockinghami ; Dallachy.

Arbor 40–50′. Ramuli tomento fuscescentes et villis canescentes. Folia $1\frac{1}{2}$–$4\frac{1}{2}$″ longa, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ lata, nunc obtusa nunc sensim in apicem acutata. Calycis lobi sub florescentia sesquilineam lati. Petala satis crassa, exteriora interioribus paulo longiora et conspicue latiora, semipollicaria, apicem versus planiuscula, extus fusco-velutina, intus cano-velutinella ut petala interiora, quæ basi excavata. Antheræ numerosæ, semilineam vix excedentes ; loculi tenuissimi. Styli perbreves, caduci. Baccæ circiter 10, stipite semipollicari v. breviore prædítæ, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ longæ, intus monente Dallachyo sanguineæ. Semina angulata, ovata, 4–5‴ longa, extus fusca, nitentia.

Arbori huic spectabili impono nomen Doctoris Guilielmi Maccrea, Medici coloniæ Victoriæ primarii, viri promotione scientiarum hac in terra præstantissimi.

In vicinia sinus Rockinghami et ad Caledon-Bay adsunt tres Anonaceæ ab omnibus descriptis diversæ, sed statu tantum fructifero notæ ; omnes forsan Uvariis adscribendæ.

Melodorum Leichhardtii usque ad sinum Rockinghami extendit.

Eupomatia Bennetti me nuper accepta a Rockingham's Bay. Dallachy fructum intus albidum dulcemque dicit.

Anonaceas igitur Australiæ nunc numeravimus 15.

Viniferæ.

Vitis penninervis.

(Sect. Monostigma.)

Glaberrima, ramulis teretiusculis, cirris nullis nisi parcis, *foliis digitate tri- usque quinque-foliolatis longe petiolatis, foliolis chartaceis obovatis crebre et pertenuiter penninerviis* in petiolulum conspicuum decurrentibus acuminatis integerrimis v. obscure repandulis, paniculis ample v. amplissime trichotomis longiuscule pedunculatis, pedicellis fere umbellatis flore paulo v. duplo longioribus, alabastris globoso-ovatis, floribus bisexualibus, petalis 4 gilvis liberis, staminibus corolla brevioribus, stylo brevi inferne incrassato, stigmate minuto, baccis obovatis biloculatis dispermis, *seminibus magnis plano-convexis* haud protractis.

Ad sinum Rockingham's Bay ; Dallachy.

Frutex alte scandens v. ample rupes surrepens. Petioli 1–2½″ longi. Foliola 2–3″ longa, in acumen obtusum v. acutiusculum exeuntia, iis foliorum quarumdam Eugeniarum non dissimilia, nervis veniformibus rectis patentissimis prædita, tenuissime anastomosanti-venulosa, subtus pallidius virentia. Pedunculi biunciales v. breviores. Calyx truncatus v. breviter et obtusissime 4-lobus. Petala $\frac{3}{4}'''$ longa, haud cornuta. Antheræ minutæ, late ovatæ, expansione cordatæ. Discus annularis. Germen biloculatum. Stylus circiter $\frac{1}{3}'''$ longus. Stigma stylo vix latius. Baccæ ½–⅔″ longæ. Semina dimidiato-ovata, 4–6‴ longa, utraque extremitate obtusa, rugulosa, fusca, nitidula. Endopleura profunde plicas albuminis intrans.

Folia crassiora v. saltem firmiora quam ea Vitis opacæ ; venatio etiam omnino alia ; præterea species numero petalorum, forma baccarum aliisque notis recedens.

Approximat etiam ad Vitem Roxburghii.

Ampelidearum nomen ambiguum, quia zoologis adhibitum.

Vitis trifolia in pratis fertilibus Carpentariæ satis frequens est. Tubera observante Sharkey iis Dioscorearum forma similia et edulia.

Vitis acetosa nuperius reperta ad Escape-Cliff (Hulls) et ad Cape York (Dæmel). Leichhardt plantam ad Port Essington notavit.

Vitis clematidea nascitur ad flumen Burnett's River. In Nova Anglia frigoris impatiens, sed iterum a tuberibus pullulascit.

Vitis hypoglauca extendit ad Rockingham's Bay.

Vitis opaca a Glendon usque ad Rockingham's Bay vergit. Occurrit etiam varietas pubescens. Petala flava. Bacca nigra,

gustui jucunda, semipollicaris, ovata v. sphæroidea. Tubera e Thozet insipida, sed edulia, cujuscunque plantæ 8–10, pondere librarum 2–3, a nativis avide quæruntur.

Vitis Baudiniana sinum Rockinghami attinet. Variat foliis oblongo-ovatis, fere integerrimis, sicut foliis cordato-orbicularibus.

Vitis oblonga nunc cognita a Rockhampton (O'Shanesy); Neercool-Creek (Bowman); Mount Elliot (Thozet).

Vitis cardiophylla progreditur ad Rockingham's Bay; (Dallachy). Ramuli acute tetragoni. Petala flava. Bacca nigra.

Vitis adnata prope Adam's Bay a Hulls collecta nonnunquam foliis gaudet fere pedalibus.

Vitis nitens extendit ad flumen Herbert's River. Altissime scandit. Baccæ nigrescunt.

Vitis saponaria ad Rockingham's Bay reperienda.

Vitis acris tubera producit acria, venosa, confirmante O'Shanesy.

Leea sambucina crescit ad Port Denison (Fitzalan), Port Mackay (F. I. Byerley) nec non ad flumen Batavia-River. Arbor minor. Flores pallide virides. Fructus e purpureo-nigrescentes, rubrotingentes. Speciem similem nisi varietatem floribus rubris ad Escape Cliff reperit Hulls.

Sapoteæ.

Chrysophyllum myrsinodendron.

(Sect. Cainito.)

Ramulis subtilissime fulvo-sericeis glabrescentibus, *foliis* ovato-lanceolatis in petiolum sensim angustatis supra glabris *paucinerviis subtus tenuissime fulvido-sericeis*, umbellis axillaribus mox lateralibus petiolo brevioribus, *calycis segmentis pedicello duplo brevioribus quocum subtilissime sericeis corollam minutam fere æquantibus*, staminibus corolla glabra evidenter brevioribus, filamentis antheræ cordatæ æquilongis, stylo brevissimo, germine flavide sericeo.

Ad flumen Herbert's River; Dallachy.

Arbor, quantum nota, 40-pedalis. Folia tenui-coriacea, pæne chartacea, 3–6″ longa, 1–2″ lata, remote penninervia, prominule reticulari-venosa, petiolo pollicari v. breviore prædita. Umbellæ pauci- v. plurifloræ, sessiles. Calycis lobi ovato-orbiculares, $\frac{2}{3}$‴ longi, ciliolati, æstivatione imbricati. Corolla 5-partita, 1″ alta; lobi semiovati, obtusi, ante anthesin imbricati. Stamina 5, lobis corollæ opposita. Antheræ vix $\frac{1}{4}$‴ longæ, lateraliter dehiscentes. Stigma perminutum, 5-crenulatum. Bacca ignota.

Mimusops parvifolia in silvis arborem altam, in rupibus orariis tantum fruticem constituit. Cortex cinereus. Lignum albidum, durum.

Achrados aut alicujus finitimi generis tres accepi species ad sinum Rockinghami statu tantum fructigero collectas, omnes scilicet albumine copioso gaudentes. In alabastris valde juvenilibus

unius harum specierum stamina 10 alternatim sterilia distincte vidi. Folia hujus crassa, in petiolum conspicuum decurrentia, prominenter reticulato-venosa, subtus tomento parco ferrugineo fere sericea. Bacca rubra, ellipsoidea, brevissime pedicellata v. fere sphæroidea, 1–1½″ longa, apice sæpe umbonata, calyce stipata, 1–5 sperma. Pericarpium dulce, edule. Semina 6–10‴ longa, oblique ellipsoidea, splendenti-fusca, interdum apice emarginata. Testa crassiuscule ossea. Cotyledones planæ, ovatæ, albæ, radicula tenui-cylindrica ter longiores. Flores fasciculato-conferti. Germen quinque-loculare, sericeum. Arbor saltem usque 50′ alta. Cortex lævis, cinerascens. Altera incerta species ostendit folia fere chartacea, glabra, acuminata, gracili-petiolata, pedicellos calyce fructigero longiores, baccam nigram ovato-globosam vix uncialem stylo rostellatam, pericarpium fere siccum, semina 5 v. pauciore, pæne dimidiato-ovata. Hæc species arborem 20–30′ altam format.

Tertia species dubia exhibet folia chartacea, basi tenuiter acutata et hinc cum petiolo confluentia, pedicellos denique 2–3‴ longos, fructus nigros fere globosos exsuccatos circiter ⅔″ altos, semina 5 v. pauciora oblique ellipsoidea iis Achradis Pohlmani conspicue minora. Hæc arbor tantum 20′ alta. Cortex lævis. Lignum pallidum, durum. Sapotearum nunc 16 species cognitæ et plures verisimiliter in silvis primævis tropicis ad litus orientale et septentrionale detegendæ.

Aristolochieæ.

Aristolochia deltantha.

Altior, scandens, ramis teretiusculis exsulcis primum pubescenti-tomentosis demum glabris, *foliis* chartaceis v. tenui-coriaceis *ovato-lanceolatis acuminatis basi profunde bilobis prominenter reticulari-venosis* integerrimis v. repandulis supra glabratis subtus breviter et parciuscule pubescentibus, sinu baseos angusto v. clauso, *calycis* parvi pubescentis basi ovato-globosa, tubo adscendente, *limbo deltoideo*, antheris 6 contigue appositis, loculis anguste ellipsoideis, stigmatibus 6.

Ad sinum litoralem Rockingham's Bay; Dallachy.

Petioli ⅓–⅔″ longi. Folia 3–5″ longa, 1–1½″ lata, apice sensim in acumen acutum producta, utrinque nitidula, subtus vix pallidius virentia, sed prominentius nervosa et venosa; lobi basales fere oblique semiovati. Flos unicus seorsim missus saturate et striate coloratus, vix unciam longus; basis turgens 2–3‴ metiens; limbus mensuram 4‴ tendens, parum extra centrum peltatus, integerrimus; orificium clausum; fimbriæ nullæ. Antheræ forsan juveniles flavæ, ½‴ longæ, in annulum connexæ. Stigmata seu stigmatis divisiones semilanceolato-subulata, semilineam vix excedentia. Fructus ignotus. A. prævenosa jam differt foliis nec apice profunde sinuatis nec apice longius acuminatis.

Aristolochiæ Indicæ formam magnam accepi e vicinia fluminis Mackay's River. Folia ad semipedem longa, ad $2\frac{1}{2}''$ lata. Semina margine incluso $3'''$ metientia. Flores e statione indicata nondum habeo. Aristochia pubera, si genuinam plantam in A. Thozetii recognosco, speciem constituit multiformem et verisimiliter A. strictifloram et A. Baueri includit. Planta ad flumina Fitzroy's, Burdekin's, Elliott's et Suttor's River occurrit sicut ad sinum Rockingham's Bay. Species procumbit vel scandit. Folia interdum ad semipedem longa et tunc angusta.

Aristolochia prævenosa quoad foliorum formam ad A. saccatam aliquantulum accedit.

Liliaceæ.

Sowerbæa juncea.

Smith in Transact. Linn. Soc. iv. 218 et v. 159, t. 6.

Foliis rigidulis scapo æquilongis v. brevioribus, petiolis in ligulam stipularem liberam v. secedentem productis, pedicellis calyce paulo longioribus v. varie abbreviatis, sepalis obtusiusculis, *antheris dimidio calyce brevioribus*, staminodiis conspicuis, capsulis calyce fere ter brevioribus, seminibus asperulis.

In campis aridis sparsa a fluminibus La Trobe's et Lachlan's River usque ad sinum Moreton's Bay.

Sowerbæa alliacea.

Foliis rigidulis scapo æquilongis v. brevioribus, petiolis apice adnato-membraneis, pedicellis calyce paulo longioribus v. varie abbreviatis, sepalis obtusiusculis, *antheris calycem semiæquantibus* breviusculis, staminodiis obliteratis, capsulis calyce paulo brevioribus vel eundem semiæquantibus, seminibus dense punctulatis.

Ad flumen Liverpool's River terræ Arnhemicæ ; B. Gulliver.

Præcedenti et sequenti facie admodum similis.

Sowerbæa laxiflora.

Lindl. Bot. Reg. xxvii. tab. 10.

Foliis laxiusculis scapo superatis, petiolis apice adnato-membraneis, pedicellis aliis v. omnibus calyce conspicue longioribus, sepalis acutiusculis, *antheris dimidio calyce longioribus* longiusculis, staminodiis conspicuis, capsula calycem semiæquante, seminibus læviusculis.

A sinu regis Georgii usque ad flumen Murchisonii.

Variat caule inferne ramoso.

Allania Endlicheri viget ad montem Tomah. Antheræ ovato-cordatæ, vix $\frac{1}{3}'''$ longæ, flavidæ, muticæ, biloculares, basifixæ, deciduæ ; loculi rima marginali dehiscentes.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLVII.

Euphorbiaceæ.

Beyeria tristigma.

(Sect. Oxygyne.)

Monoica, foliis ovali- v. oblongo-lanceolatis supra glabratis subtus albido-velutinis margine recurvis, floribus masculis racemosis, fœmineis solitariis, utriusque sexus petaligeris, calyce parvo, antheris minutis, loculis ellipsoideis, *stigmatibus tribus subulatis*.

In insula Hinchinbrook-Island prope Rockingham's Bay. Dallachy.

Frutex humilis, viscidulus. Ramuli primum angulati, demum teretes, resinoso-tomentelli. Folia sparsa nisi conferta, coriacea, breviter petiolata, 1–2″ longa, 3–6‴ lata, nervo mediano subtus fulvo-lineata, supra impressa, tenuissime venosa, venis subtus tomento etsi tenui occultis. Racemi masculi addito pedunculo sat conspicuo 1½–2″ longi, pluriflori ni passim pauciflori. Pedicelli graciles, sæpe semipollicares. Flores fœminei non raro prope basim racemi masculi emergentes. Horum pedicellus angulatus, sursum incrassatus, mox circiter pollicem longus. Calycum utriusque sexus lobi sub anthesi fere semioblongi, ⅓–½‴ metientes, sed sub fructu in formam magis subulatam et ad lineæ longitudinem extendentes. Petala 5 membranea, circiter 2‴ longa, sessilia, basi intus barbata, in flore masculo semielliptico-ovata, in flore fœmino deltoideo- v. ovato-orbicularia, fructui juvenili altius adhærentia. Stamina numerosa, in acervulum semiglobosum conferta, receptaculum depressum barbatum obtegentia. Filamenta brevissima, glabra, pro longitudine crassiuscula. Antheræ flavæ, mox fere horizontales; loculi paralleli, longitrorsum dehiscentes. Stylus scilicet florum fœminorum brevissimus, vix ullus. Stigmata lineari-subulata, 1‴ longa, recurvo-patentissima, haud fimbriolata. Germinis loculi unigemmulati. Capsula ambitu ovato-globosa, trilocularis, inter loculos impressa, extus pilis brevissimis adspersa,

6-valvis, circiter 4‴ longa. Columella tenuiter trigono-clavata. Endocarpum adnatum. Funiculus brevissimus, dentiformis. Semen ex apice loculi pendens, ellipsoideo-ovatum, $2\frac{1}{2}$‴ longum. Testa lævis, nitens, spadicea, tenui-crustacea. Endopleura pallida, membranea. Caruncula livida, renato-semiglobosa, 1‴ lata. Raphe ventrali-lateralis. Albumen amygdalinum. Embryo tenuissime teres, albumini fere æquilongus, axilis, rectus, $\frac{1}{6}$–$\frac{1}{8}$‴ crassus. Cotyledones plano-convexæ, apice attenuatæ. Radicula hilo proxima, supera, parum acuta, cotyledonibus vix brevior.

Beyeria lasiocarpa prope Twofold Bay altitudinem 20′ attinet.

Beyeria opaca ad flumina Darling's River et Murrumbidgee extendit. B. Leschenaultii, Baill. Adansonia vi. 307, huic simillima.

Ricinocarpus pinifolius extra tractum inter Moreton-Bay et Port Phillip jacentem non occurrit. Frutex variæ altitudinis v. arbuscula ad 15′ alta. Divisiones calycis et petala interdum 4 et 6, rarius 7. Flores fragrant. Stigmata interdum 2.

Ricinocarpus glaucus, qui antecedenti in Australia occidentali succedaneus, altitudinem 12′ obtinet.

Euphorbia Mitchelliana extendit a fluvio Darlingi usque ad sinum Nichol-Bay, et in regiones tam orientales quam occidentales tropicas.

Euphorbia Chamæsyce a Doctore Storey reperta est in Tasmania prope portum cygnorum. Amperea subnuda (Nees in Lehm. Plant. Preiss. ii. 229) est varietas brachystigma Cyclothecæ Australasicæ, nisi species nova nomine indicato signanda.

Codiæum chrysosticton (Spreng. Syst. Veg. iii. 866) nascitur ad montem Ellioti et sinum Rockinghami.

Codiæum lucidum (J. Muell. in Cand. Prodr. xv. sect. ii. 1116; Baloghia lucida, Endl. Prodr. Flor. Norf. 84) ad sinum Rockingham's Bay attinet altitudinem 80′. Foliatio fere Eugeniæ. Glandulæ ante basim foliorum marginales, magis minusve elongatæ. Flores fragrant. Lacte in colorem intense rubrum vergente scatet.

Hemicyclia sepiaria in Australia orientali tropica et subtropica sat frequens est. Altitudine 40′ excellit. Cortex pallidus, lævis.

Aleurites triloba in silvis humidis prope Rockingham's Bay altitudine 80′ apparet. Cortex albidus, lævis.

Petalostigma quadriloculare interdum vidimus altitudine 40′. Austrum versus extendit ad flumina Darling's et Clarence's River. Quadam hujus arboris forma Sersalisiam cotinifolium simulat. Variat foliis lanceolatis, ad 3″ longis. Cortex sulcatus, rugosus, nigrescens. Sagax et amicissimus Professor Baillon hoc genus in viciniam Cyclostemonis trahit.

Bridelia tomentosa nondum extra Arnhemiam inventa est, nisi forsan in insula Wood-Island. Planta orientalis aut ad B. Leichhardtii aut ad B. fagineam pertinet.

Cleistanthi speciem foliis subtus pallidioribus opacis jam a Cl. Dallachyi diversam accepi e vicinia sinus Rockingham's Bay. De

Adrianis valde variabilibus jam ex parte Navarcho Dampier cognitis egi in Transact. Bot. Soc. Edinb. vii. 482.

Macaranga tanaria passim altitudinem 80′ ostendit. Varietas glabra nuper prope flumen Liverpool-River collecta est; varietas tomentosa prope flumen Herbert's River.

Macaranga involucrata (Baill. Etud. Gén. des Euph. 432; J. Muell. in Cand. Prodr. xv. sect. ii. 1012) observante doctissimo Baillon includit Macarangam mallotoidem (conf. Baill. Adansonia vi. 317) et forsan e notis illustris observatoris Brueam (Gaudichaud. Bot. Voy. Freyc. 511; Endl. Gen. p. 282). In vicinia sinus Rockingham's Bay arborem altam format.

Carumbium Sieberi (J. Muell. in Linnæa xxxii. 85) capsulam interdum trigonam producit.

Tragia Novæ Hollandiæ usque ad sinum Rockingham's Bay progreditur. Planta valde urens.

Andrachne fruticosa (Decaisne in Nouv. Ann. du Mus. iii. 484 non L.) usque ad Nichol-Bay extendit.

Phyllanthus Gunnii occurrit 12′ altus in terra Gipps-Land.

Phyllanthus Ferdinandi a portu Jacksoni (Woolls) saltem usque ad flumen Herbert's River extendit. Altitudinem 40′ attinet.

Mallotus Philippinensis (J. Muell. in Linnæa 1865, 196; Rottlera tinctoria, Roxb. Coromand. ii. 36, t. 168; Echinus Philippinensis, Baill. in Adansonia vi. 314) prope Rockingham's Bay altitudine 80′ superbit. Cortex pallidus, parum rimulosus. Echini nomen, a zoologis diu adhibitum, nunc in phytographiam introduci nequit.

Poranthera corymbosa in Novam Angliam vergit.

Claoxylon tenerifolium (F. M. apud Baill. Adans. vi. 323; Mercurialis tenerifolia, Baill. l. c.) ad Cleveland-Bay viget.

Antidesma Ghæsembilla (Gærtn. de Fruct. et Sem. i. 189, t. 39) nuperius accepi ad flumen Roperi collectum.

Antidesma parvifolium (Thw. & Muell. in Fragm. Phytogr. Austr. iv. 86) producit folia interdum fere rotunda. Flores masculi in spicas secus rachim parum puberulas sesquiunciales v. breviores divisas v. frequentius simplices interruptas collecti, 4–5-andri. Bracteolæ ovato- v. semilanceolato-cymbeæ, linea breviores. Calyces fere glabri, vix 1‴ lati et vix semilineam alti, 4–5-lobi; lobi semiorbiculati, sæpe acuminulati. Filamenta capillaria, glabra, denique $\frac{2}{3}$‴ longa. Antherarum loculi fere globosi, connectivo obtuso pæne formam cordato-renatam præbentes. Germen rudimentorium depressum, pilosulum.

Antidesma Dallachyi (Baill. Adans. vi. 337) ostendit petiolos $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{2}$″ longos. Spicæ masculæ nonnunquam 4″ metientes. Drupæ fere 3‴ longæ, rubræ, ovato-rotundæ, lenticulari-compressæ, stylo crasso oblique rostratæ. Pedicelli fructiferi saltem 1‴ longi. Arbor usque 30′ alta. Cortex lævis.

Antidesmatis species, me judicante, in prodromo Candolleano nimis multiplicatæ. Antecedenti similis est quædam species mihi

e vicinia urbis Cardwelli tantum statu fructigero missa et facile distinguenda propter folia magis lanceolata brevissime petiolata basi distincte acutata, propter pedicellos fructuum sæpe breviores, propter drupas minores oblique ovatas erostres. Hæc species quoad folia Antidesmati Zeilanico, A. diandro et A. Japonico non dissimilis. Quinta species Australiana me visa magnam similitudinem ad A. Bunium habet, saltem respectu foliorum et fructuum; flores tamen hujus in nostro museo nondum exstant. Veniebat etiam a Rockingham's Bay e manu Dallachyi.

Mallotus Chinensis (Loureiro Flor. Cochinchin. ed. Willd. ii. 780; M. paniculatus, J. Muell. in Linnæa xxxiv. 188) ad ripas amnium prope Rockingham's Bay viget, ubi altitudinem 20′ attinet. Mallotus Apelta, quæ eadem ac Rottlera Chinensis Adr. de Juss. Tentam. Euph. 33 nondum in Australia reperiebatur.

Mallotus Dallachyi (Baillon Adans. vi. 314 sub Echino) foliis gaudet subtus stellulas perminutas fere chrysophanas copiosissime gerentibus; quæ etiam stellulæ seu squamulæ in innovationibus densissime in ramulis postea parcius occurrunt. Glandulæ ad imam basim superficiei foliorum majusculæ, immersæ.

Mallotus chlaoxyloides (J. Muell. in Linnæa xxxiv. 192) extendit saltem usque ad sinum Rockingham's Bay. Arbor 40′ lactiflua, jam statu fructicoso florigera. Caruncula seminum ut in congeneribus nulla. Capsula interdum tetracocca, rarissime pentacocca.

Mallotus pycnostachys (F. M. Fragm. iv. 138; M. ricinoides, J. M. in Linnæa 1865, p. 187, et in Cand. Pr. xv. sect. ii. 963) ad Mount Elliot et Rockingham's Bay crescit. Folia modo distincte modo vix peltata.

Mallotus nesophilus (J. M. in Linn. 1865, p. 196) ad Caledonet Melville-Bay altitudinem 12′ attinet. Occurrit quoque in insula Mariæ.

Mallotus polyadenos.

Arboreus, *monoicus*, foliis oppositis sparsisve chartaceis v. tenuicoriaceis modice v. breviter petiolatis ovatis v. lanceolato-ovatis brevi- et obtuso-acuminatis e basi obtusa minutim emarginata petiolatis distanter penninerviis margine integerrimis subtus glandulas stellulares minutas copiosissimas gerentibus et in axillis nervorum barbatis cetero glabris supra glandulas sæpe 4 impressas a basi remotas ostendentibus, racemis utriusque sexus spiciformibus, calycibus 4–5-partitis, staminibus 30–40, stigmatibus fere sessilibus, *capsulis exarmatis* dense glanduloso-punctatis, seminibus sphæroideis lævissimis.

In vicinia sinus marini Rockingham's Bay. Dallachy.

Arbor parva, quantum nota. Ramuli glandulis minutis succineis v. fere chrysophanis dense conspersi. Petioli $\frac{1}{4}$–1″ longi; alter cujusvis paris sæpe conspicue brevior. Folia longitudine 2–5″,

latitudine 1–2″ variantia, supra sæpe vitreo-nitentia ; nervi ante marginem arcuato-anastomosantes ; venæ tenues, reticulares. Racemi pluri- v. pauci-pollicares v. breviores, passim paniculati. Raches præter glandulas paulo tomentellæ. Pedicelli floriferi 1–2‴ longi, fructiferi interdum non elongati, interdum semipollicares. Sepala flavida, extus punctato-glandulosa, lineam paulo excedentia. Filamenta longiora vix lineam metientia. Antheræ sulphureæ ; connectivum haud eminens. Pollinis sicci granula angulato-globosa, lævia. Stigmata 3, papilloso-fimbriolata, lineam longa. Capsula trigastra, 3‴ alta. Columella persistens, apice dilatato patentim triloba. Semina nitentia, squalide fusca, sesquilineam metientia. Caruncula scilicet nulla.

Præter alias notas jam glandulis etsi numerosissimis non strato fere continuo paginam foliorum inferam obtegentibus, glandulis basalibus superficiei a petiolo distantibus, racemis neque dioicis nec abbreviatis, nervis foliorum paucioribus et stigmatibus fimbriatis hæc species primo adspectu a Malloto Dallachyi distinguenda est. Flores masculi et fœmini nonnunquam in eodem racemo mixti. Mallotus muricatus distinguitur foliis longiuscule acuminatis repandis basi acutiusculis, costis marginem attinentibus non adscendentibus, bracteolis latis, fructibus muricato-echinatis. M. Furetianus recedit foliis basi rotundatis et evidentius emarginatis, glandulis in pagina folii infera non copiosis, capsulis iterum muricatis aliisque notis.

Mallotus repandus (J. Muell. in Linnæa xxxiv. 197) a sinu Rockingham's Bay usque ad flumen Clarence-River viget. Arbor alta. Flores masculi in racemo non raro fasciculati. Planta Australiana convenit speciminibus Ceylonicis Thwaitesii, Assamicis Jenkinsii, Neo-Caledonicis Pancheri. Huc etiam spectat illa planta a fluviis Clarence's River et Proserpina Creek, de qua obiter loquebar in Fragm. Phyt. Austr. iv. 140, et quam præclarus Baillon cum Maranga involucrata nuper junxit (conf. Adans. vi. 317). Macaranga asterolasia autem nil est nisi M. involucratæ forma admodum luxurians.

Croton triacros.

Innovationibus stellari-pilosulis, *foliis* chartaceis ovatis breviter et obtuse acuminatis integerrimis vel repandulis *mox glaberrimis subtus ad basim glandulas oblongas majusculas sessiles marginatas gerentibus* pertenui-penninerviis, racemis spiciformibus mox elongatis, calycibus fundo lanuginosis, petalis florum masculorum oblongo-lanceolatis barbato-ciliatis, staminibus decem vel pauciioribus, *stigmatibus simpliciter et profunde bifidis*, germinibus stellari-sericeis, *capsulis vertice trilobis* parce stellari-pilosis, seminibus trigono-ovatis minutim carunculatis.

Ad sinum orarium Rockingham's Bay. Dallachy.

Plantam a C. Verreauxii diversam habeo ob folia basi magis rotundata nunquam dentata validius petiolata, ob glandularum magnitudinem formam et situm et capsulas ita vertice impressas, ut apex trilobus reddatur. Nihilominus formas inter has plantas mediantes fortasse non frustra quæres. Flores fœminei sæpe copiosi apparent.

Croton Verreauxii nulla parte aciditatem exhibet.

Croton Arnhemicus locis faventibus arborem conspicuam constituit.

Croton acronychioides extendit usque ad Rockingham's Bay.

Pittosporeæ.

Pittosporum venulosum.

Arboreum, *foliis* lanceolatis v. ovato-lanceolatis acuminatis verticillato-confertis *coriaceis in petiolum conspicuum longe angustatis* fere integerrimis crebre reticulato-venosis primum cum ramulis tenuiter ferrugineo-tomentosis mox glabratis, panicula corymbiformi terminali solitaria, *capsulis globoso-pyriformibus* bivalvatis rarius trivalvatis fere semper leniter compressis majusculis pleiospermis haud eximie rugatis, *valvis ligneo-coriaceis*, seminibus granatinis.

In silvis montanis ad Rockingham's Bay. J. Dallachy.

Arbor saltem 30′. Ramuli ultimi verticillares. Folia 2–4″ longa, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ lata, vix repandula, supra nitore superfusa, subtus opaca et pallidius virentia, nervis venisque saturate coloratis hinc valde visibilibus reticulata, margine angustissime incrassata sed nunquam eminenter revoluta. Flores nondum collectore transmissi. Stylus denique vix $\frac{3}{4}$‴ longus. Stigma minutum. Fructus 8–10‴ longi. Valvæ intus cum funiculis luteæ et splendentes. Semina 1–$1\frac{1}{3}$‴ longa, oleoso-viscida.

Species hinc P. ovatifolium illinc P. revolutum attingit ; ab illo foliis crassioribus sicut fructibus majoribus et validioribus neque non valvis longioribus quam latioribus discedit ; a P. revoluto inflorescentia divitiore, foliis magis venosis, fructibus paulo longius et gracilius pedicellatis læviusculis frequenter bivalvibus, ab ambabus speciebus foliis conspicius in basim contractis et fortasse floribus divergit. Congeneribus pluribus Indicis adhuc comparandum.

Cucurbitaceæ.

Cucurbita vacua.

Articulato-pilosa, foliis cordatis quinque- v. trilobatis, lobis acutis argute denticulatis passimque lobulatis, cirris dicladis, calycum laciniis semilanceolato-linearibus, corolla sat parva extus parce pilosa, *fructibus* satis parvis globosis glabrescentibus *medulla*

floccosa consiccante mox vacuis, pericarpio crasse crustaceo sicco, seminibus margine tumidis.

Ad sinum marinum Rockingham's Bay; Dallachy.

Planta scandens v. repens. Caules angulosi. Pili septati in ramulis junioribus sicut petiolis pedunculis calycibusque densiores, in foliis parciores. Folia 2–5″ longa et lata. Petioli fere eadem longitudine, apice non glandulosi. Pedunculi solitarii, uniflori, 1–5″ longi. Cirri pluripollicares, longe biramei, parcius pilosi. Calycis lobi circiter 4‴ longi, interdum utrinque inferne lobulo aucti. Corolla lutea, inferne tubulosa, pollicem paulo excedens. Stamina 3. Filamenta glabra, inferne connata. Antheræ liberæ v. saltem secedentes; loculi sigmoideo-anfractuosi; connectivum satis dilatatum. Staminodia 3 in flore fœmino orbiculari-ovata, plana, $1\frac{1}{2}$‴ longa, glabra. Stylus cylindricus, glaber, $1\frac{1}{2}$‴ longus. Stigmata 3 biloba, haud furcata. Fructus magnitudine Aurantiorum, e viridi lutescentes, primum pilis septatis conspersi simulque pruinosi, demum omnino læves. Medulla albida, parca, paulo amara, mox exsiccans, placentas versus exsiccatione contracta et seminum copiam hinc obtegens, quo fit, ut fructus magna ex parte cavus reddatur. Semina livida, ovata, basi attenuata, circum marginem tumescentia et sulco exarata, faciebus lævia, longitudine circiter 4″ tenentia.

Planta ambigua foliis floribusque non longe distat a Lagenaria vulgari, ad cujus genus fortasse aptius referenda.

Momordica Balsamina a clar. Carter prope Warregam, a cl. Hurry in Nova Anglia, a cl. Fitzalan ad Port Denison reperta est. Alia Momordica floribus albis donata crescit ad Caledon-Bay; adspectu simulat M. dioicam, indumento tamen calycis aliisque notis recedit.

Trichosanthes palmata ad flumen Burnett-River fructus 3–6″ longos et 2–3″ latos producit.

Mukia scabrella mihi nota est ex Australia centrali et e vicinia sinus Moreton-Bay.

Cucumis jucundus descendit in latitudines australes usque ad montem Murchisonii. Ab hac specie facillime separatur C. picrocarpus, etiamsi ambi non raro commixte crescunt. Illius fructus minores et sapore juncundo semper reperiuntur, dum fructus C. picrocarpi amaritudine (ut nomen indicat) impleti sunt. Ultimus autem fructu excepto cum C. trigono satis convenit, quocum forsan confluit. Proportio longitudinis seminum et funiculorum ad diametrum fructus magni mihi videtur momenti.

Sicyos angulatus occurrit in collectione Milligani ab insula Sister-Island, et inter specimina Leichhardtiana a fluvio Burnett-River.

Quandam plantam cucurbitaceam inter Australianas nondum enumeratam cognosco statu pro indagatione nimis manco e regionibus circum Rockingham's Bay jacentibus, alteram a fluvio

Fitzroy's River, dum quatuor plantæ hujus ordinis ad Shark-Bay provenire dicuntur.

Melothria Cunninghami ad promontorium Cape York et sinum Rockingham's Bay invenitur.

Melothria Baueriana (Zehneria Baueriana, Endl. Prodr. Fl. Ins. Norfolk. 69; Iconogr. 116 et 117) optime plantis Australiæ adnumeranda est, simul cum aliis illius insulæ. Conditio enim suæ vegetationis magis ad eam Australiæ quam ad eas Novæ Zealandiæ et Novæ Caledoniæ approximat. Pertinet etiam insula nunc ad territorium politicum Novæ Cambriæ. Zehneria autem a Melothria ægre separanda, nisi forsan antheris in altero genere omnibus biloculatis, in altero anthera unica trium dimidiata.

Alsomitra Hookeri (Alsomitræ species Australiana, Benth. et Hook. Gen. Plant. i. 840; Melothria trifoliolata, F. M. Fragm. v. 181) fructum producit cylindrico-ellipsoideum, truncatum, 1–1½″ longum, vix semipollicem latum, sparse pilosulum, siccum, cavum, fuscescentem, pedicello paucilineari præditum. Pericarpium fere chartaceum, intus læve et glabrum. Semina nigro-fusca, pæne lineas tres longa, obovato-cuneata, basi acuta, faciebus plana aream leniter prominentem præbentia, margine supra medium sinulato-tuberculata, vertice in alam tenerem membraneam pallidam oblique terminalem semiellipticam fere 3‴ longam producta. Collector fructum a monte Muelleri seorsim misit; vix dubie ad plantam florentem me promulgatam pertinet. Omnes Alsomitræ forsan melius Zanoniis iterum jungendæ.

Saxifrageæ.

Callicoma Sturtzeri staminibus 9–10 gaudet.

Weinmannia rubifolia ad flumen Bellingeri altitudinem 40′ assumit.

Weinmannia paniculosa altitudine 150′ superbit ad Camden-Haven, McLeay-River, Bellinger-River, monente Carolo Moore. Folia interdum subtus tomentella, ramuli insigniter tomentosi et foliola raro casu 9 evolvuntur. Eadem v. species persimilis e vicinia sinus Rockingham's Bay allata est.

Weinmannia Benthami (F. M. Docum. Intercol. Exhib. p. 31; Geissois Benthami, F. M. Fr. Ph. Austr. v. 16) altitudine 150′ grandescit ad Camden-Haven, Manning- et Bellinger-River, observante Carolo Moore.

Gillbeea adenopetala passim magnitudine 60′ occurrit. Flores ex annotatione Dallachyi albi. Planta jam statu fruticante floret.

Argophyllum Lejourdani ad Rockingham-Bay nuper detectum est.

Anopterus MacLeayi (F. M. in Transact. Pharmac. Soc. Vict. 1859, 43) in montibus austro-orientalibus terræ Gipps-Land cum aliis plantis Neo-Cambricis fortasse inveniendus est. Ad Mount Warning altitudinem 50′ habet fide C. Moore.

Cuttsia viburnea ripas fluviorum Bellinger-, McLeay- et Clarence-River inhabitat.

Abrophyllum ornans nunc notum est a loco Foxground prope portum Jacksonii (Woolls), a fluvio Tweed (C. Moore), a fluvio Hastings's River et a sinu Rockingham's Bay. Amaritate insigne.

Cephalotus follicularis ab origine fluminis Kalgan ad promontorium Cape Riche extendit.

Eremosyne pectinata statu minutulo vix pollicari jam florescit, e. g. in rupibus graniticis muscosis ad basim occidentalem montis Melville.

Donatia Novæ Zeelandiæ in monte Sorrell crescit, inveniente Doctore Josepho Milligan.

Polyosma Cunninghami (R. Br. in Benn. Pl. Jav. rar. 196) apud Lansdown-River et Camden-Haven magnitudine 80′ grandescit, ut cl. Moore asserit.

Quintinia Sieberi ad locum Foxground prope Port Jackson a docto amico Woolls reperiebatur.

Quintinia Verdonii ad flumen Bellinger's River nascitur. Flores ochroleuci. Arbor mediocris, ramis patentibus.

Eucryphia Billardierii in vertice alpino montis La Pérouse frigore ad fruticulum bipedalem reducitur, abunde vero floret.

Eucryphia Moorei ad Berrima et Mittagong inveniebatur viro excellente W. Woolls.

Schizomeria ovata ad fontes altiores fluminis Bellinger's River granditate 150′ præstat, annotante Carron. Cortex lævis, pallidus.

Ceratopetalum apetalum in Novam Angliam Timbarram versus migrat. Lignum hujus arboris pallidum.

Anodopetalum biglandulosum (A. Cunn. in J. Hook. Fl. Tasm. i. 148; Weinmannia biglandulosa, A. Cunn. in Hook. Icon. 301) nondum extra Tasmaniam repertum est.

Tetracarpæa Tasmanica me immerito inter arbores Terræ Australis accepta (conf. Docum. Intercol. Exhib.).

Calycomis verticillata (D. Don in Edinb. Phil. Journ. 1830; Acrophyllum verticillatum, Benth. in Maund's Bot. ii. 95) nondum alio loco, quam eo detectionis, nempe Springwood hactenus reperta.

Proteaceæ.

Hakea lorea.

R. Br. Suppl. 25; Meissn. in Cand. Prodr. xiv. 394; Grevillea lorea, R. Br. in Transact. Linn. Soc. x. 177; R. Br. Pr. 380.

Elata, ramulis validis glabrescentibus, *foliis longissimis teretifiliformibus* exsulcatis subtilissime appresso-puberulis passim semel bisve bi- v. trifidis et abbreviatis, *racemis dense multifloris, calycibus majusculis cum pedicello fere æquilongo pedunculoque*

extus cano-tomentellis, stylo glabro longe exserto, stigmate obliquo- et depresso-pyramidali truncatulo, capsulis erostribus ovatis acutiusculis læviusculis, seminum nucleo lævi, ala verticali pallida.

In regionibus interioribus Australiæ orientalis calidioribus minime fertilibus præsertim scopulosis saltem a fluvio Burnetti usque ad originem fluminis Lyndii.

Folia funiformia, sæpe bipedalia. Situs punctorum vascularium in cicatricibus apparet varius. Capsulæ pollicem vix excedentes, medium versus turgentes, extus puberulæ, basi in stipitem crassum sensim contractæ. Semen unicum me visum forsan ultramaturum 3‴ longum, haud tuberculatum.

Ad hanc Hakeam forsan trahenda icon xylographica apud Mitchell Trop. Austr. pag. 285 et nota pag. 241.

Varietas fissifolia jam ob florum dispositionem et indumentum a H. purpurea longe distat. Præterea nucleus ultimæ speciei niger, tuberculatus ; ala nigrescens, secus latera nuclei anguste decurrens. Ad flumen Darlingii Neilsonio, ad originem fluminis Gilberti me ipso inventa. Adsunt etiam in regionibus orientalibus intratropicis duæ congeneres e serie Hakeæ dactyloidis.

Hakea arborescens gignit capsulam ecalcaratam, fere sesquiuncialem, læviusculam, ellipsoideo-ovatam, acutiusculam, in stipitem crassum attenuatam. Semina hujus nigra, tuberculato-rugosa, sursum in alam duplo longiorem acutiusculam protracta. Hæc planta ab Arnhemia ad montem Ellioti extendit.

Hakea longifolia.

All. Cunn. in R. Br. Suppl. 26 ; H. Cunninghami, R. Br. l. c. ; Meissner in Cand. Pr. xiv. 394.

Elata, ramulis validis tenuiter sericeo-tomentellis, *foliis elongatis tereti-filiformibus* exsulcatis glabris apice sphacelato-acutis muticis, *racemis dense multifloris, calycibus majusculis cum pedicello æquilongo sericeis,* stylo glabro longe exserto, stigmate ovato-orbiculari depresso, capsulis ellipsoideis in basim et apicem conspicue contractis medium versus turgentibus intus lævibus.

A terra Arnhemica usque sinum maris Nichol-Bay.

H. loreæ quam maxime propinqua. Calyx recens intus cum stylo albus. Racemi infra folia ramei, sæpe conferti, nunc ramosi. Glandula hypogyna e saturato-rubro nigrescens.

H. chordophylla (F. M. in Hook. Kew. Miscell. 1857, 23 ; Meissn. in Cand. Prodr. xiv. 699) quantum nota præsertim glabritie florum a H. lorea et H. longifolia recedit. Cl. Waterhouse hancce plantam a fontibus Keckwick-Springs attulit.

Harum specierum et sequentis characteres egent ulteriore scrutatione, ut diagnoses firmiores stabiliantur, aut varietatum rationes tutius cognoscantur.

Hakea macrocarpa.

All. Cunn. in R. Br. Suppl. 30.

Arborescens, ramulis glabrescentibus, *foliis longe lanceolato-linearibus* uninerviis indistincte striato-nervulosis subtilissime sericeis, *racemis dense multifloris, calycibus majusculis cum pedicello fere æquilongo pedunculoque sericeo-tomentellis canescentibus,* stylo glabro longe exserto, stigmate ovato-orbiculari paulo convexo.

In locis arenosis ad sinum Roebuck-Bay ; Dr. Martin.

Arbor 15–20′ alta. Folia circiter spithamam longa, medium versus $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ lata, in basim et apicem sensim angustata, leniter falcata, nervis secundariis obscure lineata. Flores iis H. loreæ et H. longifoliæ persimiles. Capsula secus notam Brownii elliptica, acuta, ecalcarata, intus lævis.

Lomatia silaifolia passim (e. g. ad Moreton-Bay) varietatem pubescenti-tomentosam profert. E. silvis montanis pone Rockingham's Bay cognosco quandam Lomatiam fortasse ad L. silaifoliam referendam, etiamsi folia distinctius simplici-pinnata, longius petiolata ; foliola oblique lanceolato-ovata, minus acute et minus longe dentata, crassiora, conspicue petiolulata, subtus minus pallescentia ; pedicelli breviores. Neque flores, nec fructus maturos vidi. Planta autem certe ad sectionem Eulomatiam pertinet. Aqua calida e seminibus saltem junioribus pigmentum rubrum extrahit.

Helicia ternifolia (F. M. Fragm. ii. 91 ; Macadamia ternifolia, F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. ii. 72 cum tabulis 2) ad flumina Clarence's et Richmond's River altitudinem 100′ attinet. Folia passim quaterna, interdum pedem longa. Ad hanc pertinere dicitur fructus, Walterio Hill missus, globosus, glaberrimus, 1–1$\frac{1}{3}$″ metiens, non compressus, cujus pericarpium osseum, læve, dilute fuscum, extus nitidulum, intus flavidum atque spadiceum sicut lævissimum. Semen $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ metiens, globosum, leniter compressum, sapore et colore amygdalarum, igitur edule, prope hilum carinulatum. Testa tenuissime membranea, pallida. Cotyledones fere semiglobosæ. Radicula minutissima. Fructus Macadamiæ in tabula citata illustratus fortasse ad Grevilleam Hillii pertinet. Seorsim inveniebatur sub arbore, dum ambæ in silvis pone Moreton's Bay promiscue nascuntur. Species proxime affinis *Helicia verticillata* dicenda reperiebatur Leichhardtio in nemoribus Australiæ orientalis subtropicæ ; distinguitur foliis in verticillo 5–7, minus arcte reticulato-venosis, minus nitentibus, paulo flavescentibus, basi cuneatis, dentibus eorum haud mucronatis. Flores sunt similes. Fructus non habeo.

Pericarpium Heliciæ ferrugineæ coriaceo-crustaceum. Semina pisi magnitudine, albida, ad hilum leniter protracta.

Urticeæ.

Streblus Brunoniana.

Morus Brunoniana, Endl. Atakt. t. 32. (Sect. Parastreblus.)

Dioica, ramulis tenui-pubescentibus, ***foliis lanceolatis v. ovato-lanceolatis acuminatis*** rarius ovatis semper præter basim serrato- v. repando-denticulatis glabrescentibus supra vitreo-punctatis subtus pallidius virentibus et vix nitentibus, nervis lateralibus ante marginem folii arcuato-junctis, ***floribus masculis simpliciter amentaceo-spicatis***, staminibus mox conspicue exsertis, stigmatibus terminalibus, fructibus 2–5 confertis, ***cotyledonibus fere semiglobosis*** nec plicatis nec involutis.

Ab Illawarra proveniens usque ad Rockingham's Bay, extendens etiam in Novam Angliam.

Arbor lactiflua, interdum excelsa, jam statu fruticoso florens. Cortex cinereus, fere lævis, lenissime rimosus. Lignum durum. Folia breviuscule v. modice petiolata, tactu asperula, tenuia, fragilia, supra saturatius virentia et vitreo-nitentia, subtus fere opaca, longitudine $1\frac{1}{2}$–$4\frac{1}{2}''$, latitudine $\frac{2}{3}$–$2''$ tenentia, passim sinuato-lobata. Stipulæ angusto-semilanceolatæ, circiter $2'''$ longæ. Spicæ masculæ breviter v. brevissime pedunculatæ, solitariæ rariusve geminæ, 1–$4''$ longæ. Divisiones calycis masculi quatuor, fere ovatæ, ciliolatæ. Stamina sesquilineam longa. Antheræ pallide flavæ. Filamenta ante expansionem infracta. Stigmata 1–$1\frac{1}{2}'''$ longa, subulata. Caryopsides drupaceæ, fere globosæ, 2–$3'''$ longæ, basi sepalis fere orbiculatis $\frac{2}{3}'''$ metientibus stipatæ, perfecta maturitate succulentæ, flavæ v. atro-rubræ. Endocarpium tenuiter crustulaceo-chartaceum. Semen fere globosum, mensuræ $1\frac{1}{2}'''$. Testa fulva, lævis, membranea. Albumen nullum vel parcissimum. Cotyledones parum inæquales, amygdalinæ, plano-convexæ. Radicula dorsalis, subulato-cylindrica, cotyledonibus dimidio brevior.

Folia bombycibus nocua. Nativi lignum tenax adhibent pro jaculis curvatis Boomerangs designatis.

Streblus pendulina (Morus pendulina, Endl. Prodr. Flor. Ins. Norfolk. 40), quæ monoica, plerisque signis S. Brunonianæ convenit, differt foliis firmioribus minus acuminatis et minus nitentibus copiosius denticulatis, spicis masculis sæpe longioribus, fructibus paulo majoribus.

Taxotrophis rectinervis.

Streblus rectinervis, F. M. coll.

Dioica, ramulis pubescenti-hispidulis, ***foliis rhombeo- v. lanceolato-ovatis acutis sursum mucronulato-serrulatis utrinque nitentibus*** fere concoloribus asperulis, nervis lateralibus plerisque rectis ad marginem folii pervenientibus, ***floribus masculis breviter paniculatis***, ***filamentis brevissimis***, sepalis florum fœmineorum linearis-

subulatis, stigmatibus terminalibus, fructibus solitariis majusculis, *cotyledonibus compressis involutis.*

In silvis a fluvio Clarence-River usque ad sinum Rockingham's Bay.

Arbor interdum 60′. Cortex albidus, læviusculus, rimulosus. Lignum durum, secando cœrulescens. Folia firmula, 1–3″ longa, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{2}$″ lata, breviuscule petiolata, basim versus integerrima ; dentes remotiusculi, excurru nervorum cuspidulati. Stipulæ lineari-subulatæ, circa 1‴ longæ. Paniculæ masculæ pauci- v. plurifloræ, interdum fere in glomerulum condensatæ. Calycis lobi 4–5 ovati, $\frac{1}{2}$‴ longi, leniter imbricati. Stamina 4–5, ob filamentorum brevitatem sub præfloratione erecta. Antheræ cordato-ovatæ. Rudimentum germinis pilosulum. Flores fœminei solitarii. Sepala lineam vix excedentia, ætate immutata. Stigmata demum $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, longitudine paulo inæqualia. Fructus fere ovati, turgentes, 3–4‴ longi, pedicello semipollicari v. breviore prædíti. Pericarpium tenui-suberosum. Endocarpium crustaceum. Albumen nullum. Cotyledon exterior cochleari-lanceolatus, arcuato-incurvus, interior fere circinnato-involutus. Testa fusca, membranea, lævis. Radicula externa, tenui-cylindrica, vix 1‴ longa. Folia plantæ juvenilis nonnunquam longe dentata et brevissime petiolata. Planta aliquot notis ad Celtim vergit, forsan novi generis typus.

Streblus aspera (Lour. Fl. Cochin ii. 754 ; Epicarpurus orientalis, Blume Bijdr. 488) quacum antea Streblum rectinervem confudi, jam foliorum nervis non in marginem excurrentibus, filamentis longioribus et embryonis forma longe distat. Hæc planta in nostro museo plantarum Australiæ non exstat, sed ab illustri J. D. Hooker cum Celti Philippinensi et Fatoua Manillensi inter plantas Australiano-Indicas enumerabatur. Conf. præfationem ad floram Tasmaniæ xlvii.

Taxotrophis Zeilanica (Thw. Enum. 264) a Streblo Brunoniana distinguitur spicis masculis abbreviatis, floribus fœmineis conspicue pedicellatis, stigmatibus mox lateralibus, cotyledonibus valde plicatis.

Taxotrophis microphylla (Epicarpurus microphyllus, Raoul Choix de Plantes de la Nouvelle Zélande 14, t. ix.) foliatione et spicis masculis satis ad Streblum Brunonianam vergit, cotyledonibus autem plicatis potius generice cum Taxotrophi Zeilanica congruit.

Malaisia Cunninghami (Planch. in Annal. des Scienc. Naturell. ser. iv. tom. iii. 293) ab Illawarra ad Rockingham's Bay vergit. Diversitatem specificam M. viridescentis et M. acuminatæ non perspicio, saltemve e diagnosibus non agnosco. Planta lactescens, ad altitudinem 150′ scandit ; colonis Crow-Ash vocatur. Calyx masculus breviter 3-lobus ; lobi fere valvati. Stamina 3, ante expansionem inflexa. Antheræ didymo-rotundæ. Flores fœminei in capitula sub anthesi minuta velutina racemoso-disposita arctissime conglobati. Stylus nullus exsertus. Stigmata 2 setacea,

puberula, fere 3‴ longa, rubella. Receptaculum fructus succoso-carnulentum, læte rubrum, sapidum, e tuberculis mox majusculis coalitis constans, varie lobatum. Caryopses paucæ, saturate rubræ, globoso-ovatæ, lævissimæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$-pollicares. Pericarpium tenuiter carnulento-coriaceum. Albumen absens. Embryon globoso-ovatum v. fere globosum. Cotyledones valde inæquales ; altera maxima, ovato-globosa, incisione longitudinali in lobos 2 mutue accumbentes divisa et ad junctionem loborum in processum brevem triangularem producta ; cotyledon altera minuta inter lobos alterius inclusa, foliacea, fere rotunda, oblique complicata, vix lineam longa. Radicula brevissima, cylindrica, supera, $\frac{1}{2}$–1‴ longa. Similem embryonis structuram præclar. Walk. Arnott de Epicarpuro orientali indicat. Stirps subgenerice (nisi generis valore) ab originali Malaisia tortuosa jam propter embryonem nullo modo chrysaloideum separabilis.

De Malaisiæ genere conferes Blanco Flora de Filipinas ed. i. 789 ; edit. ii. 543 ; Arnott in Hook. Kew Misc. iv. 6 ; Miq. Fl. Ind. Batav. iv. 281.

Cl. Blume (Mus. Bot. Lugdun. ii. 58) Sponiam asperam late per Australiam orientalem et borealem divulgatam ad genus Tremæ obsoletum duxit. Iconem dedi in Plants of Vict. plat. xc.

Antiaris macrophylla extra locum detectionis Brownio indicatum (Append. to Flind. Voy. ii. 602, tab. 5) nondum reperta videtur.

Ficus rubiginosa (Vent. Jardin de la Malmais. t. 114 ; F. australis, Willd. Sp. Pl. iv. 1138 ; Urostigma rubiginosum, Gasp. Ricerche sulla Natura del Fico) a portu Jacksonii in Novam Angliam migrat, sæpe rupibus enascens. Arbor usque 40′.

Ficus macrophylla (Desf. Catal. Hort. Paris. sec. Pers. Synops. ii. 609, non Roxburgh ; Urostigma macrophyllum, Miq. in Hook. Lond. Journ. vi. 560) mihi nota a fluminibus McLeay's, Bellinger's, Clarence's et Brisbane's River, sicut a sinu Rockingham's Bay, multis forsan locis intervenientibus obvia. Arbor grandis, umbrosissima, inter aptissimas secus viarum latera in zonis calidioribus colendas. Fructus globosi, 1–1$\frac{1}{2}$-pollicares, acute apiculati, edules, vix suaves ; sed nativi hisce utuntur. Arbor caoutchouc producit.

Ficus Leichhardtii (Urostigma Leichhardtii, Miq. Journ. de Botaniq. Néerlandaise 1861, 235) occurrit in Whitsunday-Island et ad Rockingham's Bay inter rupes. Præcedenti evidenter cognata. Arbor 20′. Fructus semipollicares, flavi. Folia non raro acuta.

Ficus platypoda (All. Cunn. sec. Miq. in Hook. Lond. Journ. vi. 561 ; Urostigma platypodum, Miq. locis citatis) per regiones aridiores Australiæ tropicæ dispersa est, tali modo in Australia centrali et occidentali usque ad sinum Shark-Bay provenit, et nisi fallor montes Blue Mountains attinet. Fructus vitellini, injucundi, plane maturati interdum Juglandis magnitudine. In primo crescendi statu sæpe aliis arboribus parasita. Huic Urostigma vitel-

linum (Miq. Journ. vi. 237) simillimum, fructibus semper parvis et conspicue pedunculatis præcipue divellens.

Ficus eugenioides (F. M. Documents Intercolonial Exhib. 26 Urostigma eugenioides, Miq. Journ. Néerland. 1861, 238) a Rockhampton usque Cape York invenienda, a Ficu saligna jam foliis brevius petiolatis, a F. Binnendykii foliis multo tenuius nervatis separata. Arbor nonnunquam ultra 100′ alta, inter rupes jam statu fruticoso fructigera. Fructus pisi magnitudine, flavi v. interdum rubri.

Ficus Muelleri (Urostigma Muelleri, Miq. Journ. Néerl. 1861, 235) ad flumen Hastings-River crescit. Plurimis notis species ad sequentem accedit.

Ficus nesophila (F. M. Docum. Intercol. Exhib. 26; Urostigma nesophilum, Miq. Journ. Néerl. 1861, 237) inter rupes graniticas insularum Maria- et Quail-Island sicut ad Caledon-Bay viget. Arbor circiter 30′. Cortex lævis, pallidus. Fructus pallidus, major quam is F. Fraseri. Nervorum et venarum cursus ab eo F. Fraseri diversus. Plantam simillimam, fructibus minoribus rubris paulo diversam, a rupibus graniticis portus Nichol-Bay possideo.

Ficus Fraseri (Urostigma Fraseri, Miq. in Hook. Lond. Journ. vi. 561) a sinu Moreton-Bay usque ad promontorium Cape York reperienda. Arbor alta. Rami primarii validi. Truncus satis brevis. Petioli sesquipollicares v. breviores, graciles, cum basi foliorum fere articulati. Folia chartacea, glabra. Fructus paucilineares usque semipollicares. Urostigma Cunninghami et U. psychotrifolium fide diagnosium F. Fraseri valde affinia.

Ficus leucotricha (Urostigma leucotrichum, Miq. Journ. Néerl. 1861, 234) rupibus ripariis fluvii Victoriæ enascitur. Bracteæ semilanceolatæ, semipollicares v. breviores. Fructus gemini. Formæ duæ exstant, altera foliis minoribus longius graciliusque petiolatis, fructibus minoribus tenuius pedunculatis; altera foliis crassioribus fructibusque majoribus densius sericeo-tomentosis.

Ficus pilosa (Reinw. in Blum. Bijdr. 446; Urostigma pilosum, Miq. in Zoll. Cat. 90; Miq. Fl. Ind. Bat. iv. 351; Miq. Journ. Néerl. 1861, 239) ad Rockingham's Bay et in Albany-Island invenitur, sed glabra est utroque loco. Fructus unciales v. breviores, ellipsoidei, rubri. Planta quoad folia F. annulatam approximat.

Ficus vesca (F. M. in Miq. Journ. Néerl. 1861, 243) a sinu Keppel-Bay usque ad flumen Flinders-River obvia nunc notissima sub nomine Leichhardt's Cluster-Fig. Arbor 80′ v. humilior. Lignum durum, albidum.

Ficus Benjaminea (Linn. Mantiss. 129; Urostigma Benjamineum, Miq. in Hook. Lond. Journ. vi. 583) in montibus Seaview-Range et ad flumen Herbert's River monente Dallachyo arborem 20′ sistit. Rami in modum Salicis Babylonicæ pendentes.

Ficus retusa (Linn. Mantiss. 129; F. nitida, Thunb. Diss. de Ficu, 14; Urostigma retusum, Miq. in Hook. Lond. Journ. vi. 582;

Thwait. Enum. Pl. Zeil. 265; U. nitidum, Miq. l. c.) v. species maxime affinis in insulis inter Cape Bedford et Cape Flattery me ipso collecta; crescit etiam ad Rockingham's Bay et Brook-Island. Ad hanc evidenter approximat Urostigma Backhousii (Miq. Journ. Néerl. 1861, 240).

Ficus stipulata (Thunb. Diss. de Ficu, 7; Miq. in Hook. Journ. vii. 439) observante Carolo Moore ad Wide Bay et ad Hunter's River habitat.

Ficus opposita (Miq. in Hook. Lond. Journ. vii. 426) ad Carpentariam, in Cairncross-Island, ad Burdekin River, ad Rockhampton, in Nova Anglia et ad Clarence's River crescit. Arbor interdum magna, ultra 100′. Cortex albidus, nitore leniter purpurascente superfusus. Indumentum varians. Folia orbiculato-v. lanceolato-ovata, omnia v. fere omnia opposita, æquilatera et longiuscule petiolata, nonnunquam ad longitudinem 7″ extensa, passim acuta. Fructus squalide purpurei, sapore non ingrati. Varietas occurrit foliis anguste hastatis, lobis 2 basalibus conspicuis.

Ficus aspera (G. Forst. de Plant. Escul. Ocean. Austr. 37; Miq. in Hook. Lond. Journ. vii. 425) a parte quam maxime orientali terræ Gipps-Land per omnem tractum Australiæ orientalis et magnum borealis præsertim sublitoralis procedit, atque Novam Angliam adscendit. Huic speciei multis notis propinqua Ficus scabra (G. Forst. Florul. Insul. Austr. Prodr. 76) quæ juxta sinum Rockingham's Bay provenire videtur.

Ficus Beckleri (Miq. Journ. Néerl. 1861, 241) ad ostium fluminis Victoriæ et prope sinum Nichol-Bay visa est, aliis locis absque dubio reperienda. Folia usque 5″ longa, decidua; reticulatio eorum minute areolata, fere tessellaris.

Ficus coronulata (Miq. Journ. Néerl. 1861, 242; F. salicina, F. M. Fragm. iv. 49) ad fluminum ripas Arnhemiæ et Carpentariæ passim gregarie crescit.

Ficus magnifolia (F. M. Fragm. iv. 50) a monte Ellioti ad sinum Rockingham's Bay extendit. Arbor saltem usque 70′ alta. Cortex lævis. Folia statu juniore lobulata. Fructus e trunco emergentes, flavidi, dulciusculi, satis suaves.

Nostra collectio præterea plures Fici species continet, quæ autem congeneribus Indicis, Chinicis et Pacificis adhuc ulterius comparandæ sunt. Harum unam coloni urbis Cardwelli Abbey-tree nuncupant, propter magnitudinem colosseam et truncos angulatos prævalidos. Hujus cortex lævis, cæsius. Folia sat magna, herbacea, cordata, eminenter costata. Crescit ad flumen Herberti et in insulis sinus Rockingham-Bay.—Alia Fici species eodem loco foliis grandescit, quibus sicut fructuum mole affinitatem ad F. caricoidem demonstrat; differt tamen glabritie aliisque characteribus. Arbor 40′. Cortex albidus, lævis.—Ad Beddome-Creek fluminis Fitzroy's River in societate Ptychospermæ Alexandræ nec non forsan ad portum Denisoni et montem Muelleri quædam Ficus

reperitur, cujus fructus e trunco racemose erumpunt. Hac nota et paucis aliis stirps in viciniam F. racemiferæ trahitur. Arbor parva quantum nota, jam statu fruticoso fructigera. Folia ex parte mutue opposita.—Ficum ob fructus angustiam prope F. humilem in systema inserendam habeo a vicinia urbis Cardwelli collectore Dallachy. Prælta est, ligno duro flavido, sectione lactis in massam erubescentem inspissantis scatet; distinguitur a F. humili jam foliis fere integerrimis minus acuminatis.—Quædam Ficus a fluvio Mackay's River et sinu Rockingham's Bay cum F. conglomerata fructibus fasciculatis congruit, sed foliis non distincte crenatis longius petiolatis et fructibus conspicue pedunculatis sufficienter distat. A F. oppositifolia (Roxb. Pl. of Coromandel ii. 14, t. 124; Covellia oppositifolia, Gasp. Ricerche, p. 85) quam præcl. J. D. Hooker inter plantas Indo-Australianas cum Covellia hispida in præfatione floræ Tasmaniæ enumerat, foliis basi inæquilateris non fere omnibus oppositis distinguitur. In locis udis arbor alta evadit.—Ad F. flavescentem quoad foliorum naturam approximat planta e insula Family-Island prope Rockingham's Bay, distinguenda foliis brevius petiolatis basi minus angustatis, fructibus tantum $\frac{1}{3}''$ metientibus.—Tandem cum paucis aliis serius exponendis Ficum cognosco a Rockingham's Bay, habitu quasdam Casearias, fructibus depressis aliqua Glochidia simulans. Præmagna evadit.

Pipturus propinquus extendit a fluvio Richmond's River usque ad promontorium Cape York.

Nyctagineæ.

Pisonia aculeata.

L. Sp. 1511; Wight. Icon. Pl. Ind. Or. 1763 et 1764; P. villosa, Poiret Dict. v. 347; Miq. Fl. Ind. Bot. i. 990.

Fruticosa, pubescens v. glabriuscula, sæpe *spinosa, alte scandens,* foliis ovalibus v. rhombeo- v. lanceolato- v. orbiculato-ovatis sensim in petiolum desinentibus breviusculis, paniculis primum confertifloris, *floribus brevibus* dioicis, limbo florum masculorum ample divergente latilobo, staminibus plerisque omnibusve conspicue exsertis, stylo brevi, *stigmate fimbriato, fructibus ellipsoideo-clavatis breviusculis ad angulos tentaculato-glandulosis* tenui- et longo-pedicellatis.

In Australia orientali calidiore; e. g. Clarence-River, H. Beckler; Tweed, C. Moore; Table-Mount, P. O'Shanesy; Neercool- et Montrose-Creek, E. Bowman; Edgecombe-Bay, E. Fitzalan; Rockingham's Bay, J. Dallachy; Cape York, E. Dæmel.

Pisonia inermis.

G. Forst. Prodr. 75 non Jacq; Seem. Fl. Vit. i. 195 cum Synon.

Fruticosa, *inermis, foliis magnis obliquo- v. lanceolato-ovatis basi rotundata* sæpe inæqualibus, floribus cymoso-paniculatis ap-

presso-pubescentibus, staminibus inæqualiter exsertis, stigmate fere indiviso, *fructibus clavato-cylindraceis ad angulos spinuloso-asperis.*

In insula Brook-Island sinus Rockingham's Bay, et forsan in insula Pisonia-Island Carpentariæ navigatore Flinders detecta.

Plantæ Australianæ flores masculos et fructus nondum accepi; eorum igitur characteres ex icone P. grandis (R. Br. apud Endl. Iconogr. 30), e descriptione P. Brunonianæ (Endl. Prodr. Fl. Ins. Norf. 43) et ex illustratione Delessertiana P. proceræ (Icon. Select. iii. tab. 87) evolvi. Nostræ etiam stirpi respondere videtur P. alba (Span. in Linnæa 1841, 342) fide speciminis culti ab amico Doctore Thwaites accepti. Tali modo tunc ad hancce speciem spectat P. morindifolia (R. Br. in Wall. Cat. 7130; Wight. Icon. 1765). Conf. Miq. Flor. Ind. Bat. i. 991.—P. silvestris (Teysm. et Binn. in Nat. Tijdschr. Neerl. Ind. ix. 349–356) saltem e diagnosi oblata non separanda est.

Pisonia excelsa.

Blume Bijdrag. 735; P. umbellifera, Seem. in Bonpl. x. 154; Seem. Fl. Vit. 195 cum Synonymis.

Glabra, *arborea*, *inermis*, foliis magnis lanceolato-ovalibus v. obovatis basi parum acutis passim verticillatis, umbellis corymbisque paniculatis, floribus longiusculis, limbo masculorum leniter divergente latilobo, staminibus vix exsertis v. inclusis, stigmate papilloso, *fructibus elongato-cylindraceis lævibus.*

Ad Illawarram, C. Moore; ad fluvium Richmond's River, Richards et Henderson; ad Rockingham's Bay, Dallachy.

Najadeæ.

Caulinia Australiana.

Caulinia oceanica, R. Br. Pr. 339 partim.

Validior, *foliis spathisque* 16–20-*neviis apice fere truncatis* lenissime rotundatis lato-linearibus, spicis 3–7-floris, antherarum veterum *connectivo lanceolari-cymbeo mutico*, stigmatis vetusti divisionibus subulatis.

Ad litora marina Australiæ extratropicæ multis locis æstu ejecta; in sinu regis Georgii gregarie crescens et abunde fructificans.

Herba submersa, flaccida, assurgens. Folia pleraque $1\frac{1}{2}$–3′ longa, sæpe $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ lata, integerrima. Petioli latitudine foliorum, circa 3″ longi, margine membraneo sat angusto infracti. Scapi ancipites, ætate saltem usque bipedem longi, $1\frac{1}{2}$–3‴ lati. Spicæ 3–4 fasciculatæ. Rachis in apicem subulatum producta. Pedunculi compressi, 1–2″ longi, spatella duplice inferne cincti. Stamina scilicet 3. Connectiva e carnulento cartilaginea, post anthesin circiter $2\frac{1}{2}$‴ longa, interdum ni sæpe fere externe unilaterales. Antheræ

defloratæ expansæ, membraneæ, tunc oblongæ v. ovales, circiter sesquilineam longæ, connectivo ad basim utrinque incrassatam et hinc turgescentia leniter bilobam affixæ, denique deciduæ. Fructus junior curvato- et trigono-ellipsoideus, sursum sensim attenuatus, jam ante maturitatem $\frac{2}{3}''$ longus, stigmate sessili vetusto inæqualiter in lobos 3–4 acutos fisso terminatus, consistentia fabæ recentis. Semen junius latere longe adnatum, apice conico-subulato incurvato liberum. Embryo junior teretiusculus, subulatus; pars cotyledonaris sive attenuata terminans.

Species Australiana me tantum statu deflorato visa a Mediterranea, quacum Brownius eam dubie junxit, distare apparet foliis latioribus copiosius nervatis minus evidenter ad apicem rotundatis, spicis longius pedunculatis sæpe plurifloris et præcipue connectivis longioribus angustioribus exaristulatis. Inveni enim in planta Austro-Europæa Thuretio distributa connectivum vetustum vix sesquilineam longum, fere orbiculatum, aristula setacea lineam metiente v. breviore sæpissime terminatum.

Planta etiam nomen Kerneræ genericum accipere potuit, quod nomen simul cum eo 1805 in Lam. et Cand. Fl. Français. accepto datum. Conf. Willd. Sp. Pl. iv. 947.

E familia Hydrocharidearum finitima nunc inter plantas Australianas tuto cognosco Hydrocharidem Morsum ranæ, a Moreton Bay (W. Hill), a Rockhampton (P. O'Shanesy).—Otteliam alismoidem (Pers. Enchir. i. 400) in Arnhemia ad flumen Roperi detexi et e rivo Mulholland-Creek (E. Bowman) et a flumine Fitzroy's River (P. O'Shanesy) obtineo.

Filices.

Dicksonia antarctica.

Labill. Nov. Holl. Pl. Spec. ii. 100, t. 249; Hook. Spec. Fil. i. 66; J. Hook. Fl. Nov. Zeal. ii. 9; Ralph in Proceed. Linn. Soc. iii. 168; Lowe New and Rare Ferns, t. 43; F. M. Fragm. Phyt. Austr. v. 117; J. Hook. Handb. New Zeal. Flora i. 351; Hook. Synops. Filic. i. 50; Balantium antarcticum, Presl Tent. Pteridol. 184; Cibotium Billardierii, Kaulf. Enum. Fil.

Demum prælta, *caudice valido remanentiis stipitum tantum summitatem versus tecto*, cicatricibus plerisque tegmine fibrarum radiciformium occultis, frondibus numerosis elongatis bi- v. tripinnatis chartaceis v. tenui-coriaceis fere glabris subtus virentibus, *stipitibus crescentibus virentibus* ad basim stuppaceo-crinitis abhinc cum rachibus sæpe subtus glabris et læviusculis, pinnis pinnulisque acuminatis, segmentis fertilibus oblongo- v. rhombeo-ovatis oblongisve crenato-lobatis v. fissis apice serratis, soris paucis v. pluribus, valva frondea et indusio fere hemisphæricis.

A crateris vulcanalibus monti Gambier vicinis per Australiam felicem et Neo-Cambriam usque in Novam Angliam subalpinam

et monte Lindsay tenus. Præclarus Jos. Hooker huc D. fibrosam et illustr. W. Hooker huc D. lanatam ducunt.

Dicksonia squarrosa.

Swartz Synops. Filic. 136 & 355; Schk. Farrnkr. 124, t. 130; Hook. Spec. Filic. i. 68; J. Hook. Flor. Nov. Zeal. ii. 9; Ralph in Proceed. Lin. Soc. iii. 169; F. M. Veget. Chath. Isl. 65; J. Hook. Handb. New Zeal. Fl. i. 351; Hook. Synops. Filic. i. 51; Trichomanes squarrosum, G. Forst. Prodr. Florul. Insul. Austr. 86.

Demum elata, *caudice gracili remanentiis stipitum appressis elongatis asperis superne per longum tractum tecto*, frondibus bi- v. tripinnatis chartaceis v. tenui-coriaceis subtus virentibus vix numerosis rarius valde elongatis, *stipitibus crescentibus spadiceis* inferne villoso-crinitis superne cum rachibus pubescentibus et asperis, pinnis pinnulisque acuminatis, segmentis fertilibus oblongo- v. rhombeo-ovatis v. elongato-oblongis crenato-lobatis v. fissis apice serratis, soris sæpe pluribus, valva frondea et indusio fere hemisphæricis.

Ad flumen Richmond's River prope Ballinam, C. Moore et C. Fawcett; et in Nova Anglia prope Timbarram, C. St.

Beatus Hooker jam plantam Neo-Zelandicam et Australianam junxit. Lucidus observator Th. Kirk caudicem vidit usque 30′ altum, mensuram autem peripheriam nunquam notavit ultra 2′.

Cyathea arachnoidea.

Hook. Synops. Fil. 24.

Elata, frondibus bi- v. tripinnatis tenui-coriaceis, *rachibus subtus spadiceis aculeato-asperis* squamuloso-pubescentibus, pinnulis ambitu anguste lanceolatis longe acuminatis pinnatisectis, *segmentis subtus tomento pertenui venas occultante vestitis* apice acutis basi lata sessilibus longitudinaliter obtuse crenato-dentatis, racheolis apteris, venis profunde furcatis, nervo medio præter apicem squamuloso.

Ad latera occidentali-borealia montium pone sinum Rockingham's Bay; Dallachy.

Species superba Alsophilæ Leichhardtianæ inter Australianas habitu cognata, differt autem frondibus crassioribus subtus canotomentellis non nitidulis, segmentis pinnularum acutioribus ad costam magis squamulosis non sæpe infra medium edentulis, inferioribus basi rarius semiliberis, infimis nec stipitatis nec semper perfecte solutis, dentibus majoribus et minus acutis nec non soris hinc me tantum statu primo adolescente visis.

Alsophila Leichhardtiana jam anno 1843 ab infortunato exploratore reperiebatur. Initio sæculi duæ tantum filices arborescentes Australianæ notæ erant; nunc duodecim cognovimus.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLVIII.

Leguminosæ.

Archidendron Lucyi.

Pithecolobium Lucyi, F. M. coll.

Foliis bijugis, pinnis bi- v. trijugis, foliolis obliquo- v. orbiculari-ovatis perbreviter petiolulatis, calycibus parvis cyatheo-campanulatis repando-dentatis graciliuscule pedicellatis, *corollæ cum calyce glabræ tubo longe exserto inferne tenui-cylindraceo lobis pluries vel multoties longiore*, staminum cum corolla albidorum tubo breviter emergente filamentis paulo breviore, *pistillis binis ternisve glabris*, leguminibus conspicue stipitatis.

Ad ripas fluviorum sinui Rockingham's Bay affluentium. J. Dallachy.

Folium unicum transmissum bipedale, undique glabrum. Petiolus generalis circiter 4″ longus, teretiusculus, sursum antice angulatus. Pinnæ spatio aliquot pollicum distantes. Petioli pinnarum 1–1½″ longi. Foliola 3–6″ longa, inter petiolulos glandulam impressam gerentia, utrinque nitidula, copiose reticulato-venosa. Flores seorsim missi, secundum peregrinatoris notas valde fragrantes. Pedicelli 1‴ longi. Calyx 2‴ altus, tubo corollæ conspicue amplior. Corolla circiter pollicem longa; tubus elongatus, faucem versus sensim ampliatus; dentes 5 raro 6 semilanceolato-deltoidei, æstivatione valvati, lineam paulo excedentes, apice incrassati. Staminum tubus basi corollæ adnatus. Filamentorum pars libera fere uncialis, capillaris. Antheræ dorsifixæ; loculi distincti, paralleli, flavi. Styli fere 2″ longi, setacei. Germina pluri- nisi multigemmulata. Legumina tantum statu imperfecto visa, saltem 2 intra eundem calycem maturantia, lignescenti-coriacea, extus rufa, intus magis lateritia, margine dorsali profunde lobata. Semina nondum transmissa.

Hac arbore præstante in phytologia perpetuare volui nomen semper honorandum illustris et nobilis de Lucy, grandi cruce Legionis honoris ornati, prius in societate horticulturæ Gallica digni Præsidis, nuper silvarum per Algeriam philanthropici stabilitoris.

Pithecolobii Hendersonii calyx fere cylindraceus, corollæ dentes apice incrassati, tubus staminum basi adnatus reperiuntur.

Celastrineæ.

Salacia prinoides.

Cand. Prodr. i. 571; Wight & Walker-Arnott Prodr. Flor. Pænins. Ind. Or. 105.

Scandens, glabra, ramulis teretiusculis, *foliis lanceolato-ovatis obtuse acuminatis repandulis* oppositis basi acutiusculis conspicue petiolatis, pedicellis axillaribus solitariis v. geminis v. ternatis, *pedunculis nullis*, floribus triandris, petalis unguiculatis, filamentis anthera mutica aliquoties longioribus, *antherarum loculis divergentibus* distinctis, germinis loculis bigemmulatis, fructibus parvis 1–2-spermis.

Ad flumen Liverpool-River sub expeditione Cadellii lecta.

Plantæ Australianæ tantum specimina fructu adolescente prædita vidi.

Euonymus Australianus tam in insula Hinchinbrook-Island quam ad sinum Rockingham's Bay occurrit. Cyma passim pauciflora. Sepala inæqualia, 1–2‴ metientia, glabra, æstivatione imbricata, præter basim fere sessilem margine breviter fimbriata, exteriora 2 fere semiorbiculata, interiora 3 fere rotunda. Petala ochroleuca, decidua, orbiculata, 2‴ metientia, antice conspicue fimbriata, brevissime lateque unguiculata. Stamina in disci superficiem inserta, glabra. Filamenta $\frac{2}{3}$–1‴ longa, setacea. Antheræ vix lineam longæ, fere renatæ; loculi divaricati, distincti, extrorsi. Stylus conico-subulatus, $\frac{2}{3}$‴ longus. Germen 5-loculare; loculi bigemmulati.

Caryospermum arborescens.

Fruticosum, arborescens, foliis conspicue petiolatis chartaceis ovato-lanceolatis obtuse acuminatis remote minuteque denticulatis obtuse acuminatis subtus in axillis nervorum mox foraminatis vix barbellatis, stipulis minutis diu persistentibus, paniculis brevibus cymosis, petalis calycem paulo superantibus semilanceolato-deltoideis puberulis intus indistincte carinatis, *germine biloculato, loculis bigemmulatis*, fructibus 1–2-spermis.

Ad sinum Rockingham's Bay. Dallachy.

Arbuscula saltem 10′ alta, jam statu fruticoso florigera, glabra. Folia alterna, 2–4″ longa, 1–1$\frac{1}{2}$″ lata, subtus pallidius supra saturatius virentia, in petiolum $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longum angustata; nervi laterales

patentim adscendentes, a margine remote arcuato-anastomosantes; rete venarum sat tenue, cujus areolæ pleræque majusculæ. Paniculæ axillares vel laterales, breviuscule v. brevissime pedunculatæ, pollicem raro excedentes et passim non æquantes. Pedicelli sesquilineam longi v. breviores. Alabastra inferne truncato-globosa, superne pyramidata. Lobi calycis 5, semilanceolati, $\frac{1}{2}'''$ longi, æstivatione paulo distantes. Petala persistentia, ante anthesin valvata, e notitiis inventoris flavida. Stamina 5 petalis alterna, perbrevia, e disci integerrimi margine emergentia. Antheræ cordato-rotundæ, flavæ, obtusæ, dorsifixæ. Stylus brevissimus. Stigma simplex. Germen depressum, glabrum. Gemmulæ geminate collaterales. Fructus globosus, statu plane maturato me nondum visus, tunc 3–5‴ metiens. Pericarpium tenui-crustaceum. Semina si duo dorso valde convexa, ventre plana, cavitatem explentia. Embryon adhuc ignotum.

Structura germinis in speciebus duabus Asiaticis me nondum visis denuo scrutanda est.

Leucocarpon Oleaster (Denhamia Oleaster, F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. iii. 29) tantum e loco detectionis adhuc notum manet. Celastrum Cunninghami simulat.

Leucocarpon obscurum præter locos Benthamio et me ipso jam indicatos Warregam, Maranoam et Rockhampton incolit.

Leucocarpon celastroides facile divellitur a L. pittosporoide (Denhamia pittosporoide, F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. iii. 30) foliis sæpe latioribus et brevius petiolatis crebrius denticulatis nunquam subtus pallidius virentibus et imprimis capsula chartacea perfecte 2–3-valvata, dum fide Moorei capsula L. pittosporoidis omnino ossea est et non basi tenus dissilit. Septa etiam illius axin attingunt. Semina non habeo. Stylus 1–1½‴ longus, simplex. Arbor 60′. Lignum durum. Occurrit monente Moore ad flumina McLeay's, Bellinger's, Hastings' et Richmond's River, nec non in Nova Anglia et in Mount Lindsay.

Bryologi in scripta recentiora genus Leucocarpon haud admittunt.

Celastrus dispermus usque ad sinus Rockingham's Bay et Port Mackay extendit. Flores polygami. Calycis lobi 4 deltoideo-semiorbiculares, $\frac{1}{2}'''$ longi. Petala 4 glabra, membranea, ovata, basi truncata, lineam paulo excedentia. Stamina scilicet 4. Filamenta in floribus masculis anthera duplo rarius triplo longiora, in fœmineis eadem paulo longiora, semper e margine disci orta. Antheræ $\frac{1}{3}'''$ longæ, flavæ, cordatæ, obtusæ, dorsifixæ. Stylus brevissimus. Germen superne liberum.

Celastrus Cunninghami usque ad flumina Darling's River et Cooper's Creek occurrit. Petala basi truncata. Filamenta florum masculorum anthera conspicue longiora, florum fœmineorum paulo longiora. Antheræ cordatæ, obtusæ, prope basim dorsifixæ. Folia occurrunt passim mucronulato-dentata, nonnunquam rite v. late

lanceolata. Perpaucæ aliæ ordinis stirpes in nostra collectione Australiana statu imperfecto exstant.

Celastrus bilocularis nunc notus est austrum versus usque ad flumen Tweed et Mount Warning secundum collectionem Caroli Moore.

Siphonodon Australis; de hoc sequentia annotavi. Calyx irregulariter 5-partitus; lobi æstivatione imbricati, antice rotundati; exteriores breviores; interiores ad sesquilineam longi. Petala cuneato-orbicularia, ante expansionem imbricata, forsan statu recente alba, exsiccatione flavidula, circiter $2\frac{1}{3}'''$ metientia, decidua. Stamina 5, scilicet petalis alterna. Filamenta lata, plana, vix lineam longa. Antheræ biloculares; loculi valde divergentes, fere verticem filamenti marginantes, longitudinaliter quasi verticaliter dehiscentes. Disci perbrevis sive inconspicui dentes staminibus interjacentes, acuti, minuti. Stigma parvum, globosum. Stylus breviusculus, germine fere occlusus. Arboris truncus e notis Thozetii sine ramis 60′ altus. Cortex albidus. Lignum flavidulum. Usque ad circulum capricornu extendit.

Elæodendron melanocarpum fortasse cum E. Australi confluit, propter fructus tam rubros quam nigros in eadem arbore productos. Forma etiam erythrocarpa usque ad Rockingham's Bay vergit.

Proteaceæ.

Adenanthos Dobsoni.

Procumbens, *foliis parvis oblongo- v. obovato-spatulatis* obtusis integerrimis in apice dorsi glandulam immersam gerentibus primum ramulisque pubescentibus, floribus terminalibus solitariis, involucri squamis circiter octo imbricatis obtusis valde inæqualibus, calyce profunde 4-partito extus breviter pubescente, *lobis apice intus barbatis* infra apicem non dilatatis, *stylo glabro* calycem breviter superante medium versus incrassato, stigmate parvo tenui conico-cylindrico exangulato.

Ad promontorium Point Malcolm. Maxw.

Folia plana, conferta, in petiolum conspicuum sensim angustata, quocum 3–4‴ longa. Pedunculi lineam vix excedentes. Involucri extus breviter pubescentis squamæ extimæ minutæ, intimæ sesquilineam longæ. Calyx 8–9‴ longus, ad collum densius pubescens; limbus vix lineam excedens; tubus circiter 2‴ longus. Antheræ sua latitudine quater longiores. Stylus uncialis, præter apicem tenuiorem canaliculatus. Squamæ hypogynæ lineari-subulatæ, $\frac{1}{2}'''$ longæ, glabræ. Stigma semilineam longum. Germen penicillari-barbatum. Fructus ignotus.

Speciem dicavi præclaro et docto Francisco S. Dobson, A.M., viro juris prudentiæ peritissimo, qui per plures annos introductionem rerum naturalium quam maxime utilium in nostram coloniam sedule adjuvit.

Hæc species ab A. obovato differt foliis petiolatis, minoribus non apiculatis, pedunculo basi non bibracteato, involucris terminalibus, squamis ejusdem minoribus magis numerosis non acuminatis, calyce infra collum non dilatato sed æqualiter in lobos soluto, stylo nec fere æquilato nec inferne pubescente nec longe exserto, stigmate minore et alius formæ, denique antheris latioribus.

Ab A. lineari cui affinior recedit foliis conspicue latioribus et aliquoties brevioribus, numero forma et indumento squamarum involucrorum, calyce paulo longiore brevius pubescente, limbo calycis intus barbellato, stylo tandem paulo crassiore.

Adenanthos barbigera nascitur ad flumen Harveyi.—Adenanthos obovata a sinu Regis Georgi saltem usque ad flumen Blackwood's River extendit. Frutex altior. Calyx cum stylo læte ruber.—Adenanthos venosa in promontorio granitico Cape Le Grand crescit.—Adenanthos cuneata extendit ad sinum Great Bight, ubi foliis deltoideis variat.—Adenanthos sericea prope urbem Albany altitudinem 8′ attinet.—Adenanthos procumbens me ipso collecta est ad flumina Hay-River et Kalgan. Hujus calyx virens.

Grevillea platypoda.

(Sect. Calothyrsus.)

Fruticosa, ramulis validis cano-tomentellis, *foliis profunde* 3–5-*lobis ambitu cordato-deltoideis subtus sericeo-velutinellis, lobis lateralibus plerisque rhombeo-cuneatis trifidis*, nervo lobulorum in mucronem excurrente, margine eorum breviter recurvato, *pedunculis oppositifoliis late complanatis* flexuosis ramulosis, floribus in pedunculis secundariis geminatis paniculam irregularem constituentibus, calycibus pedicello duplo paulove longioribus apice valde recurvis extus imperfecte velutinello-sericeis intus inferne pilosulis, stylo semiexserto cum germine glabro, stigmate laterali exappendiculato, germine breviter stipitato.

In montibus Stirling's Range.

Ramuli apicem versus angulati. Folia circiter sesquipollicem metientia, pedunculo paucilineari prædita, prominenter costata, supra glabra, ad nervum marginalem recurva, subtus e pallide fusco fulvescentia v. canescentia; lobuli nunc deltoidei, nunc semi-lanceolati. Pedunculi 1–3 pollicares, singulariter compressi, usque 3‴ lati, pertenuiter sericei. Calyx ob curvaturam tantum 4‴ longus, læte ruber. Stylus semipollicaris. Glandula hypogyna fere quadrata. Fructus nondum repertus.

Inter species occidentales accedit G. macrostyli; inter orientales ratione foliorum vergit ad G. acanthifoliam; ab omnibus jam complanatione pedunculorum (ut apparet non fortuita) facillime distinguenda. Aliquot etiam notis G. cirsiifoliam et G. bipinnatifidam approximat.

Grevillea oligantha.

(Sect. Lissostylis.)

Fruticosa, *foliis cuneato-oblongis* margine leniter recurvis subtus sericeis, pedunculis nullis, *floribus solitariis binisve, calyce tenui-sericeo* pedicellum fere ter superante stylum saltem semiæquante apice valde incurvo prope medium barbato, *germine conspicue stipitato styloque glabris*, stigmate laterali mutico inappendiculato, fructu ovali-ellipsoideo.

Ad flumen Phillip's River. Mx.

Folia 1–1½″ longa, coriacea, apicem rotundatum versus 3–4‴ lata, subtus cano-sericea, supra glabra et lævia; costa media in parte folii superiore evanescens. Flores intense rubri. Stylus fere pollicaris, persistens. Fructus maturus me nondum visus.

Species foliis ad G. paucifloram, floribus potius ad G. sparsifloram accedens.

Grevillea disjuncta.

(Sect. Lissostylis.)

Fruticosa, ramulis sericeo-velutinis, *foliis teretiusculis nervoso-striatis subtus unisulcatis*, pedunculis nullis, *floribus solitariis binisve*, calyce extus tenui-sericeo pedicellum fere duplo superante stylum saltem semiæquante apice valde recurvo infra medium barbato, *germine sessili villoso-sericeo*, stylo glabro, stigmate laterali mutico inappendiculato, fructu ovali-ellipsoideo.

Ad rivum Salt-River Australiæ occidentalis. Mx. In tractu montano Stirling's Range.

Frutex humilis. Folia ⅔–1″ longa, circiter ½‴ crassa, marginibus sese tangentibus prorsus teretia et costam mediam occultantia, angulata, mutica, glabra. Pedicelli glabri, circiter 3‴ longi. Calyx tota longitudine vix semipollicem metiens. Stylus fere uncialis, persistens. Barba germinis albida. Fructus statu maturo ignotus.

Quod florum dispositionem attinet hæc species ad G. depauperatam, G. singulifloram, G. paucifloram, G. sparsifloram et G. oligantham vergit, ab omnibus foliorum natura valde diversa.

Grevillea sparsiflora.

(Sect. Lissostylis.)

Fruticosa, ramulis sericeo-tomentellis, *foliis lineari-filiformibus enerviis* tenuibus indivisis acutis muticis glabriusculis margine refractis subtus tenuiter bisulcatis, pedunculis nullis, *floribus solitariis binisve, calyce parce pilosulo* pedicellum duplo superante stylum semiæquante apice valde recurvo infra medium barbato, *germine brevissime stipitato styloque glabris*, stigmate laterali mutico inappendiculato.

In collibus calcariis ad promontorium Cape Arid. Mxw.

Frutex paucipedalis. Folia 1–1½″ longa, conferta, ob margines refractos tantum ½–¾‴ lata; costa media prominens. Calyces saturate rubri, 4–5‴ longi. Stylus gracilis. Stigma ovato-orbiculatum. Fructus ignotus.

A Grevillea pauciflora hanc jam distinguimus foliorum tenuitate et styli elongatione.

Varietas foliis pungentibus occurrit in collectione Drummondi.

Grevillea trachytheca.

(Sect. Conogyne.)

Alte fruticosa, ramis fulvo-tomentosis, *foliis linearibus indivisis* v. passim bi- v. trilobis margine refractis subtus bisulcatis apice mucronulatis, racemis simplicibus elongatis multifloris, bracteolis lanceolatis acuminatis extus cum rachi tomentoso-pubescentibus, *calycibus parvis glabris* pedicello æquilongis, germine perbreviter stipitato, stylo semiexserto germineque glabris, glandula hypogyna obliterata, *stigmate oblique pyramidali-conico, fructibus crasse crustaceis ovatis obtusis tuberculato-asperis,* seminibus ellipsoideis biconvexis apteris.

Ad flumen Murchisoni in locis arenosis. Oldf.

Frutex 6–8′, satis strictus. Folia circiter pollicem longa, fere 1‴ lata, glabrescentia. Racemi terminales, sæpe triunciales, evolutionis centripetæ. Pedicelli pubescentes. Bracteolæ pæne 2‴ longæ, mox deciduæ. Calyx tota longitudine vix 2‴ excedens, sepalis 2 minoribus, magis recurvis. Stylus 2‴ vix superans. Fructus semuncialis, nigrescens, rudimento styli cuspidulatus. Semina 2½–3‴ longa, fulva, circum marginem lateris interioris impressa.

Species formis G. tetragonolobæ simplicibus quoad folia non absimilis, arcta autem affinitate copulatur G. crithmifoliæ, abs qua dignosci queas foliis validioribus plerisque indivisis fortius margine refractis, inflorescentia elongata, pedicellis paulo brevioribus, germine brevius stipitato, stylo autem conspicue longiore.

Grevillea commutata.

(Sect. Lissostylis.)

Alte fruticosa, ramulis angulatis cum pagina foliorum infera sericeis, *foliis lato- v. oblongo-linearibus* ex apice obtuso mucronulatis margine arcte recurvis, *racemis corymbosis dense multifloris in apice ramulorum paniculatis, calycibus parvis extus sericeis* pedicellum duplo excedentibus stylo bis superatis, pistillo glaberrimo, germine breviter stipitato, stigmate laterali, glandula hypogyna perbrevi.

Ad portum Gregorii in plagis arenosis. Oldfield.

Frutex altitudinem 12′ attinens. Folia 1½–5″ longa, 1½–3½‴ lata, supra glabra, in basim sensim angustata. Pedunculi speciales ⅓–1″ metientes. Racemi 1–2″ longi, evolutionis centripetæ. Bracteolæ perminutæ, rhombeæ, stipitatæ, cito deciduæ. Pedicelli sesquilineam vix excedentes. Calyces pæne 3‴ longi, intus albidi et prope medium paulo barbellati, apice valde recurvi. Stylus fere semuncialis.

Hujus speciei varietatem sistere videtur planta Drummondi 184, præclaro ordinis monographo recentiore ad Grevilleam Hookerianam traducta, a planta typica me nunc descripta foliis pinnatisectis diversa. Hisce autem foliis interspersa sunt alia, quæ ab normalibus nullo modo recedunt. Insuper flores congruunt. Fructum varietatis pinnatisectæ invenio vix semiuncialem, oblique ellipsoideo-ovatum, obtusum, breviter et validiuscule stipitatum, toto stylo terminatum, crassiuscule crustaceum, extus fere lævem. Semina oblongo-linearia, 3–4‴ longa, ob margines recurvos vix lineam lata, et tali modo subtus unisulcata.

G. commutata separatur a G. argyrophylla foliis et racemis magis elongatis, calycibus majoribus, stylo longiore, fructu minus obliquo crassius stipitato; a G. obtusifolia foliis majoribus, floribus nec glabris nec rubicundis, præterea minoribus et magis confertis, fructibus non in stylum acutatis; a G. nudiflora foliis latioribus, racemis multifloris, germine stipitato.

Grevillea pityophylla.

(Sect. Lissostylis.)

Ramulis velutino-tomentosis, *foliis filiformibus elongatis sphacelato-acutis supra et subtus unisulcis* glabrescentibus, fasciculis axillaribus paucifloris, *calycibus cum pedicello ter breviore extus ferrugineo-velutinis* intus supra medium pubescentibus, germine sessili dense tomentoso, stylo glabro, stigmate ovali-orbiculato laterali.

In Australia occidentali. Drumm.

Folia 2–4″ longa, circiter lineam crassa. Calyces semipollicem paulo excedentes. Stylus sub anthesi calycem æquans et tunc non geniculatus. Fructus ignotus.

Flores et folia multo majora quam in G. pinifolia. Hæc ultima flores habet illis G. fasciculatæ similes.

Grevillea polybotrya includit G. Martini.—*G. biformis* ad flumen Murchisoni fruticem 3–4′ altum sistit. Fructus tereti-clavatus, vix ½″ longus, superne linea vix latior, deorsum attenuatus, undique lævis. Stylus deciduus.—*G. didymobotrya* est planta Drummondi 166 a flumine Murchisoni. Occurrit etiam ad rivum Irwini. Fructus glaber, dimidiato-cordatus, tantum 3‴ longus, infra apicem rudimento styli rostratus. Præcedenti affinis *G. nematophylla*, sed diversa foliis exsulcis, calycibus glabris, germine stipitato et

forsan fructu.—*G. pulchellam* reperi in montibus Stirling's Range et Porongerup segmentis foliorum profunde pinnatifidis. Fruticulus $\frac{1}{2}$–2′, debilis. Stylus sursum sensim incrassatus.—*G. intricata* provenit ad rupes secus flumen Murchisoni, ubi 3–10′ alta. Flores albidi. Bracteolæ ovato-lanceolatæ, ciliolatæ, vix 1‴ longæ, caducissimæ. Calyces valde incurvi, tota longitudine 2‴ tenentes, apice valde ampliati. Germen gracili-stipitatum, cum stylo glabrum.—*G. monticolam* inveni in altis cacuminibus montium Stirling's Range, ubi 1–2′ alta. Folia suprema nonnunquam indivisa. Flores albidi.—*G. leptobotrys* varietatem simpliciorem ad flumen Gordon's River producit, foliis ex parte simpliciter pinnatisectis, segmentis latioribus interdum integerrimis. Bracteolæ linearisetaceæ, lineam paulo excedentes.—*G. anethifoliam* a fluvio Castlereagh's River attulit C. Moore.—*G. petrophiloides* gaudet floribus roseis. Ad flumen Murchisoni fruticem 4–5′ format.—*G. trifida* juxta flumen Kalgan fruticem 3–4′ altum producit. Variat foliis angustilobis. Calyx superne saturatius, inferne dilutius flavescens.

G. heterophyllam legi ad flumina Victoriæ et Nicholsoni. Dr. Martin eandem attulit a flumine Glenelgi; J. M. Stuart a montibus Short's Range. Pedicelli cano-sericei, sesquilineam longi. Calyx tota longitudine semipollicem paulo excedens, extus tenuiter cano-sericeus; sepala 2 conspicue breviora, omnia intus infra medium brevi spatio barbata. Totum pistillum semipollicare, sed ob calycis curvaturam exsertum, omnino glabrum. Germen perbreviter stipitatum. Fructus leniter compressus, lævis. Hujus speciei varietas velutina crescit ad flumen Glenelg's River.

G. Dryandri (G. callipteris, Meissn. in Hook. Journ. 1852, 187) a terra Arnhemica ad Carpentariam vergit. Frutex paucipedalis. Bracteolæ caducissimæ, sesquilineares, lanceolatæ, acuminatæ. Apex calycis prominenter tetragonus, cano-purpureus. Sepala c. pedicello rosea. Stylus persistens. Fructus coriaceus, 4–6‴ longus, extus viscosus.

G. Sturtii detexit cl. J. M. Stuart ad Forster's Range et Central Mount Stuart. Folia non raro in lobos 5–6 dissecta. Styli occurrunt paulo pubescentes. Huc pertinere videtur specimen fructiferum sub itinere Howittii ad Cooper's Creek collectum. Rachis ejusdem fere glaberrima. Fructus crustacei, orbiculari-ovati, $\frac{1}{2}$‴ longi, valde compressi, parte styli infera rostrati. Semina squalide fusca, plana, anguste concolori-alata.—*Grevillea striata* a terra Arnhemi usque ad flumina Darling's River, Bogan, Castlereagh's River et urbem Rockhampton extendit. Arbor 40′ v. humilior. Cortex nigrescens, sulcatus. Racemi 2–4″ longi, spiciformes, paniculati. Calyx ex albido pallide flavidulus, 2–3‴ longus, extus sericeo-canescens. Stylus albidus, 3‴ longus, deciduus. Cicatricis forma variat. Huic conjungo G. lineatam, quum etiam interstitia nervis ter latiora sint in speciminibus Arnhemicis, quibus insuper nervi interdum novem. Fructus obliquo- v. rhombeo-ovatus, fere

lateraliter apiculatus, satis compressus, 6–8‴ longus, lævis, coriaceus, haud lignescens. Semina plana, anguste alata. Arbor gummi (Pinta nativorum) exsudit.—*G. mimosoides*, me ipso observante, a fluvio Victoriæ ad Carpentariam extendit. Flores recentes albidi, exsiccatione flavidi. Fructus usque pollicem longus. Folia verticalia, nitoris expertia, ad 4″ longa, ad 2″ lata. Racemi paniculati, patentissimi, 2–4″ longi, centripeti. Pedicelli 2‴ longi, passim solitarii. Calyces e viridulo ochroleuci, fere 5‴ longi, glaberrimi.

G. pterosperma (G. sericostachya, Meissn. in Hook. Journ. 1852, p. 186, absque diagnosi) nunc etiam nota est e vicinia fluviorum Lachlan's River et Murrumbidgee. Bracteolæ ovato-lanceolatæ, acuminatæ, 3‴ longæ, cito deciduæ.

Grevillea polystachya a terra Arnhemi usque ad urbem Rockhampton invenienda est. Arbor minor. Lignum durum. Cortex nigrescens, rugosus. Racemi erecti. Stigma nunc magis terminale, nunc magis laterale. Glandula sæpe annularis et parum obliqua. Capsula oblique ovata, paulo lignescens, $\frac{2}{3}$–1″ longa, interdum parte styli inferiore rostrata, semper lævis. Semina ovato-orbicularia, plana, 4–5‴ longa; ala 1–1$\frac{1}{2}$‴ lata.

G. Chrysodendron a fluviis Suttor's et Burnett's River usque ad flumen Glenelg's River vergit. Cortex fusco-nigrescens, rugosus. Lignum durum. Longitudo pedicellorum variabilis. Calyces intus aurantiaci, raro albidi. Stylus persistens. Fructus haud lignescens.

G. Banksii vidi a sinubus Wide Bay et Keppel-Bay et a fluvio Cape's River. Attinet altitudinem 30′. Calyces viridi-albi. Stylus persistens. Semina 3–4‴ longa, anguste ellipsoidea, extus turgidula, undique margine membraneo plano tenero pallescente fere lineam lato cincta. Bauer Illustration. t. 9.

G. gibbosa a fluvio Suttor's River usque ad promontorium Cape York extendit. Frutex altior v. arbuscula. Folia occurrunt late ovata et peranguste lanceolata. Calyces tenuiter appresso-pubescentes, 2–3‴ longi, breviter pedicellati. Stylus semipollicaris, cum germine glaber. Fructus subrotundus, crasso-lignosus, sæpe 1″ excedens. Semina addito margine latissimo membraneo pollicem longa et lata, orbiculata.

G. Alphonsiana e fragmentis mihi Walcottio transmissis ad originem fluminis Murchisoni reperienda est.

G. robusta a sinu Wide Bay usque ad flumen Richmond's River extendit. Pedicelli rubri, apice incrassati. Sepala superne flava, inferne intus suturate rubra. Stylus aureus, longe exsertus. Fructus non lignosus, stylo terminatus, latere ventrali dehiscens.

G. heliosperma per totam terram Arnhemi invenitur. Arbuscula v. frutex elatus. Fructus profunde bivalvis, uncialis v. paulo major, osseo-lignosus, rotundus, leniter compressus, basi styli rostellatus. Cavitates valvarum centrales nucleis respondentes parce pulposæ. Membranula endocarpii tenera inter semen et pulpam

sita. Semen 3–4‴ longum, fere rotundum, latere exteriore conspicue convexum. Ala plana, pallida, 3–4‴ lata, pertenera. Calyx cum pedicello stylo et germinis stipite amœne ruber, apice virens.

G. longistyla variis locis a pyramidibus Australiæ et fluvio Burnett's River usque ad flumen Flinders's River crescit. Frutex usque 12′. Fructus turgide ovatus, durus, non revera lignescens, ½″ longus, stylo denique defrangente breviter rostratus. Pellicula cavitatem vestiens. Semina anguste alata, mox aptera, 3‴ longa, ellipsoidea, plano-convexa. Hæc planta simul cum G. neglecta formam ut videtur extremam G. venustæ exhibet.

Grevillea Goodii a fluvio Cape's River usque ad oras boreales terræ Arnhemicæ vergit. Frutex interdum erectus et tunc pluripedalis. Folia usque 8″ longa. Flores amœne rubri. Stylus persistens. Carpidium oblique et turgide ovatum, non lignescens. Semina oblonga, saltem juventute anguste alata.

Grevillea macrostylis in plaga sabulosa Eyre's Sandplain fruticem 5 pedalem sistit. Mxw.

Grevillea brachystachya ad fluvium Murchisoni extendit. Pedunculus fructifer sesquiuncialis v. sæpe brevior. Pedicelli 4–6‴ longi. Carpidium stylo terminatum, fere unciam longum, basi apiceque breviter umbonatum, cetero oblique ovatum, glabrum, læve, lignescenti-crustaceum. Semina ½″ longa, ovalia, plano-convexa, aptera.

Grevillea Endlicheriana exhibitur planta Drummondi 630. Bracteolæ lanceolatæ, acuminatæ, parce sericeæ, tarde deciduæ, circiter 2‴ longæ.

Grevillea pauciflora ad sinum Spencer's Gulf et montes Russell's Range in tractu granitico occurrit, et forsan plagas amplas interjacentes similibus locis occupat. Frutex paucipedalis. Carpidium ovali-ellipsoideum, ½″ longum, basi et apice acutiusculum, undique læve, stylo brevi terminatum.

Grevillea confertifolia variat foliis acicularibus divaricatis circiter ½″ longis, floribus forma normali brevioribus, in insula Kangaroo-Island (Waterhouse), ad sinum Spenceri (Warburton).

Grevillea trinervis habitat ad flumen Clarence-River, ubi Doctore Beckler reperta. Carpidium ovato-ellipsoideum, ½″ longum, acutum, coriaceum, stylo persistente terminatum, non distincte costatum. Semina vix 3‴ longa, semitereti-ellipsoidea, marginibus recurvata, altera extremitate appendiculam membraneam gerentia.

Grevillea argyrophylla foliis variat ex parte profunde trilobis. Fructus stipiti sesquilineari gracili tentus, oblique ovatus, circiter 4‴ longus, turgidus, stylo tenui bilineari terminatus, basim versus sensim dilatatus, undique fere lævis. Semina 2–3‴ longa, anguste ellipsoidea, margine recurvata.

Grevillea aspera ad montes Gawler's Ranges reperiebatur Doctore Rich. Sullivan. Calyx extus intense purpureus. Stylus

brevis, crassus, viridis, cum germine glaber. Folia e forma lanceolato-ovata in linearem vergunt. Variat etiam foliis acutis et racemis sesquipollicaribus.

Grevillea nudiflora, abs qua G. pedunculosa specifice non distinguenda, crescit in montibus Stirling's Range, East Mount Barren, Eyre's Range, Fitzgerald's Range. Frutex diffusus. Calyx læte ruber. Huic speciei pluribus notis accedit G. plurijuga.

Grevillea Pinaster, etsi foliis indivisis insignita, ad G. Preissii valde approximat. Riparum fluminis Murchison's River incola.

Grevillea Preissii a beato Wuerth in deserto dumoso ad fluvium Murray's River collecta fuit.

Grevillea Huegelii certe includit G. rigidissimam, etsi ambæ in prodromo Candolleano ample separatæ. Cum pluribus aliis plantis eremicolis a fluvio Lachlan's River usque ad regiones Australiæ occidentales vergit. Proxima forsan G. Baxteri. Sectio generis Plagiopoda nimis artificialis abolenda.

Grevillea Lindleyana ad flumen Canning's River fruticem 3–4′ altum sistit, cujus flores rubri.

Grevillea annulifera ad G. leucopteridem et G. asparagoidem appropinquat.

Grevillea acanthifolia producit ad originem fluminis McLeay's River varietatem stenomeram.

Grevillea longifolia crescit ad Moreton's Bay fide speciminis collectionis Leichhardtianæ.

Grevillea ilicifolia gignit in monte Ariples varietatem angustilobam, foliis pinnatipartitis, lobis linearibus. Fructus ovatus, turgidus, 4–6‴ longus, lignescenti-crustaceus. Semina oblongo-ellipsoidea, 3–4‴ longa, dorso nigra, lævia.

Grevillea bipinnatifida est planta Drummondi 632. In collibus rupestribus ad flumen Blackwood's River fruticem format 3–4′. Calyx ruber.

Grevillea concinna, nisi fallor, includit G. coccineam et G. Hewardianam. A fluvio Gardner-River usque ad Bremer-Bay extendit. Bracteolæ subulato-semilanceolatæ. Drumm. 40.

Grevillea tetragonoloba ostendit fructum coriaceo-crustaceum, ovato-ellipsoideum, lævem, e sericeo glabrescentem, apice sensim acutatum, stylo diu terminatum, circiter $\frac{2}{3}$‴ longum. Ad flumen Gardner-River et in insula Doubtful Island fruticem circiter quinquepedalem sistit. Ad fluvios Fitzgerald- et Phillips-River occurrit varietas foliis indivisis. A Gr. concinna distat præter alias notas bracteolis rhombeo-deltoideis. Huic G. Hookeriana valde affinis.

Grevillea plurijuga maturat fructum gibboso-ovatum, circiter $\frac{2}{3}$″ longum, granulato-tuberculatum, infra dorsi apicem subito ampliatum, stylo terminatum.

Grevillea ctenophylla fruticem paucipedalem diffusum v. prostratum ad flumen Phillips-River format. Calyx roseus. Fructus

crustaceus, paulo lignescens, globoso-ovatus, vix $\frac{1}{2}''$ longus, areolato-angulatus, stylo terminatus, sursum præcipue turgens. Hæc planta occurrit foliis ex parte bipinnatisectis.

Grevillea tripartita invenitur in collibus arenosis ad rivum Phillips-River. Frutex 3–5′.

Grevillea quercifolia melius ad seriem Calothyrsi, quam ad eam Calogynes pertinet. In collibus petræis ad montem Barkeri me ipso reperta; ad fluvios Vasse- et Blackwood-River ab Oldfield; ad oppidum Bunbury a Campb. Carey. Folia usque semipedem longa. Flores purpurei.

Grevillea eriostachya ad fluvium Murchisoni fruticem 3–6′ sistit, cujus flores aurantiaci.

Grevillea Candolleana producit fructum pedicello $\frac{1}{2}$–1″ longo tomentoso impositum, turgide oblongo-ovatum, obtusum, semipollicarem, e tomentello glabrescentem, stylo terminatum. Seminum margo reflexus.

Grevillea Brownii, me ipso observante, occurrit in montibus Porongerup vicinisque locis. Carpidium pedicello paucilineari pilosulo impositum, crustaceo-coriaceum, vix semipollicare, ovali-ellipsoideum, acutiusculum, parce pubescens, stylo terminatum. Margo seminum reflexus. Huic G. brachystylis cognata et G. fasciculata. G. Meissneriana, quæ G. fasciculatæ nimis propinqua, ad Cape Riche, Porongerup et Stirling's Range obvenit. Frutex paucipedalis.

Grevillea phylicoides nunc nota est a flumine Clarence's River usque ad silvas Illawarræ. Confluere videtur cum G. buxifolia et G. sphacelata.

Grevillea triloba reperitur ad flumen Murchisoni. Plantam nunc ad Manglesiæ sectionem traduco. Rachis tomentosa. Racemi corymbosi, multiflori. Bracteolæ subulato-lineares, lineam longæ, dorso tomentellæ. Pedicelli glabri, capillares, semipollicares v. breviores. Calyx extus glaber, 2‴ longus, æqualis, inferne modice turgens, collo contractus, apice globosus. Glandula hypogyna truncata. Stipes germinis brevis. Totum pistillum glabrum, sesquilineare. Stylus supra basim pertenuem strumosus. Stigma tenui-conicum. Carpidium crassiuscule crustaceum, circa 4‴ longum, turgide ovatum, tuberculato-rugosum. Semina utroque latere convexa, oblongo-ovalia, 3‴ longa, aptera.

Grevillea acrobotrya maturescit carpidium ovatum, 4‴ longum, crustaceum, supra basim pedicellatum.

Grevillea biternata ad sinum Champion-Bay altitudinem 15′ attinet. Flores albidi.

Grevillea vestita reperitur usque 8′ alta. Flores etiam hujus albidi.

De Grevillea alpina et G. rosmarinifolia, quæ eximie variabiles, sicut de pluribus aliis congeneribus alio loco agam.

Hakea grammatophylla.

Grevillea grammatophylla, F. M. Fragm. v. 25.

Arborescens, ramulis validis cito glabratis, *foliis lato-linearibus elongatis plurinerviis* rigide coriaceis integerrimis subtilissime sericeo-pubescentibus v. glabrescentibus, *racemis longiusculis* dense multifloris, rachi saltem inferne tomentosa, calycibus purpureo-rubris pedicello bis terve longioribus quocum glabris, *stigmate tenui-conico*, germine fere sessili styloque glabris, capsula pæne ovata acutiuscula erostri medium versus gibboso-turgente, ala seminum ad latus nuclei inferum decurrente.

Ad Central Mount Stuart, J. M. Stuart ; in montibus Gawler-Ranges, Dr. R. T. Sullivan ; in vicinia portus Lincoln, Max. Weidenbach.

Folia usque 8″ longa ; nervi 5–7 utrinque æquales, tenues, immersi ; medius passim prominens. Bracteæ super inflorescentiam perjuvenilem imbricatæ, rhombeo-ovatæ, cano-tomentellæ. Racemi longitudinem 4″ attinentes. Bracteolæ nullæ nisi caducissimæ. Pistillum læte rubrum. Glandula hypogyna obverse deltoideo-cordata. Capsula separate a cl. Weidenbach missa, in modum congenerum lignosa, $\frac{2}{3}$″ longa, supra medium utriusque lateris subito contracta, non tuberculata. Seminum nucleus 2‴ longus v. paulo longior, satis lævis, cum ala niger ; pars alæ super nucleum sita 3‴ metiens.

Floret Augusto, Septembre.

Hakea orthorrhyncha.

Ramulis cano-sericeis, *foliis elongatis linearibus vel filiformibus indivisis vel simpliciter vel furcato-pinnatilobis subtus unisulcis*, fasciculis sessilibus paucifloris cano-sericeis, pedicellis calyce brevioribus, stylo longe exserto, *stigmate laterali*, *fructibus magnis turgenti-ovatis ecalcaratis lævibus in acumen longum fere rectum sensim attenuatis*, ala acuminata nucleo tuberculato aliquoties longiore ad ejus latus exterius et basim ample decurrente ejusque latus alterum angustius cingente.

In rupibus ad flumen Murchisoni. Drumm. et Oldf.

Frutex paucipedalis. Rami validi. Folia 4–6″ longa, in basim sensim leniter angustata, margine obtusa ; segmenta 2–3 vel plura, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$‴ lata, apice sphacelato-mucronulata. Fasciculi florum axillares et ramei. Pedicelli bilineares vel breviores. Sepala, si curvaturam addas, circiter 4‴ longa. Stylus gracilis, uncialis. Germen perbreviter stipitatum, glabrum. Stigma ovale. Fructus $1\frac{1}{3}$–2″ longus. Nucleus cum ala ut in plerisque congeneribus nigrescens.

Hinc ad H. trifurcatam et H. suaveolentem, illinc ad H. Candolleanam quibusdam notis accedens.

Hakea Candolleana inter planifolias retinenda est. Crescit ad oppidulum Hamden. Huc duco plantam Drummondi 331, quam cl. Meissner dubie ad H. flexilem duxit. Capsula lævis, semiorbiculari-ovata, 1″ longa, ecalcarata, sed apice in acumen reversum producta. Nucleus alam semiæquans, extus tuberculato-asper. Ala nigrescens, semiorbicularis, supra basim nucleum includens, eum etiam lateribus cingens. Cl. Oldfield a flumine Murchisoni attulit plantam similem, foliis omnino planis 2–4″ longis circiter 2‴ latis, fructibus majoribus. Flores autem non accepi.

Hakea pycnoneura ad flumen Murchisoni viget. Frutex 2–3′. Folia usque ad 5‴ lata. Fasciculi dense multiflori. Pedicelli 2‴ longi, cum calycibus et pistillis glabri. Sepala 3‴ longa, apicem versus alba, basin versus purpurea (annotante Oldfield). Stylus ½″ longus, glaber, tenuis. Stigma tenui-conicum. Germinis stipes perbrevis.

Hakea oleifolia a fluvio cygnorum ad sinum Regis Georgii vergit. Arbor usque ad 30′ alta, nisi frutex elatus. Sepala alba.

Hakea lasiantha sub 16, 21 et 96 in collectione Drummondi militat. Frutex usque 12-pedalis. Folia in iisdem ramis valde varia. Seminis nucleus apterus, extus tuberculato-asper. Ala verticalis pallidiuscula, saltem non atra, nucleo duplo longior, valvam latitudine æquans. Variat foliis abbreviatis, tantum ½–1″ longis, omnibus ovatis, ad flumen Gardner's River. Textura alæ seminis in omnibus Hakeis sat similis, ab ea plerarumque Grevillearum diversa. Ala e testa producitur. Nucleus semper inæquilaterus, nunquam in modum Grevillearum utraque extremitate æqualis. Valvæ fructus in Hakeis semper in Grevilleis perraro disjunctæ.

Hakea multilineata jam inflorescentia ad H. grammatophyllum approximat. Flores (antea ignoti) in racemos sessiles bipollicares vel breviores dense conferti, rubicundi, glabri. Pedicelli 1–2‴ longi. Calyces tota longitudine vix 3‴ tenentes. Germen perbreviter stipitatum. Stylus semipollicaris. Stigma conico-cylindricum.

Hakea dactyloides a montibus Grampians in Novam Angliam vergit. Species eximie varia, ut videtur H. ulcinam et H. carinatam amplectens. Vidi enim folia H. ulicinæ nunc usque ⅔″ lata, nunc perangusta et triquetra. Quædam varietas quoad folia non longe a H. microcarpa distat. Fructus magnitudine variabilis, modo obtusior, modo acutior. Ad hanc speciem forsan porre pertinet quædam Hakea, ad Rockingham's Bay detecta, cujus folia magna sæpe septemnervia. H. ulicinam in insula Flindersi reperit cl. Dr. Jos. Milligan. Conf. Papers and Proceedings of the Roy. Soc. of Tasmania, 1868, p. 12. Hæc etiam sinum Sti Vincenti attinet. Flores albidi.

Hakea flexilis, quæ interdum 20′ alta, ad H. ulicinam valde approximat. In insula Kangaroo-Island, ad flumina Darling's et Murray's River occurrit.

Hakea trineura (Fragm. iii. 146) prope Rockhampton foliis quinquènerviis variat. Fructus pollice paulo longior, oblique ellipsoideo-ovatus, erostris, lævis, supra medium leniter compressus. Cavitas valvarum immarginata. Semina non vidi; sed ala non decurrit secus nucleum, e adspectu paginæ interioris valvarum. Folia minus eminenter nervosa, quam ea H. dactyloidis.

Hakea undulata producit varietatem foliis anguste lanceolatis. Flores albi. Fructus apice rostrato-attenuati, longitudine $\frac{1}{2}$–1″ varii.

Hakea pandanocarpa flores gignit iis H. crassifoliæ similes, corymbosi v. breviter racemosi, nunquam ad fasciculum reducti. Sepala extus cum pedicellis argenteo-sericea, intus ut in fere omnibus Hakeis glabra, 4–5‴ longa, si extensa. Pistillum vix semipollicare, omnino glabrum. Germen brevissime stipitatum. Stigma orbiculari-ovatum, muticum, oblique laterale. Frutex pluripedalis. A sinu Stokes-Inlet usque ad promontorium Cape Arid, nec non in montibus Russell-Range viget. Maxw.

Hakea crassifolia altitudinem 15′ ad Kalgan et Stirling's Range attinet. Crescit etiam ad East Mount Barren. Sepala intus alba. Ala seminum pallida, fere hyalina.

Hakea Hookeriana arborem parvam 20′ altam format ad East Mount Barren. Maxw.

Hakea elliptica variat foliis tantum 4‴ latis. Flores cum pedicellis puro-albi.

Hakea marginata promontorio Cape Le Grand tenus occurrit.

Hakea clavata provenit ad Cape Arid. Maxw.

Hakea corymbosa mire Lambertias simulat. Legi plantam in montibus Stirling's Range. Frutex 3–5′. Flores flavidi, umbellati sive fasciculati, haud corymbosi. Ala seminum acuta, secus marginem exteriorem nuclei late decurrens, anguste autem secundum marginem interiorem. Plantam similem ni conspecificam foliis trinerviis latioribus, sed floribus fructibusque minoribus insignem, accepi a sinu Esperance-Bay et promontorium Cape Arid. Hæc planta fortasse ad H. tricostatam pertinet.

Hakea eucalyptoides e vicinia sinus Stirling's Range vergit ad Cape Arid. Arbor 30′ vel humilior, celeriter crescens. Ad sinum Regis Georgi non occurrit.

Hakea cucullata me ipso visa ad flumen Kalgan et in montibus Stirlingi. Frutex pluripedalis. Calyces cum pedicellis rosei, apice pallescentes. Stylus albidus.

Hakea conchifolia in plagis arenosis ad rivum Hilli fruticem paucipedalem sistit.

Hakea repanda a monte West Mount Barren usque ad tractum Stirling's Range invenitur. Frutex elatus. Folia nunc magis cordata, nunc magis lanceolata. Calyx albidus.

Hakea smilacifolia, quæ planta Drummondi 97, vix altitudinem 4 pedum excellit.

Hakea eriantha nunc nota est e Nova Anglia, a fluviis Tambo, Mitta-Mitta, Genoa. Regiones minus calidas minusque aridas amat. Sepala alba.

Hakea saligna, quæ Brownio primum nominata, nascitur in Nova Anglia. R. Brown in Transact. Linn. Soc. x. 185 Australiam occidentalem quam hujus speciei patriam annotabat. In omnibus autem prodromi editionibus (videlicet originali, Isidis et Neesii) Australiam orientalem ac plantæ patriam agnovit.

Hakea florulenta, quæ forsan cum H. mimosoide confluit, fructu magis H. erianthæ, floribus autem magis H. salignæ convenit, crescit in silvis Araucariarum pone sinum Moreton's Bay. Corolla albida. Fructus eximie compressi.

Hakea microcarpa ex Australia felice et summis Alpibus Australiæ vergit in Novam Angliam et flumine Clarence-River tenus. Frutex usque 8′ altus. Variat foliis omnibus planis.

Hakea nitida, cui H. pycnobotrys adducenda, crescit ad Esperance et South-West Bay sicut ad East Mount Barren ; Maxw. Frutex pluripedalis. Ala obtusa, secus marginem exterius nuclei lævis late decurrens, marginem ejusdem interius anguste cingens.

Hakea auriculata folia exhibet superiora lobis angustis utrinque solitariis fere cruciformia. Alæ latitudine valvas æquant, canofuscæ. Nucleus tuberculato-rugosus, undique sed superne extensius alatus.

Hakea amplexicaulis totum tractum inter sinum regis Georgii et flumen Murchisoni quibusdam locis occupat. Frutex usque 15′. Calyx albidus.

Hakea ceratophylla me ipso visa ad flumen Kalgan et in montibus Stirling's Range. Frutex pluripedalis. Stylus viridis. Drumm. 16. Forma extrema apparet H. laciniosa. Variat passim foliis filiformi-linearibus integerrimis.

Hakea pugioniformis occurrit a montibus Grampians usque ad flumen Hastings-River. Flores albidi, suaveolentes. In alpibus Australiæ vidi varietatem floribus minoribus, stigmate conico-rostellato.

Hakea semiplana forsan veram H. nodosam Brownii ad portum Phillipi collectam repræsentat. Planta occidentalis Meissneri omnino alia. Flores flavi, nunquam albi ut ii H. ulicinæ, quam speciem R. Brown H. nodosæ affinem dicit. Stigma depressum, muticum.

Hakea cycloptera hucusque tantum a sinu Spenceri cognita. Fasciculi axillares, glabri. Pedicelli calyci longitudine æquales, 2‴ longi. Stigma oblique depressum, breviter cuspidulatum. Fructus 1–1½″ longi, breviter bicalcarati, ovato-globosi. Semina verrucosa.

Hakea brachyptera folia habet usque 4″ longa. Fasciculi (antea indescripti) pauciflori, sessiles, passim ad unicum florem reducti.

Pedicelli calyci æquilongi vel breviores, cano-sericei. Sepala etiam extus sericea, circiter 2‴ longa, valde curvata. Stylus lineam paulo excedens, glaber. Stigma valde depressum, fere orbiculatum. Ala interdum longitudine nuclei.

Hakea Lehmanniana e plantis Drummondi 178, 273 exhibet folia trigono-filiformia, leniter canaliculata, basi triangulari paulo decurrentia. Receptaculum fasciculorum barbatum. Pedicelli calycem vix æquantes, quocum glabri. Sepala 2‴ paulo excedentia. Stylus glaber, circiter 3‴ longus. Stigma conico-cylindricum. Semen basi anguste alatum. Frutex paucipedalis, in montibus Stirling's Range et ad rivos Tone-, Gordon-, Franklin- et Salt-River proveniens.

Hakea verrucosa pluribus notis H. circumalatæ cognata est. Fructus valvas nunc vidi ad apicem breviter conico-calcaratas et dorso passim lævigatas. Locus natalis manet ignotus.

Hakea recurva reperitur ad flumen Murchisoni.

Hakea rostrata a sinu St. Vincent's Gulf extendit ad montes Grampians et sinum Portland Bay. Occurrit quoque in insula Kangaroo-Island. Frutex 2–5′. Flores albi, valde fragrantes. Stigma depressum, breviter rostellatum. Huc fortasse H. Pampliniana pertinet.

Hakea rugosa, speciei antecedentis comes, in eremum ad flumen Murray extendens. Stigma terminale, pyramidato-conicum. Si inter Grevilleas stigma conicum valoris sit sectionalis, tunc etiam Hakeæ conogynæ in sectionem separari possint. Huic speciei et antecedenti finitima H. Epiglottis.

Hakea gibbosa gaudet calyce et stylo flavescentibus, qua nota jam a H. aciculari distat. Hanc plantam in Australia felice nondum reperi.

Hakea lissosperma ad fontes alpinos fluminis McAllister-River me ipsa lecta est ; ibi arbusculam 20′ altam sistit. Sequenti valde cognata.

Hakea acicularis occidentem versus ad montes Grampians migrat. Frutex usque 15′ altus. Folia usque 4″ longa. Flores roseo-albi. Stigma depressum, paulo laterale, mucronulatum. Fructus $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$″ longi. Forsan in insula Kingii invenienda.

Hakea obliqua, quatenus plantæ saltem Drummondi conveniens, ad promontorium Cape Paisley fruticem humilem format. Occurrit etiam ad Cape Le Grand et Orleans Bay (Maxw.), ubi folia paulo crassiora. Sepala intus albida. Capsula 1″ longa, ovata, apice acutata, ecalcarata, dorso valvarum rugato-turgescens. Nucleus verrucoso-rugosus, lateribus basique anguste alatus. Ala e cano nigrescens, superne fere semilanceolata et valvæ pæne æquilata. Ab hac specie quadam planta, ad Russell's Range et Esperance-Bay collecta, differt foliis in basim attenuatis, mucrone eorum curvato, glandula hypogyna breviore, fructibus latioribus, alis valva duplo angustioribus, valvis margine superiore compressis.

Hæc nominis H. lativalvis digna. Crescit tam in locis arenosis, quam in calcariis.

Hakea Meissneriana gaudet stigmate conico. Capsula $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}''$ longa.

Hakea strumosa crescit ad montem Bland et ad Esperance Bay. Maxw. Frutex 2–6′. Fasciculi glabri. Pedicelli calyci fere æquilongi. Sepala, si curvaturam addas, 2‴ longa. Pistillum fere 3‴ longum. Stigma orbiculare, depressum, laterali-terminale.

Hakea commutata (Fragm. v. 26; H. nodosa, Meissn. non R. Br.) folia gerit quasi petiolata. Pedicelli glabri. Ad rivum Phillip's River; Maxw.

Hakea Preissii a frutice paucipedali ad arborem 30′ crescit. A tractu Darling's Range saltem usque ad Jarranup extendit. Folia 1–1$\frac{1}{2}''$ longa. Flores fasciculati. Pedicelli 3–4‴ longi, pilosuli. Sepala 2‴ longa, parcissime sericea. Germen perbreviter stipitatum, cum ceteris pistilli partibus glabrum. Stylus fere 4‴ longus. Stigma parvum, convexum, rotundum, diagonale. Glandula hypogyna conspicua, semiovata.

Hakea circumalata, ad flumen Murchisoni crescens, capsulam ostendit quidem acuminatam, sed nullo modo calcaratam. Ala haud nigrita, sed potius fusco-cinerea.

Hakea leucoptera includit H. strictam, H. Kippistianam, H. longicuspidem et forsan pro parte H. patulam. A flumine Lachlan's River ad Maranoam, Cooper's Creek et Australiam occidentalem vergit, fortasse per omnes desertos Australiæ magis centralis extendens. Aqua e radice fracta effluit. Arbor sæpe calcicultrix, altitudinem 30′ attinens. Mucro foliorum rectus v. curvatus, magis minusve elongatus. Sepala initio alba, denique flavido. Testa nuclei latere interiore pallida, exteriore satis nigrescens. Ala autem pallore insignis. Species variat foliis præcipue junioribus tenui-pubescentibus. Planta Drummondi exacte eadem; ala enim nullo modo secus nucleum decurrit. Speciem H. leucopteræ simillimam, foliis tenuioribus, fasciculis quam in H. rostrata cupreo- v. argenteo-sericeis sessilibus v. brevi-pedunculatis non racemosis, calycibus majoribus brevius pedicellatis, sed vix aliis notis diversam forsan ad H. vittatam trahere possis. A Streaky Bay ad Wimmeram et Warrego vergit.

Hakea sulcata mihi nota est a sinu Regis Georgi et a rivo Hill-River. Stigma conicum.

Hakea subsulcata forsan exstat sub num. 15 et 16 inter plantas Drummondi. Fructus singulariter in modum quarundam Eucalyptorum conferti.

Hakea varia nascitur usque ad promontorium Cape Paisley; Maxw. Frutex 1–3′. Drumm. 197. Ab hac specie H. tuberculatam separare nequeo.

Hakea lissocarpha cognita a toto tractu inter fluvios Kalgan et Murchison's River sito. Segmenta foliorum lateralia passim triloba.

Frutex humilis. Flores albidi. Huic H. bipinnatifida proxime cognata. Ambæ Maglesias simulant.

Hakea erinacea gaudet ea insigni nota, quod flores non raro solitarie appareant. Folia passim indivisa.

Hakea suaveolens altitudinem saltem 10 pedum attinet. Occidentem versus Cape Arid, Cape Le Grand et Eyre's Range attinet. Maxw. Aberrat foliis simplicibus et bipinnatisectis.

Hakea trifurcata a sinu Regis Georgi ad flumen Murchisoni vergit. Frutex pluripedalis. Huc plantæ Drummondi 17 et 94 spectant.

Xylomelum angustifolium (Kipp. in Hook. Journ. 1852, 209) occurrit ad flumen Murchisoni. Spicæ 2–4″ longæ, breviter pedunculatæ, dense multifloræ. Flores sessiles, circiter 3‴ longi, extus cano-sericei ; imi qualiscumque spicæ tantum fertiles ; ceteri steriles etsi bisexuales. Stylus circiter 2‴ longus, florum fertilium crassior et saltem inferne cum germine sericeo-pubescens, florum sterilium glaber et capillaris. Stigma illorum clavato-ovatum, horum filiformi-clavatum.

Xylomelum pyriforme in montibus Blue Mountains passim folia sparsa et ternata ostendit.

Xylomelum Scottianum nuper accepi a plaga Darling's Downs et a rivo Dogwood-Creek. Variat passim foliis lato-lanceolatis et rarissime apice breviter dentatis. Fructus 2″ longi, supra medium in apicem sensim angustati, fere glabri. Seminum nucleus rhombeo-ovatus, flavescens, vix $\frac{2}{3}$″ metiens ; ala unciam paulo excedens, falcato-semilanceolata, pallide flavida.

Persoonia acicularis.

(Sect. Leptostylis.)

Fruticulosa, *foliis lineari-subulatis utrinque tenuiter bisulcatis* floribusque glabris, pedicellis calyce paulo brevioribus, sepalis acutis æqualibus, staminibus infra medium calycis insertis, *antheris muticis* parum ultra medium sepalorum extensis, pistillo glabro, stylo subulato, stigmate minuto.

In planitiebus arenosis ad fluvium Murchisoni. Oldf.

Fruticulus tantum pedalis, quantum notus. Rami densiuscule pubescentes. Folia conferta, $\frac{1}{2}$–1″ longa, vix semilineam crassa, valde patentia, pungentia, secus margines et axim turgidula, quo modo utrinque bisulculata. Calyces fere semipollicares ; inexpansi supra basim obtusam paulo constricti, a strictura ad apicem conico-cylindrici. Antheræ lineam paulo excedentes. Stylus 2‴ longus. Fructus ignotus.

Convenit foliis et plerisque aliis organis cum P. sulcata ; recedit attamen calycibus basi magis turgentibus et præsertim antheris connectivo haud conspicue superatis. Ultimo charactere ad P.

juniperinam tendit, ample autem divergens foliis striatis, pedicellis longioribus glabris, filamentis abbreviatis.

Persoonia brachystylis.

(Sect. Pycnostylis.)

Fruticosa, erecta, *foliis anguste lanceolato-linearibus uninerviis* rigidis acutis mox glabris sensim in basim angustatis margine planis v. lenissime recurvis, *floribus sericeo-pubescentibus* axillaribus solitariis, pedicellis flore paulo v. dimidio brevioribus ramulisque velutino-tomentosis, *sepalis æqualibus*, staminibus prope medium calycis insertis ejus apicem attingentibus, *antheris brevissime obtuseque appendiculatis, germine sessili styloque brevissimo glabris*, drupa oblique ellipsoidea curvato- et brevi-acuminata.

Ad flumen Murchisoni in plagis arenosis. Oldf.

Frutex pluripedalis, Lambertiæ facie. Folia $1\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}''$ longa, curvato-adscendentia, margine leniter incrassata, utrinque nitentia, apicem versus $1\frac{1}{2}$–$2'''$ lata. Calyces 4–$5'''$ longi, fere cylindrici. Antheræ fere $2'''$ longæ, crassiusculæ. Germen oblique conico-cylindricum. Stigma majusculum, pæne sessile. Drupa sicca $\frac{2}{3}''$ longa.

Persoonia arborea, secundum specimina a cl. C. Walther mecum communicata, pedicellos habet velutinos, axillares, solitarios, 1–$1\frac{1}{2}'''$ longos. Calyx luteus, 2–$3''$ longus, statu inexpanso fere cylindricus, non gibbosus, extus velutinellus. Sepala breviter cornuto-acuminata. Antheræ exappendiculatæ, $4'''$ longæ, tenuiter lineari-filiformes, ad trientem inferiorem calycis sessiles. Pistillum glabrum. Stylus tenui-filiformis, circiter $4'''$ longus.

Persoonia mollis in montibus Blue Mountains arborem parvam sistit.

Persoonia revoluta, a clar. C. Moore et W. Woolls a Berrima allata, vix $4'$ excellit. Variat foliis pollice brevioribus, oblongo-linearibus. Flores extus sericeo-pubescentes, 4–$5'''$ longi, in axillis confertis solitarii, dum inexpansi fere cylindrici. Antheræ exappendiculatæ, vix $1\frac{1}{2}'''$ longæ. Stylus 2–$3'''$ longus. Fructus ovato-globosus, siccitate $4'''$ longus. Huic speciei forsan jungendæ P. ledifolia et P. daphnoides, quæ omnes foliis subtus pallidis insignes.

Persoonia oxycoccoides, quæ eadem ac P. thymifolia, transmissa est e tractu Darling's Downs a cl. Lau.

Persoonia microphylla crescit ad Shoalhaven secundum cl. Rietmann.

Persoonia rigida altitudinem $15'$ attinet. Nunc nota est a monte Alexandri, sicut a variis locis inter Grampians et Castlereagh's River sitis.

Persoonia myrtilloides in montibus Nungatta-Mountains terræ Gipps-Land fruticem 5–8 pedalem efformat, cujus folia sæpe ovato-orbiculata.

Persoonia hirsuta, e regione montana nemorosa Illawarra Shepherdio allata, fruticulum 2–3′ sistit. Varietatem ovalifoliam e montibus Blue Mountains Ludovica Atkinson attulit.

Persoonia microcarpa me ipsa lecta est ad sinum King George's Sound. Antheræ lineam paulo excedentes, prope basim calycis fixæ, vix ejus medium attingentes. Stylus crassiuscule subulatus, nec ut in multis congeneribus setaceo-filiformis. Frutex 3–5′. Clar. Pemb. Walcott ad flumen Gardneri varietatem linearem foliis planis detexit. Loranthus Exocarpi simili modo folia nunc filiformia nunc omnino plana gignit.

Persoonia Fraseri antheras sesquilineam longas connectivo conspicue excurrente uncinatus exhibet.

Persoonia dillwynioides ad rivum Fitzgeraldi crescit. Fructus semiuncialis, oblique ovato-globosus, stylo tenui-subulato terminatus.

Persoonia graminea, planta Drummondi 2, ad Wilsou's Inlet extendit.

Persoonia elliptica (P. Laureola, Lindl. Bot. Reg. xxv. App. pag. 35) a flumine Harveyi usque ad sinum Wilsoni vergit. Frutex usque 20′. Flores foliis floralibus cadentibus vel ab initio deficientibus sæpe racemos secus ramulos constituunt. Folia passim rhombea, passim lanceolata.

Persoonia falcata racemos interdum in summitate ramulorum ad longitudinem 4″ extendit. Pedicelli tunc ad lineam abbreviati. Arbor minor usque 30′ alta, facie Acaciæ pycnanthæ. Ramuli et præcipue pedicelli nonnunquam velutinelli; hi calyci interdum æquilongi. Folia $\frac{1}{4}$–1″ lata, interdum fere pedem longa. Fructus ovato-globosus, $\frac{1}{2}$″ longus. Variat racemo tenui-pubescente. Totum Australiæ tractum calidiorem magis litoralem a Moreton-Bay usque Victoria River occupat.

Persoonia lanceolata et plures congeneres fructum mucilaginoso-pulposum apud nativas sub appellatione Gibong notissimum producunt.

Persoonia pinifolia in montes Blue Mountains vergit.

Persoonia acerosa ab Illawarra ad montes cœruleos crescit. Altitudinem 4′ raro excellit. Flores in axillis sæpe solitarii racemum foliatum constituunt.

Persoonia Chamæpithys septentrionem versus Nova Anglia tenus et ad sinum Moreton-Bay migrat. Fruticulus sæpe pedalis, prostratus.

Persoonia linearis a terra Gipps-Land flumine Hastings-River tenus procedit. Cortex scarioso-lamellosus, nitenti-rufus.

Persoonia nutans ab Illawarra usque ad Moreton-Bay occurrit. Persoonia juniperina passim altitudine 12 pedum excellit. In Novam Angliam progreditur. Folia sæpe canaliculata. Calyces nonnunquam glabri.

Persoonia longifolia in parte continentis austro-occidentali frequenter apparet, ubi Emu-Berry vocatur. Frutex ad 15′ altus.

Folia usque 9″ longa. Cortex lamellosus. Fructus fere globosi, semipollicares. Drumm. 89.

Persoonia striata mihi nota a flumine Gordon River et monte West Mount Barren (Maxw.) Frutex paucipedalis. Folia 1–1½″ longa, utrinque trinervia. Pedicelli calycem semiæquantes. Sepala circiter 4‴ longa, æqualia. Antherarum loculi perangusti, lineam vix excedentes ; connectivi apex semilinearis, recurvus. Stylus rectus, setaceo-subulatus, 2‴ longus. Fructus exsiccati ovato-globosi, vix ½″ longi.

Persoonia scoparia forsan ad P. teretifoliam reducenda est. Vidi plantam a fluminibus Fitzgerald's, Phillip's et Hay's River, nec non a promontorio Cape Riche. Frutex 4′. Fructus atro-cyaneus (in pluribus aliis lividus) ⅔″ longus, ovatus, oblique brevi-acuminatus. Antheræ infra medium sepalorum insertæ.

Persoonia hakeiformis ad flumen Murchisoni extendit fide Oldfield. Antheræ prope medium sepalorum insertæ, crassiusculæ.

Persoonia saccata (P. macrostachya, Lindl. l. c.) mihi transmissa ab amico Campb. Carey e vicinia fluvii Donally-River. Valde ad P. hakeiformem approximat, præsertim calyce lateraliter distinctius sacculato differt.

Persoonia Fraseri stamina prope basim sepalorum inserta habet. Frutex 3–4′. Varietatem foliis profundius sulcatis et pedicellis calyci æquilongis accepi e regionibus ripariis fluminis Murchisoni.

Symphyonema montanum a tractu Blue Mountains et fluvio Castlereagh's River cognosco.

Symphyonema paludosum a silvis Illawarræ et fluvio Bogan accepi.

Franklandia fucifolia orientem versus ad Eyre's Range et Lake Leven migrat. Frutex paucipedalis. Flores flavido-fulvi, 1–2½″ longi.

Strangea linearis in collectione Leichhardtii occurrit a Durval.

Molloya cynanchocarpa inter plantas Oldfieldii a valle Cockle-shells Gully adest. Flores quoque mihi incogniti. Glandula hypogyna fructus semiannularis. Semen pendulum.

Orites lancifolia, quæ a sequente diversissima, in montibus Baw-Baw folia passim antice dentata ostendit.

Orites excelsa magnitudine arboris 60′ se tollit ad flumen Bellinger's River observante Carolo Moore. Nota etiam a fluviis Hastings, Clarence, et Richmond's River, nec non a monte Lindsay. Folia rarius pinnato-quinquepartita observantur, interdum quoque longo-triloba.

Conospermum sphacelatum occidentem versus ad flumen Glenelgi spargitur.

Conospermum tenuifolium ad Illawarram dispersum vidit cl. Shepherd.

Conospermum patens a rivo Wimmera ad sinum Spenceri eremos dumosos evehitur. Insulam Kangaroo-Island intrat.

Conospermum bracteosum in vicinia fluminis Salt-River observavimus. Folia radicalia lato- v. orbiculato-ovata, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}''$ longa, pubescentia, petiolo paulo longiora v. breviore prædita.

Conospermum nervosum notavi foliis radicalibus oblongo-cuneatis bipollicaribus in petiolum longiusculum angustatis.

Conospermum flexuosum cognosco a Cape Naturalist, Vasse-River, Hay-River. Flores albidi.

Conospermum cæruleum legi ad sinum Regis Georgi et in monte Porongerup ; occurrit etiam ad flumen Vasse, notante Oldfield.

Conospermum triplinervium prope fluvios Salt- et Fitzgerald-River ad altitudinem 12′ surgit.

Conospermum teretifolium vidi in monte Barkeri 5′ altum.

Conospermum distichum trans montes Stirling's Range plures pedes altum reperi.

Conospermum amœnum ad flumen Kalgan vix altitudinem 2′ superat.

Conospermum taxifolium inter omnes species tractum maxime amplum occupat. A portu Jacksonii in terram Gipps-Land, Tasmaniam, Novam Angliam et regiones secus flumen Burdekin's River dispergitur.

Stenocarpus sinuosus ad centum pedes surrigit ad fluvios Tweed-, Richmond-, Brisbane-, Dawson-, et Burnett-River.

Stenocarpus salignus in vallibus profundis secundum flumen Richmond's River et sinum Port Macquarie ad altitudinem 150′ subrigitur, docente Carolo Moore. Varietatem brachycarpam, foliis lanceolato- v. lato-linearibus, e silvis Illawarræ cl. Shepherd attulit ; varietatem pinnatisectam ad Mount Warning detexit C. Moore. St. Moorei, quæ forsan varietas luxurians, nunc e nemoribus circum Rockingham's Bay sitis accepi.

Stenocarpus acacioides ad flumina Roper- et Liverpool-River nascitur.

Helicia ternifolia aberrat foliis passim oppositis et quaternis, rarissime quinis. Arborem hanc utilissimam et spectabilem passim 100 pedes altam nunc cognovimus a fluviis Clarence-, Richmond-, Dawson- et Burnett-River.

Heliciam prælatam ad flumen Brisbani detexit W. Hill.

Helicia ferruginea crescit usque Rockingham's Bay. Flores intus flavi sec. Dallachy.

Lomatia tinctoria jam anno 1837 a cl. Dr. Milligan reperta in insulis freti Bassii.

Fascicul. XLVIII. editus initio Decembris 1868.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XLIX.

Leguminosæ.

Crotalaria humifusa.

Grah. in Wall. Cat. 5421; Benth. in Hook. Lond. Journ. of Bot. ii. 476.

Suffruticosa, procumbens, villoso-pubescens, ramulis gracilibus teretiusculis, stipulis subulato-linearibus deflexis haud decurrentibus, *foliis lato- v. orbiculari-obovatis simplicibus brevissime petiolatis muticis, pedunculis folia longe superantibus apice bifloris v. racemoso-paucifloris*, bracteis bracteolisque subulato-linearibus magnitudine æqualibus, pedicellis calyce brevioribus, calycis parvi labio supero breviter bifido, labio infero tripartito, *corolla flava calycem vix superante*, vexillo fere orbiculato ecalloso alas breviter excedente carinam rostrato-attenuatam æquante, staminibus ultra medium disjunctis, stylo supra medium subtiliter pilosulo, germine plurigemmulato, *legumine ovato-ellipsoideo glabro calycem vix semisuperante* sessili..

In montibus Seaview Range apud Rockingham's Bay. Dallachy.

Folia usque pollicem longa, tenera, subtus pallidius virentia. Bracteolæ hypocalycinæ circiter lineam longæ. Calyx florifer vix 2‴ excedens, fructiger 3‴ metiens; laciniæ falcato-semilanceolatæ. Gemmulæ in germine sæpe decem. Legumen circiter 4‴ longum. Semina maturata haud exstant.

Planta Australiana ab Indica non recedere videtur. Pluribus etiam notis cum Cr. evolvuloide congruit.

Goodeniaceæ.

Scævola oppositifolia.

Roxb. Flor. Indic. 1824, vol. i. 148; 1832, vol. i. 528.

Procumbens, præter axillas barbatas glabra, *foliis magnis oppositis ovatis v. lanceolatis* acuminatis herbaceis remote denticulatis v. fere integerrimis breviter petiolatis, pedunculis oppositis

axillaribus trifloris v. cymoso-paucifloris, *calycis lobis lanceolato-linearibus tubo æquilongis, corolla extus glabra intus cum alis angustis fimbriolatis lutea*, tubo supra medium fauceque albo-barbatis, antheris imberbibus muticis, stylo glabro, germine biloculato.

In montibus litoralibus ad sinum Rockingham's Bay super rupes. Dallachy.

Rami teretes, internodiis $1\frac{1}{2}$–3″ longis. Petioli $1\frac{1}{2}$–3‴ longi. Folia 2–3″ longa, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ lata, subtus pallidius virentia; costa media satis valida; nervi laterales valde patentes, tenues. Pedunculi primarii $1\frac{1}{2}$–6‴ longi. Flores brevissime pedicellati v. sessiles. Calycis lobi sesquilineam longi. Corolla unilabiata, medio tenus lobata, $\frac{2}{3}$″ longa. Filamenta circiter 2‴ longa, glabra. Antheræ linea breviores, oblongæ. Stylus 3‴ metiens. Indusium dorso albido-barbatum, ore breviter denseque ciliatum. Gemmula e basi loculi erecta. Fructus ignotus.

Diagnosis Roxburghio promulgata quidem brevissima nostræ plantæ omnino convenit. Species, ut apparet, post tempora Roxburghii non iterum reperta, forsan nullibi in collectionibus hucusque exstabat. Planta suo habitu Catosperma valde simulat.

Leschenaultia oblata (Sweet Fl. Austr. pag. 26 et 46, t. 46; L. tubiflora, Vriese in Lehm. Pl. Preiss. i. 415 non Br.) specifice videtur separanda a L. formosa habitu erecto sæpe altiore interdum bipedali, foliis sicut calycis lobis longioribus glaucescentibus, corollis paulo v. conspicue majoribus igneo-aurantiacis non sanguineis, lobis superioribus evidentius alatis, staminibus dimidio stylo brevioribus, fructibus longioribus, seminibus non omnibus cubicis sed plurimis propria latitudine fere duplo longioribus. Hæc in locis arenosis a fluvio Kalgan usque promontorium Cape Arid reperitur, et in caldariis sub nomine L. formosæ sæpe colitur. Plantam, quam Sweet tab. 26 illustrabat, in ericetis sat uliginosis ad flumen Kalgan vidi. Differentiæ igitur supra traditæ forsan e rationibus geologicis ortæ. Definitio nimis brevis Brownii ambabus formis convenit. Preissius quoque distinctiones bene perspexit. Tabula etiam 916 operis Bot. Regist. mihi ad L. oblatam apparet trahenda sicut planta Drummondi 178.

Goodenia Bonneyana.

F. M. in Benth. Fl. Austr. iv. 69; G. arthrotricha, F. M. l. c. 62.

Pilis articulatis undique *glanduloso-hispidula, foliis linearibus* integerrimis, pedunculis axillaribus unifloris florem longitudine æquantibus vel paulo superantibus, *bracteolis longis linearibus* infra apicem pedunculorum sitis, *calycis laciniis tubo multo longioribus* late lineari-subulatis, corolla extus præter alas subtiliter pubescente, lobis omnibus late et fere æqualiter alatis, superiorum alis decurrentibus, antheris muticis, stylo villosulo, indusii dorso barbato,

capsula breviuscula ovata pleiosperma semiseptata, seminibus ovato-orbicularibus apteris.

In Australia occidentali. J. Drummond.

Species præclaro F. Bonney, assiduo plantarum eremicolarum collectori et observatori dicata est.

Goodenia leptoclada in montibus Stirling's Range variat foliis caulinis cordatis et bracteolis calyci adstantibus. G. micropteræ folia caulina inferiora invenio lanosa, lanceolata, 1–1¾″ longa, pedunculos inferiores interdum 2″ longos, prope medium raro bracteolis 2 linearibus brevibus instructos, corollam intus flavam. G. humilis varietatem pollicarem unifloram in insula Flindersi jam 1843 reperit cl. Dr. Jos. Milligan. G. calcaratam et Velleyam connatam cl. Dr. Rich. Sullivan a montibus Gawleri nuper misit.

Amarantaceæ.

Ptilotus alopecuroideus.

Trichinium alopecuroideum, Lindl. in Mitch. Three Exped. i. 13; Bot. Reg. xxv. 28; F. M. Rep. on Pl. of Babb. Exped. 19; T. Preissii, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 629; Moq. in Cand. Pr. xiii. div. ii. 295; T. candicans, Nees l. c. Moq. l. c.

Validus, caulibus erectis simplicibus rarius paucirameis superne aphyllis striatis, *foliis anguste lanceolatis v. superioribus linearibus* indumento crispulo articulato pilosulis margine crenulato-repandulis, *floribus dense spicatis majusculis, bracteolis orbicularibus muticis* bracteam ovato-cymbeam acutam æquantibus quacum glabris calyce ter brevioribus, sepalis prope apicem nudis, villorum articulis perbrevibus, nodis eorum denticulatis, staminibus inæquilongis, quinto sterili, stylo calycem æquante basim versus villoso.

In plagis arenosis amplissime per Australiam dispersus; e. g. occurrit ad flumen Lachlan's River (Burkitt), in Nova Anglia (C. St.), ad flumina Darling's et Murray's River (F. M.), ad Cooper's Creek (Howitt), ad Warrego-River (J. C. Dalton), ad Maranoam (W. Burton), ad flumina Swan-River et Murchison-River (Drummond, 221), ad flumen Glenelg-River (Martin), ad rivum Sturt's Creek (F. M.)

Radix fere carnosa, perpendicularis, interdum ulnam longa. Caules ½–4′ longi. Spica raro fere pedem longa. Florum longitudo satis variat. Sepala nonnunquam purpurascentia. Stylus croceus.

Ptilotus nobilis (Trichinium nobile, Lindl. in Mitch. Three Exped. ii. 22; T. macrocephalum, Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. 290 non Nees; T. semilanatum, Lindl. in Mitch. Trop. Austr. 45) crescit in campis aridis per maximam partem Australiæ; videlicet ad Encounter Bay (F. M.); ad flumina Wimmera, Murray- et Darling-River et Murrumbidgee (Mitchell, F. M.) prope Bengola et

Cassilis (Leichhardt), ad Warrego (Dalton et Looker), ad flumina Bogan et Suttor's River (Woolls, Thozet), Darling's Downs (Lau), Mount Murchison (Bonney), Gawler-Ranges (R. Sullivan), Mount Searl (Warburton), Short's Range (J. M. Stuart), Nichol-Bay (Walcott), Salt-River (Maxw.), Murchison-River (Oldf.), Gilbert- et Victoria-River (F. M.). Species maxime variabilis, interdum jam statu bipollicari florens. Spica interdum 7″ longa. Auctoritate Moquinii huc T. macrocephalum pertinet. Nihilominus nomen specificum rejicio, quum flores spicati, vix vero sensu capitati sint. Vidi prolificationem spicæ foliiferam. Villorum articuli remotiusculi. Stamina 3–4 fertilia. T. dissitiflorum et T. Beckerianum huic speciei multiformi valde cognata.

Ptilotus spatulatus (Poir. Encycl. Méthod. Suppl. iv. 620; Trichinium spatulatum, Br. Pr. 415; J. Hook. Flor. Tasm. i. 310, t. xciv.; T. mucronatum, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 628) ab Australia occidentali in Australiam felicem vergit.

Ptilotus gracilis (Poir. Encycl. Méth. Suppl. iv. 620; Trichinium gracile, R. Br. Pr. 415) ex Australia centrali allatus est a J. M. Stuart, e vicinia fluminis Victoriæ me ipso. Caulis satis ramosus. Rachis lanata, sub fructificatione pollicem longa. Bracteæ et bracteolæ uninerves. Villi sepalorum lævigati, nec ut in plerisque speciebus serrulati; articuli satis elongati.

Ptilotus distans (Poir. Encycl. Méth. Suppl. iv. 620; Trichinium distans, Br. Pr. 415) ab Arnhemia ad flumen Burdekin's River et sinum Rockingham's Bay vergit. Planta perennis, sed non frutescens. Spicæ semipedales vel breviores. Villi ut ii P. gracilis fere læves, articulis sat longis constant.

Ptilotus pachocephalus (Trichinium pachocephalum, Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. 294) crescit in planitiebus basalticis a Mount Gambier usque ad originem fluminis Burdekin's River. Huc etiam forsan trahetur T. angustifolium, Moq. l. c. et T. fusiforme Lindl. in opere Mitchelli. Stamina fertilia sæpe 4. Planta ante florescentiam quasi Podolepidem refert. Variat foliis lanceolatis.

Ptilotus incanus (Poir. Encycl. Méthod. Suppl. iv. 620; Trichinium incanum, Br. Pr. 415) ad Nichol's Bay et Sturt's Creeks nascitur, tam in plagis arenosis, quam in rupibus graniticis.

Ptilotus obovatus (Trichinium obovatum, Gaudich. Bot. Voy. de l'Uranie 445, t. 49; T. atriplicifolium, A. Cunn. in Can. Prodr. xiii. div. ii. 286; F. M. Plants of Vict. tab. lxxviii.; T. variable, F. M. in Linnæa xxv. 436) antecedenti proxime affinis est. A fluminibus Murray- et Darling-River et Murrumbidgee usque ad fluvium Murchison's River et sinum Shark-Bay et oram boreali-occidentalem (A. Cunn.) extendit. Drumm. 233. Bracteolæ calycem sæpe semiæquant. T. gnaphaloides igitur fortasse huic speciei jungendum. Species vero e diagnosibus et descriptionibus prodromi Candolleani difficillime recognoscuntur. T. lanatum,

quod minutie capitulorum et brevitie villorum satis insigne, arcta affinitate cum T. obovato connectitur. Hoc ad rivos Darling's River, Bogan, Warrego, Maranoa et Flinders'-River provenit.

Ptilotus Drummondi (Trichinium Drummondi, Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. 292; T. fusiforme, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 626 non R. Br.) caules producit sæpe stricte erectos. Villorum nodi remotiusculi, edentuli. Stamina longiora vix calycem semiæquantia. Stylus setaceus, lineam longus, glaber v. infra medium appresso-pubescens. Semina matura ignota, omnium specierum adhuc comparanda. A litore Great Bight in viciniam promontorii Cape Leewin et fluvio Murchisoni tenus dispersus est.

Ptilotus divaricatus (Trichinium divaricatum, Gaudich. Bot. Voy. d'Uran. et Phys. 445) me obtentus est a flumine Murchisonii et sinu Shark-Bay, ubi plagas arenoso-calcarias sequitur. Fruticulus 1–2′, diffusus. Sepala 3 interiora intus a basi fere medio tenus dense lanuginosa. Villi secus dorsum sepalorum remotiuscule nodulosi, vix subtiliter denticulati. Stamina fertilia sæpe tria, ad medium calycis attinentia. Filamenta glabra, sed lanugine calycis involuta, non dilatata. Antheræ dorsifixæ, $\frac{1}{3}'''$ longæ. Stylus setaceus, glaber, pæne 2‴ longus.

Ptilotus humilis (Trichinium humile, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 628; T. nanum, F. M. Fragm. iii. 161) in planitiebus collibusque basalticis prope montes Stirling's Range me nuper repertus est. Gomphrenæ potius quam Trichinii habitum gerit. Articuli villorum perbreves. Antheræ perminutæ, ratione suæ longitudinis latiores quam eæ plerarumque specierum. Sepala, etsi basi villis penicillariter circumvallata sint, apicem versus longe scariosa et glaberrima reperiuntur. Drumm. 421.

Ptilotus holosericeus (Trichinium holosericeum, Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. 287) inter plantas Drummondi sub 232 militat. Capitula interdum fere globosa. Villi sepalorum tenerrimi, remote nodulosi, haud distincte denticulati. Staminum tria antherifera. Antheræ ellipsoideæ. Stylus vix lineam longus, glaber.

Ptilotus parvifolius (Trichinium parvifolium, F. M. Report on the Plants of Babbage's Exped. p. 19) villis sepalorum remotiuscule nodulosis non distincte denticulatis instructus est.

Ptilotus erubescens (Schlechtend. Linnæa xx. 575; Trichinium erubescens, Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. 293; T. eriocephalum, Moq. l. c.) a sinu St. Vincenti usque ad montes Grampians reperiendus est et, si plantam occidentalem merito orientali-australi conjungo, ad Champion-Bay et Murchison-River extendit. Folia occurrunt abbreviate et late lanceolata. Capitula sæpe semiovato- vel turbinato-globosa. Stamen quintum sterile, calycem fere æquans, ceteris longitudine variis conspicue longius, apicem vel medium versus tortum. Stylus sepala vix semiæquans. Villi sepalorum nitentes, haud prominenter denticulati; articuli suo diametro multoties longiores. P. declinatus huic speciei proximus.

Iconem hujus plantæ bonam in D. Dietrichii Flora universali 1862 t. 14 reperies. Pictor autem omnia stamina dedit fertilia, quintum (quantum video) nimis abbreviatum.

Ptilotus pyramidatus (Trichinium pyramidatum, Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. 288) mihi adest solum e collectione Drummondi sub 221 et 99. Folia suprema sæpe ovata et perbrevi-petiolata. Spicæ passim binatæ. Stamina inæquilonga; unum alterumve sterile. Stylus glaber, circiter lineam metiens. Villi minutissime denticulati; articuli eorum plerique suo diametro aliquoties longiores.

Ptilotus rotundifolius (Trichinium rotundifolium, F. M. Fragm. iii. 122) qui omnium congenerum pulcherrimus, sepala gerit 6–8‴ longa, extus villis longiuscule articulatis vix denticulatis onusta et stamina paulo ultra medium sepalorum extensa.

Ptilotus Manglesii (Trichinium Manglesii, Lindl. Bot. Regist. 1839, 28; T. spectabile, Field. Sert. Plant. t. 53; T. macrocephalum, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 627 non R. Br.) occurrit in collectione Drummondi sub 435. Plantam hancce amœnam legit ad sinum Roebuck-Bay et flumen Glenelg-River Dr. Martin, ad flumina Murchison- et Blackwood-River, Oldfield. Ego plantam ad fluvium Kalgan vidi. Stirps 1½″–1½′ alta. Latitudo foliorum varia. Capitulum sæpe folio suffultum. Sepala apicem versus longo tractu nuda, basi in tubum tenuem coalita. Villi sepalorem ad nodos paulo remotos denticulati. Stamina inæquilonga, omnia dimidio calyce breviora, unum sæpe anthera diminuta cassa præditum. Stylus circiter 2‴ longus, glaber.

Ptilotus sericostachyus (Trichinium sericostachyum, Nees in Lehm. Plant. Preiss. i. 627; T. floribundum, Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. 283; T. roseum, Moq. l. c.) flores potius capitatos quam spicatos gignit. Nomen specificum quidem retineo quia ceteris antiquius, etsi minime aptum; illud igitur Trichinii floribundi queas substituere. Species sequenti eximie cognata est.

Ptilotus polystachyus (Trichinium polystachyum, Gaudich. Voy. de l'Uran. et Phys. Bot. 445; Moq. in Cand. Prodr. xiii. div. ii. p. 283) vix nomen specificum meret, quum flores sæpe in capitula sphærica congestos invenies. Sepala non flavescentia, sed rubescentia. Folia inferiora interdum in petiolos longos angustata, nunc glabrescentia, nunc quoque ætate lanuginosa, caulina interdum tantum paucilinearia. Bracteæ et bracteolæ nonnunquam dorso coccineæ. Sepala 3 interiora intus basim versus lanoso-barbata. Villi crebre articulati et minute denticulati. Stamina duo vidi fertilia, stylum æquantia. Stylus vix 2‴ longus, setaceus. Occurrit hæc species ad Roebuck-Bay sec. Dr. Martin, ad Peron's Peninsula sec. Maitl. Brown, ad Champion-Bay sec. Walcott. Eadem forsan species foliis caulinis rhombeo- v. orbiculari-ovatis crescit inter promontoria Cape Le Grand et Cape Paisley.

Ptilotus calostachyus.

Arthrotrichum calostachyum, F. M. in Transact. Botan. Soc. Edinb. vii. 500.

Foliis linearibus ramisque glabris, ***spicis conico-cylindricis terminalibus solitariis,*** bracteis bracteolisque ovatis acutiusculis fere glabris trientem v. dimidium calycis æquantibus, ***sepalis breviusculis extus apice tenus villosis,*** villis persubtilibus lævibus remotiuscule nodosis, staminibus fertilibus calycem semiæquantibus, filamentis capillari-setaceis, antheris ovatis, stylo breviusculo glabro.

Ad fluminis Victoriæ partem superiorem nec non ad rivos Hooker's et Sturt's Creek; F. M. Ad sinum Nichol's Bay; P. Walcott. Ad portum Roebuck-Bay; J. Martin.

Planta pulchella, tripedalis v. humilior, gracilis, erecta, pauciramea. Folia exceptis superioribus 1–1½″ longa, ⅔–1‴ lata. Spicæ primum ½–1″ demum 1–2″ longæ. Bracteæ et bracteolæ decolores, 1–1½‴ longæ, fere enerves. Sepala pallide rosea, indumento albido permolli, interiora intus inferne barbata. Stamina basi in cyathulum fimbriolatum coalita. Antheræ flavæ, ⅙‴ longæ, biloculares, loculis haud disjunctis. Stylus capillaris, 1‴ longus. Stigma capitellatum. Germinis apex barbellatus. Fructus maturus ignotus. Omnes antheræ me prius examini subjectæ haud fertiles erant, quod in hac specie frequenter accidit.

Ptilotus helichrysoides (Psilotrichum helichrysoides, F. M. Fragm. i. 237) in genera quidem satis anomalus videtur, sed vix excludendus. Bractea bracteolis fere conformis. Sepala etiam interiora intus imberbia. Villi confertissimi, sat breves, remote et indistincte articulati, læves. Stamina calyci æquilonga v. eo dimidio breviora, glabra. Germen dense tomentosum. Stigma paulo emarginatum. Adest quoque in collectione Drummondi.

Ptilotus hemisteirus (F. M. Fragm. iv. 90; Trichinium corymbosum, Gaudich. Voy. Uran. et Phys. Bot. 444 non Sprengel; Hemisteirus psilotrichoides, F. M. in Linnæa xxv. 435) vestimento sepalorum dorsali brevi valde insignis est. Villi læves, remote articulati. Plantam nunc ab Elder's Range, Lake Gardner, Lake Gilles, Blackwood-River, Sharks-Bay et Hammersley-Range notavimus, et futuro tempore e permultis locis interjacentibus obtinebimus. Caulis interdum occurrit monocephalus.

Ptilotus ærvoides (Trichinium ærvoides, F. M. Fragm. iii. 123) villis sepalorum flavidis brevissime articulatis conspicue denticulatis ornatus est.

Ptilotus helipteroides (Trichinium helipteroides, F. M. Fragm. iii. 122; T. brachytrichum, F. M. l. c. 161) gaudet bracteis bracteolisque enerviis, villis sepalorum breviuscule articulatis lævibus, stylo fere sesquilineari. Huic P. lepidus et P. grandiflorus proxime cognati sunt.

Ptilotus macrotrichus (F. M. Fragm. iv. 90) inter plantas sextæ collectionis Drummondi sub 222 a fluvio Murchisoni exstat. Villi sepalorum edentuli. Pericarpium læve, nitidum, mox fulvidum. Forsan ad hancce plantam pertinet species ex archipelago Dampierii a Wickham et Stokes allata.

Ptilotus latifolius (Br. in Sturt's Central Australia ii. App. 88) a P. macrotricho discernitur lanugine ramorum densiore, foliis latioribus sæpe longe petiolatis, bractea bracteolis et calyce majoribus, sepalis lanugine involvente longioribus mox in unguem longiusculum apterum attenuatis non penicillari-villosis, stylo paulo-longiore. In clivis arenosis ad Wills-Creek, monentibus Howitt et Murray, altitudinem 2′ attinet.

Ptilotus cæspitulosus.

Caulibus crebre ramosis repentibus, *foliis parvis glabris subulato-linearibus mucronulatis inferioribus in cæspitulum confertis*, capitulis terminalibus solitariis pæne semiovatis, bracteolis fere rotundis acutiusculis calycem vix semiæquantibus bracteæ orbiculari-ovatæ acuminatæ glabræ fere æquilongis, sepalis breviusculis apicem versus nudis, villis sepalorem crebre denticulato-nodosis, antheris ovalibus, filamentis perbrevibus inæqualibus apice capillaribus, stylo sepalis pluries superato glabro.

In Australia occidentali; Drummond, 189.

Planta habitu congeneribus aliena, Laxmanniæ facie. Rhizoma perenne, teretiusculum, procurrens. Ramuli breves, conferti, foliosi. Folia semipollicaria v. breviora, sæpe curvata, inferiora fasciculata et basi paulo incrassata. Rami floriferi fere digitales, foliis saltem ex parte sparsis prædíti. Capitula vix semipollicaria. Bracteæ et bracteolæ fere 2‴ longæ. Sepala circiter 4‴ longa, inferne margine tenus villosula, superne flavido-pallescentia, apice obtusiuscula. Articuli villorum sæpe diametro vix ter breviores. Stamina 2 vidi fertilia. Antheræ $\frac{1}{4}$‴ longæ, fuscæ. Stylus vix lineam metiens. Fructus ignotus.

Ptilotus arthrolasius.

Ramosus, *pilis articulatis crispulis pubescens, foliis oblongo-lanceolatis* muticis, spicis capitatis fere ovatis solitariis terminalibus breviter pedunculatis, bracteolis ovato-rotundis brevi-acuminatis enerviis fere glabris bracteam ovatam acutam inferne pilosulam æquantibus, *calyce parvo bracteolas æquante* penicillari-villoso, villis lævibus remotiuscule articulatis, antheris cordato-ovatis, stylo perbrevi.

Ad rivum Sturt's Creek. F. M.

Indumentum breve, fulvescens. Folia circiter pollicem longa, in petiolum brevem angustata. Pedunculi semipollicares vel bre-

viores. Spicæ in speciminibus exstantibus paucilineares, forsan sæpe majores. Bracteolæ vix lineam longæ, hyalinæ. Sepala acuta, villis fere superata. Filamenta calycis medium vix attinentia, basi breviter connata, abhinc tenuiter subulato-linearia. Antheræ $\frac{1}{8}'''$ longæ; loculi primum contigui, demum basi soluti, scilicet introrsum dehiscentes. Stylus glaber, tenerrimus. Stigma indivisum. Fructus æquilaterus, fere rotundus, compressiusculus, $\frac{2}{3}'''$ metiens. Semen ut in aliis verticale.

Varietatem forsan hujus speciei lanuginosam, spicis $\frac{2}{3}''$ longis, in Australia boreali-occidentali interiore detexi.

Ptilotus astrolasius.

Fruticulosus, ramosus, *stellari-tomentosus, foliis rhombeo- v. spatulato-ovatis*, capitulis terminalibus solitariis semiovatis v. fere sphæricis sessilibus, bracteoiis calycem semiæquantibus bractea vix longioribus quacum cymbeo-ovatis extusque pilosulis, *calyce parvo villosulo-sericeo, villis brevibus lævibus imperfecte articulatis,* staminibus calycem smiæquantibus, stylo capillari breviusculo terminali, fructu glabro æquilatero.

Ad rivum Sturt's Creek. F. M.

Folia $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ longa, in petiolum sesquilinearem vel breviorem abeuntia, mutica, utrinque tenui-tomentosa. Capitula sæpe semipollicaria. Bracteæ et bracteolæ lineam vix excedentes. Sepala exteriora fere lanceolata, acutiuscula; interiora paulo angustiora et infra medium intus barbata. Filamenta superne capillaria, inferne paulo applanata. Antherarum loculi pertenues, saltem inferne demum soluti. Stylus fere lineam longus. Stigma indivisum. Fructus maturus ignotus.

Fructum inæquilateralem et stylum magis minusve lateralem præbent: Ptilotus alopecuroides, P. Beckeri, P. nobilis, P. pachocephalus, P. erubescens, P. distans, P. Lindleyi (Trichinium lanatum Lindl.) P. incanus, P. obovatus, P. spatulatus, P. hemisteirus, P. polystachyus, P. Manglesii, P. divaricatus, P. parvifolius, P. holosericeus. Fructum æquilateralem et stylum rite terminalem ostendunt: P. gracilis, P. calostachyus, P. helipteroides, P. arthrolasius, P. astrolasius, P. corymbosus, P. gomphrenoides, P. ærvoides, P. macrotrichus, P. latifolius, P. helipteroides, P. grandiflorus, P. floribundus, P. rotundifolius, P. Drummondi, P. humilis, P. pyramidatus. Calycem intus supra basim conferte lanoso-barbatum exhibent: P. nobilis, P. erubescens, P. calostachyus, P. corymbosus, P. helipteroides, P. hemisteirus, P. polystachyus, P. floribundus, P. rotundifolius, P. Manglesii, P. Drummondi, P. divaricatus, P. parvifolius, P. holosericeus. Calycem intus villosulum v. glabriusculum haud definite barbatum habent: P. alopecuroides, P. Beckeri, P. pachocephalus, P. distans, P. gracilis, P. Lindleyi, P. incanus, P. obovatus, P. spatulatus, P. helichrysoides, P. gomphre-

noides, P. ærvoides, P. macrotrichus, P. latifolius, P. cæspitulosus, P. grandiflorus, P. humilis, P. pyramidatus.

Sepala in plerisque speciebus vario gradu inæqualia evadunt. Fructus sessilis sæpe rotundate occurrit, dum fructus stipitatus utplurimum in formam obovatam rarius clavatam vergit. Inter stylum longissimum aliarum et brevissimum aliarum permultæ species transitum parant. Pericarpium in aliis nigrum, in aliis fuscum reperimus, in pluribus vertice villosulum, in pluribus glaberrimum. Semen in quibusdam renato-ovatum, in aliis lenticulare. Embryo, ubi notus, formam cyclicam exhibet, radicula adscendente, hilum attinente.

Goniotriche, Turcz. in Regensb. Fl. 1853 ad Ptiloti sectionem Trichinium referenda est. Eas species Ærvæ, quæ staminodiis proceris et stigmatibus duobus disjunctis præditæ sunt, facile quidem a Ptilotis et Trichiniis separamus; aliæ autem difficillime segregantur. Psilotrichum foliis oppositis præcipue divellitur. Fructus aut æquilateralis aut valde obliquus characteres generum haud sufficienter adjuvat. Doctissimus Moquin-Tandon in prodromo Candolleano Amarantaceas, quæ sequuntur, Australianas enumerabat: Alternanthera Baueri, Telanthera longipes, Iresine Brownii (Philoxerus diffusus Br.), Iresine Cunninghami, Iresine macrocephala, Iresine conica (Philoxerus conicus Br.), Iresine tenella, Celosia arborescens (Lestibudesia arborescens Br.)—Gomphrena Maitlandi et G. firma propter staminodiorum absentiam ad Iresinen pertinent, sed habitu aliisque notis eas potius inter Gomphrenas retinebis.

Hemichroa pentandra a terra Gipps-Land usque ad sinum Spencer's Gulf in sublimosis maritimis satis frequenter occurrit. Plantam persimilem statu imperfecto accepi a litore portus Nichol-Bay.

Hemichroa diandra hactenus mihi tantum adest a sinu Spenceri.

Compositæ.

Vernonia vagans.

Cand. Prodr. v. 32.

Scandens, ramulis parce breviterque pubescentibus, foliis lanceolato- v. rhombeo-ovatis in petiolum brevem tenuemque angustatis glabriusculis, panicula cymarum patente, pedunculis specialibus capitulo paucifloro conspicue brevioribus, *involucri squamis extimis valde abbreviatis rhombeo-deltoideis*, mediis ovatis, intimis oblongis haud acuminatis, tubo corollæ pertenui, *acheniis glabris* 10-sulcatis, pappi setis liberis æqualibus uniseriatis scabridis achenio fere duplo longioribus.

Ad ripas amnium prope Rockingham's Bay. Dallachy.

Planta Indica ab Australiana non specifice distare videtur squamis involucri sæpe acutioribus, callo basilari acheniorum magis

conspicuo. Nostra etiam simulat Vernoniam fimbrilliferam (Decaneurum fimbrilliferum, Cand. Pr. v. 68). Petioli tenuiores, folia integerrima, involucri squamæ paulo majores, pappi setæ omnes æquilongæ, receptaculum nudum, stigmata emersa, achenia glabra et graciliora, denique crescendi modus plantam Australianam bene distinguunt. Corolla e collectoris notis albida.

Helichrysum oligochætum.

Ramosum, pilis crispis articulatis parce pubescens, foliis ovato- v. angusto-lanceolatis concoloribus herbaceis lata basi sessilibus v. amplexantibus, *capitulis ramulos foliosos solitarie terminantibus* hemisphæricis multifloris homogamis, *involucro haud radiante* pallide flavescente flores æquante, squamis exterioribus cum stipite brevi obovatis vel spatulatis, interioribus cum stipite longo lanceolato- v. latiusculo-linearibus, lamina acutiuscula fere glabra, corolla pappum paulo superante, achenio truncato subtilissime sericeo, *pappi setis paucis* albis barbellatis.

Ad portum Walcotti. C. Harper.

Ramos accepi plantæ forsan altæ. Folia ramorum inferiora circiter pollicaria, superiora circiter semipollicem metientia. Capitula semiunciam lata. Squamarum lamina nitens, lineam longa v. brevior, prope stipitem villosulo-barbata, in exterioribus rhombeo-ovata, in intimis sæpe perangusta. Corollæ circiter sesquilineam longæ. Pappus e setis tantum 5–7 constans.

Nulli congenerum arcte affine. Ab H. rutidolepidi ramis apice tenus folia conformia gerentibus, porre indumento, involucro non expanso, squamarum colore et forma, sicut ab omnibus aliis pappo oligochæto separatur.

Myriocephalum Rudalli nuper ad portum Walcotti reperit C. Harper.

Myrsineæ.

Myrsine campanulata.

Glabra, foliis obovato-oblongis basi cuneata in petiolum brevisculum desinentibus margine integerrimis subtus opacis, pedicellis flore bis terve longioribus, *corollæ breviter quinquefidæ tubo calycem parvum fere duplo superante*, antheris hastato-ellipsoideis prope faucem insertis limbo corollæ evidenter superatis, stigmate pæne sessili.

In rupibus basalticis ad amnem Fletcher's Creek, ubi una cum Bossiæa carinali crescit. Daintree.

Folia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}''$ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}''$ lata, petiolo paucilineari prædita, pertenui- et patenti-nervosa, subtilissime seu indistincte venosa, superficie nitentia. Fasciculi axillares et ramei, pluri- v. pauciflori, nonnunquam ad florem solitarium reducti. Calyces circiter semi-

lineam longi ; laciniæ deltoideo-semilanceolatæ. Corolla vix sesquilinearis, ad faucem non constricta ; lobi tubo conspicue v. paulo breviores, semilanceolato-deltoidei. Antheræ circiter semilineam longæ, minutim apiculatæ. Stylus in floribus antherigeris me examinatis absens. Stigma paulo dilatatum. Fructus ignotus.

A Myrsine urceolata, quæ ad Rockingham-Bay occurrit, hanc novam distinguo foliis minoribus, forma et minutie corollæ, sicut antheris saltem parte superiore ultra tubum corollæ emergentibus.

Proteaceæ.

Isopogon polycephalus.

Foliis anguste cuneato-oblongis apiculatis intergerrimis glabris subtilissime uninerviis inconspicue venosis floralibus capitulum longe superantibus, capitulis axillaribus et terminalibus solitariis v. paucis aggregatis fere hemisphæricis, ***involucro capitulum saltem semiæquante*** tomentoso, bracteis involucri exterioribus ferme deltoideis interioribus fere semilanceolatis, ***bracteolis subulato-linearibus*** extus margineque dense tomentosis, calyce glabro, limbo totum tubum semiæquante, ***stigmate glabro tenui-cylindrico obtuso*** supra basim attenuatam imperfecte noduloso.

In solo calcareo ad promontorium East Shoal Cape et prope rivum Gale's Brook ; Maxw. Ad Stirling's Range ; F. M.

Frutex 3′ vel humilior. Folia inter 2 et 6″ longa et inter $\frac{1}{3}$ et $\frac{2}{3}$″ lata, in basim petiolarem latiusculam sensim angustata. Capitula sessilia, $\frac{1}{2}$–1″ lata, tantum incipiente anthesi visa. Receptaculum tunc non elatum. Involucri squamæ seu bracteæ 1–3‴ longæ, minus numerosæ quam in pluribus congeneribus, extus undique albido-tomentosæ. Bracteolæ pleraquæ 2‴ longæ, ob densum indumentum fere lanceolatæ. Calyces ut videtur flavidi, tota longitudine tantum 4–5‴ metientes. Stigma lineam paulo excedens, apice lenissime inflatum. Caryopses ignotæ. Diagnosi Brownianæ quidem perbrevi nostra planta haud male respondit.

Isopogon linearis gaudet involucro capitulum fructiferum vix semiæquante, stigmate infra annulum medium conspicue constricto. Pars tubi calycis exserta limbo fere triplo longior. Bracteæ involucrantes usque ad semipollicem longæ. Receptaculum semiovato-cylindraceum, circa $\frac{2}{3}$″ longum. Bracteolæ sive paleæ lanceolatæ, circiter 3‴ longæ, extus tomentosæ. Caryopses conico-ovatæ, sesquilineam longæ, basi longe cetera parte breviter villosæ.

Isopogon sphærocephalus a fluviis Swan-River, Vasse- Donnelly- et Warren-River cognitus est, ubi usque 8′ altus. Involucrum capitulo pluries brevius. Calycis tubi pars exserta limbo vix duplo longior. Bracteolæ obovato-cuneatæ, vix $2\frac{1}{2}$‴ excedentes, extus dense albo-tomentosæ, acumine defrangente. Flores permulti steriles. Receptaculum unciam altum, ob lanam densam apparet

ovale. Caryopses sesquilineam longæ, conico-ovatæ, inferne longius superne brevius villosæ.

Isopogon uncinatus quoad calycem antecedenti persimilis est.

Isopogon spathulatus flores in capitulo minus numerosos continet, quam plures aliæ species. Bracteolæ floribus intermixtæ facillime separandæ, tenui-lineares, circiter 2‴ longæ, villis brevibus confertissime obsessæ. Calycis limbus toto tubo vix duplo brevior, inferne fere glaber. Caryopsis ei præcedentium similis. Planta specifice non videtur diversa ab I. buxifolio, ad quem pertinet planta Drummondi 396. Varietatem spathulatam collegi in montibus Stirling's Range et in planitiebus sabulosis vicinis, ubi 5′ alta.

Isopogon axillaris occurrit foliis 5-pollicaribus, usque 8‴ latis. Capitula pauci- v. pluriflora non multiflora. Tubus calycis limbo bis terve longior. Squamæ involucri exteriores magis orbiculares, 1–1½‴ longæ; interiores oblongæ, 3‴ metientes. Bracteolæ anguste lineares, 2‴ paulo excedentes, dorso sericeo-villosæ, basin versus paulo dilatatæ. Stigmatis articulum superum tenui-subulatum, inferum flavido-velutinellum. Receptaculum minutum, non protuberans. Caryopses late fere pyramidate ovatæ, ut Guillemino bene depictæ, villis basalibus longis pappum mentientibus stipatæ, apicem versus breviter villoso-pubescentes. A King George's Sound saltem ad Gardner's River et Porongerup extendit.

Isopogon attenuatus sub 180 et 174 Drummondio distributa est. Reperitur quoque ad flumina Hay's et Gordon's River, nec non circum montes Stirling's Range. Fruticulus sæpe bipedalis. Folia interdum semipollicem latitudine haud excedunt. Squamæ involucri mediæ fere lanceolatæ, circiter 3‴ longæ, sensim acutatæ, basin versus villoso-tomentosæ, superne tantum ciliatæ.

Isopogon longifolius capitulis ovatis occurrit. Stigma prope medium imperfecte annulatum et hinc sicut ad angulos paulisper subtilissime sericeum. Rachis fructifera sæpe pollicem longa, ellipsoideo-cylindracea. Squamæ involucri interiores fere 3‴ longæ et latæ, extus fulve sericeo-tomentosæ. Villi caryopsin cingentes, fulvæ, 3‴ longæ.

Isopogon Protea (Meissn. in Hook. Kew Miscell. 1852 p. 183) in cacuminibus frigidis rupestribus montium Stirling's Range nascitur, ubi plantam altitudinem 10′ attinere vidi. Frutex amplus, e longinquo visus faciem omnino Rhododendri exprimit. Squamæ involucri extimæ fere orbiculari-deltoideæ, glabrescentes; mediæ ferme lanceolatæ, circiter ⅔″ longæ; intimæ vix semipollicem excedentes, lineares, basi glabra attenuatæ, toto dorso fusco-tomentosæ, apice acuminulato velutinæ. Bracteolæ floribus interjacentes, circiter 3‴ longæ, lanceolatæ, extus præter apicem tomentosæ. Calyces amœne purpurei. Barbula in apice loborum interdum absens. Receptaculum fructiferum semiovatum, fere pollicem longum, diametro ⅔″ tenens. Villi caryopsis basim tantum cin-

gentes, 3–4‴ longi, albi v. fulvidi, tenerrimi, leniter torti. Caryopsis conico-ovata, acuta, 1½‴ longa, patentim et breviter pubescens, non villosa. Stylus pertenuis, prope basim diu persistentem villosulus, superne glaber. Villi caryopsis expandentes residuum tubi calycis perfecte rejiciunt.

Isopogon Loudoni (Baxt. in Br. Suppl. p. 9; Hook. Bot Mag. 3421; I. latifolius, Meissn. in Lehm. Pl. Preiss. i. 508 et in Cand. Prodr. xiv. 283 et forsan R. Br.) ad I. Proteam quidem arcte accedit, squamis autem involucri conspicue minoribus, capitulis post florum lapsum fere semiovatis, calycibus tam tubo quam limbo brevioribus, stigmatis articulo inferiore glabro, caryopsibus minoribus minus acutis cilia breviora circum basim gerentibus sed apice tenus villosulis facillime divellitur. Hanc plantam ad King George's Sound, Kalgan, Mount Barker usque 4′ altam notavi. Squamæ involucri firmæ; exteriores deltoideæ, 2–3‴ metientes; interiores sensim ovatæ et lanceolatæ, 3–4‴ longæ. Receptaculum hemisphæricum vel semiovatum, dense tomentosum, ½–¾″ diametro tenens. Bracteolæ floribus interjectæ herbaceæ, semilanceolatæ, 3‴ longæ, extus dense tomentosæ, apice facile defrangente.

Isopogon anethifolius folia floralia ex parte simpliciter triloba habet. Involucrum capitulo fructifero multoties brevius; bracteæ acutæ, scilicet persistentes, exteriores fere glabræ et deltoideæ, interiores cuneato-rhombeæ extusque basim versus tomentellæ. Bracteolæ sive paleæ bracteis teneriores, non duræ, circa 3‴ longæ, cuneatæ, brevi-acuminatæ, extus dense tomentosæ, scilicet separabiles. Rachis ellipsoideo-cylindrica, dense tomentosa, 1″ longa. Tubi calycis pars emergens lobis fere duplo longior. Caryopses ubique sed basi densius villosæ.

Isopogon anemonifolius a Nova Anglia usque ad limites orientales plagæ Gipps-Land occurrit. Folia aliquot floralia et caulina perraro indivisa, sæpius simpliciter 3–5-fida. Capitulum fructiferum globosum v. ovato-globosum, involucro multoties longius; bracteæ glabræ v. tenui-pubescentes; exteriores vix linea longiores, deltoideæ, acuminatæ; interiores rhombeæ, cuspidulatæ, 1½‴ longæ. Bracteolæ late cuneatæ, apiculatæ v. cuspidulatæ, 1½–2½‴ longæ, dorso dense tomentosæ. Pars tubi calycis emersa limbo paulo vel duplo longior. Stigmatis articulus superior basi leniter strumosus. Rachis seu receptaculum semiellipticum vel magis cylindraceum, ½–1″ longum, tomentosum. Caryopses conico-ovatæ, acutæ, æqualiter turgentes, 1–1½‴ longæ, undique villis tectæ, stylo etsi fragili sæpe terminatæ. Species variat lobis foliorum ¾–3‴ latis, præterea indumento pubescente. Tali modo I. petiolaris huc pertinet.

Isopogon ceratophyllus a sinu St. Vincent's Gulf in plagam Gipps-Land migrat. Fruticulus 1–2′, sæpe simplex. Folia non raro triternata. Capitulum fructiferum globosum, circiter pollicare, suo involucro ter longius. Squamæ involucri sive bracteæ persistentes, semilanceolato- v. rhombeo-deltoideæ, 2–3‴ longæ, dorso

glabræ, apice acuminatæ v. cuspidatæ. Bracteolæ seu paleæ parum induratæ, immutatæ, facile separabiles, lanceolatæ v. cuneatæ, inferne præter basim glabram lanatæ, superne tomentellæ, 3–4‴ longæ. Receptaculum semiovato-conicum, 3–4‴ altum. Calyx luteus, semipollicaris, glaber ; limbus parte tubi pertenuis emergente ter brevior ; tubi pars diu persistens circiter sesquilineam longa. Basis styli tenuissimi denique defrangens. Germina pauca fœcundantur. Caryopses conico-ovatæ, acutæ, linea paulo longiores, villis perteneris undique sed basi sæpe longius comptæ.

Isopogon tridens.

I. trilobus var. tridens, Meissn. in Hook. Kew Miscell. 1855, pag. 70 ; et in Cand. Prodr. xiv. 280.

Ramulis glabrescentibus, *foliis cuneatis antice tridentatis* v. breviter trilobis passim integerrimis basi in petiolum longum angustatis indistincte nervoso-striolatis, *involucro pluriseriali capitulum truncato-globosum fere æquante receptaculum planiusculum conspicue superante* e bracteis rhombeis constante, bracteolis lanceolato-linearibus v. anguste lanceolatis sensim acutatis dorso dense lanosis.

In Australia occidentali flumen Murchisoni versus. J. Drummond.

Flores etiam in exemplis me examinatis desunt. Germina sæpe abortiva. Tali modo mihi caryopses maturæ deficiunt. Bracteæ involucri interiores 3–4‴ longæ, facile separabiles. Bracteolæ basi angusta truncatæ.

Isopogon trilobus (Br. in Transact. Linn. Soc. x. 72 ; I. tripartitus, Br. Suppl. p. 8 e diagnosibus) nascitur me ipso observante circum montes Stirlingii. Folia glaucescentia. Involucrum paucis-seriale, receptaculo conico-cylindrico denique profunde alveolato et tunc glabro pluries brevius. Calycis tubus vix ultra bracteolas emergens, inferne glaber, superne cum lobis flavido-sericeus ; lobi linea paulo longiores. Bracteolæ multiseriali-imbricatæ, late cuneatæ v. inferiores magis quadratæ, dorso velutino-tomentosæ. Caryopses conico-ovatæ, apice attenuatæ, basi longius superne brevius villosæ, paucæ maturescentes. Varietas eloba, foliis rhombeo-cuneatis passim lanceolatis seu integerrimis seu antice late tri- v. bidentatis occurrit ad Cape Riche et ad Thomas-Brook sinus Great Bight ; Maxw.

Isopogon crithmifolius.

Ramulis sericeo-tomentellis, *foliis trisectis, segmentis lanceolato- vel cuneato-linearibus* indivisis vel bi- vel trifidis, bracteis involucrantibus pauciserialibus mox patentissimis, *receptaculo ovato-cylindrico, bracteolis cuneatis* subito brevi-acuminatis extus dense tomentosis, calycis tubo glabro, parte exserta lobis apice barbellatis

ter longiore, stigmatis articulo inferiore papilloso-velutinello longitudinem superi glabri evidenter excedente.

In Australia occidentali ; J. Drummond.

Species foliis I. roseo persimilis, notis autem floralibus amplissime distat. Involucrum enim nunquam e squamis permultis constat et capitulo fructifero pluries superatum est, dum I. roseum involucro gaudet pluriseriali capitulum fructiferum saltem semiamplectante. Præterea bracteolæ I. crithmifolii secus rachim multiseriali-imbricatæ sunt et nunquam formam lanceolatam exhibent. Caryopses maturas nondum vidi. Diagnosis I. rosei ab ill. Lindley data non minus in plantam hic expositam quadrat.

Isopogon roseus involucro bractearum capitulam fructiferum saltem semiæquat. Bracteolæ circ. 3‴ longæ, anguste lanceolatæ, sensim acuminatæ, passim lineares, dorso fulvo-lanuginosæ, basi truncatæ. Receptaculum fere planum, tomentosum, semipollicem latum. Caryopses conico-ovatæ, acutæ, superne villoso-pubescentes, inferne villis longioribus cinctæ. Frutex 2–4′.

Isopogon Baxteri me ipso repertus est in montibus Stirling's Range. Tabula et descriptio in opere Bot. Mag. 3593 plantam bene illustrant. Folia etiam ramorum florentium cuneiformia occurrunt, vertice tantum breviter dentata. Calyces præter partem basalem breviter et dense albo-villosi, circiter 1″ longi ; lobi anguste lineares, tubum semiæquantes. Stigma nec distincte articulatum, neque annulatum, inferne tenui-cylindricum et papilloso-velutinellum, superne subulatum et glabrum, summo apice leniter ampliatum. Bracteolæ usque 4‴ longæ, anguste lineares, dorso lanosæ, saltem ex parte sponte deciduæ. Caryopses conico-ovatæ, apice acutæ, superne breviter et densissime sed basi longe villosæ.

Isopogon scabriusculus jam ad species planifolias vergit. Folia enim non raro observantur canaliculato-linearia, fere plana, usque 2‴ lata et præterea passim bi- vel triloba. Calycis limbus tubo vix duplo brevior, fere sesquilineam longus. Involucrum depresso-hemisphæricum, capitulo fructifero duplo brevius. Receptaculum alveolatum, conico-semiovatum, circa 4‴ altum. Germina superiora sæpe omnia sterilia. Bracteolæ obovato-cuneatæ, crustaceæ, apiculatæ, circiter 2‴ longæ, dorso sericeo-tomentosæ. Caryopsis normalis. Villi basales longiores, sæpe deflexi.

Isopogon asper bracteolas cuneatas apicem versus dilatatas acuminatas extus inferne tomentosas producit. Totus calyx semiunciam paulo excedit. Receptaculum hemisphæricum, diametro paucilineari, ei complurium Pimelearum simile. Caryopsis ei plerarumque congenerum conformis, etiam superne conspicue villosa. Frutex usque 8′ altus, jam pedis altitudine florens. Cognosco plantam a fluviis Harvey- et Canning-River.

Isopogon formosus involucro capitulum fructiferum saltim semiæquante præditus est, cujus bracteæ lanceolatæ acuminatæ sæpe villoso-sericeæ usque 4‴ longæ. Bracteolæ obovato-cuneatæ,

interdum acumine setaceo terminatæ, 2–3‴ longæ, extus villosulo- v. lanoso-tomentosæ. Calycis tubus limbum longitudine aliquoties excedens. Receptaculum semiellipsoideo-cylindricum, tomentosum, $\frac{2}{3}$–1″ altum. Caryopses saltem sesquilineares, conico-ovatæ, acutæ, villis patentissimis basin versus multo longioribus comptæ. Frutex usque 6′ altus, nunquam valde ramosus, interdum undique sparse villosus. Folia siccatione rugata, passim simpliciter 3-loba. Involucra cum ramis interdum villoso-sericea. Speciem nunc e toto tractu inter montes Stirling's Range et Russell's Range jacente et promontorio Cape Arid tenus cognoscimus. Varietas eriolepis, quæ fortasse specifice separanda, eget ulteriore examine. Hujus caryopses maturas non vidi.

Isopogon teretifolius involucrum exhibet e bracteis pauciseriatis deltoideo- v. lanceolato-ovatis, acuminatis, mox patentissimis. Bracteolæ spatulato- v. latiusculo-cuneatæ, vix 3‴ longæ, toto dorso sericeo-tomentosæ. Receptaculum conico-semiovatum, fusco-tomentosum. Pars tubi calycis exserta limbo fere duplo longior. Caryopses iis reliquarum specierum conformes. Folia reperio nonnunquam simplicissima, v. apice breviter furcata, nunc etiam statu juniore sericea. Hæc species saltem usque ad montes Stirling's Range et East Mount Barren crescit. Frutex usque 4′ altus. Folia exsiccatione non corrugantur.

Isopogon heterophyllus quibusdam formis I. formosi valde accedit. Bracteolæ obovato-cuneatæ, acuminatæ, dorso lanuginoso-tomentosæ. Caryopses normales. Drummond plantam sub 85 distribuit.

Isopogon adenanthoides tubum calycis ostendit limbo quater quinquiesve longiorem. Receptaculum planiusculum, diametro paucilineari. Bracteæ involucrantes rhombeo-ovatæ, duræ, circiter 2‴ longæ. Bracteolæ oblongo-cuneatæ, supra medium extus velutino-tomentosæ. Fructus cum suis villis normalis.

Isopogon divergens capitulo gaudet fructifero globoso- vel elongato-ovato, involucrum pauciseriale multoties excedente. Pars tubi calycis exserta limbo ter longior. Bracteolæ multiseriato-imbricatæ, deltoideo-cuneatæ, cuspide secedente terminatæ, extus dense ferrugineo-tomentosæ, 2–3‴ longæ. Ad flumen Murchisoni extendit. Species I. formoso nimis cognata. Foliorum segmenta sæpe vix divergentia. Caryopses interdum aliquoties longiores quam latæ.

Isopogon petrophiloides capitulum depresso-globosum, unciale gerit. Involucrum pauciseriale. Receptaculum hemisphæricum. Bracteolæ anguste lanceolatæ, acuminatæ, fere 3‴ longæ, extus tomento fulvescente undique densissime velutinæ.

Isopogon villosus capitula producit ovato-globosa, involucrum longe superantia. Receptaculum ellipsoideo-cylindraceum, circiter unciale, dense fulvo-tomentosum. Bracteolæ rhombeo-ovatæ, cum acumine longo sæpe 4‴ metientes. Caryopses conico-ovatæ,

acutæ, $1\frac{1}{2}'''$ longæ, undique villis patentibus tectæ; villi autem basales minus longi, quam in pluribus aliis speciebus.

Petrophila multisecta.

Foliis rigidis teretibus bi- v. tri-ternatisectis, segmentis divaricatis mucronatis cum parte petiolari supra unisulcis undique glabris, capitulis ovatis v. globoso-ovatis sessilibus, bracteis involucrantibus semilanceolato-subulatis extus glabris, ***bracteolis floriferis sensim longe acutatis, fructiferis rhombeo-orbicularibus conspicue acuminatis dorso sericeo-tomentosis, sepalis extus sericeis,*** unguibus limbo vix longioribus, stigmate fusiformi-cylindraceo inarticulato præter apicem muticum pubescente, strobilis ovatis bracteas pluries superantibus, caryopsibus cordato-orbiculatis lenticularibus dorso parce pubescentibus pagina ventrali parcius margine densius villosis.

In insula Kangaroo-Island. Waterhouse.

A Petrophila pulchella discernitur foliis validioribus semper patentilobis, segmentis pungentibus, bracteolis fructigeris longe cuspidatis, nuculis paulo latioribus et obtusioribus.

Petrophila pulchella nunc e vicinia urbium Sydney et Newcastle et e montibus Blue Mountains nota est. Altitudinem saltem 4′ attinet. Spicæ globoso- v. cylindrico-ovatæ, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longæ. Bracteæ involucrantes haud numerosæ, anguste lanceolatæ, acuminatæ, $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longæ, extus glabræ. Bracteolæ rhombeo-rotundæ, subito acuminatæ, extus præter apicem tenuiter velutino-sericeæ. Tubus calycis mox in ungues solutus. Strobilus 1–3″ longus, ovato-cylindricus. Involucrum e bracteis magnitudine haud increscentibus constans, igitur satis inconspicuum. Bracteolæ fructiferæ secus rachin dense insertæ, 2–4‴ latæ, induratæ, e truncato vertice breviter acuminatæ, dorso sericeæ vel glabrescentes. Caryopses $1\frac{1}{2}'''$ longæ, orbiculari-ovatæ, leniter trigonæ, basi firma styli terminatæ, margine et basi longe villosæ, latere dorsali imperfecte et breviter villosulæ, latere ventrali glabræ. Spicæ passim breviter pedunculatæ. Totus stylus interdum post calycis lapsum persistit. P. sessilem et P. canescentem e Nova Anglia et a ripis fluvii Clarence-River varietatibus P. pulchellæ adnumerabis.

Petrophila pedunculata a portu Jacksoni ad tractum Blue Mountains extendit. Bracteæ cymbeo- v. subulato-semilanceolatæ, 1–2‴ longæ, ad pedunculi basim imbricatæ et secundum pedunculum sparsæ; involucrantes nullæ. Bracteolæ omnes florigeræ, sub anthesi 1–$1\frac{1}{2}'''$ longæ, rhombeo- v. cordato-rotundæ, acuminatæ, extus tenuissime cano-sericeæ. Calyx tenuissime pilosulus, vix $\frac{1}{2}''$ longus, saltem siccus flavescens, mox in sepala secedens; limbus unguibus æquilongus. Strobilus usque pollicem longus, cylindrico-ovatus; suæ squamæ seu bracteolæ omnes induratæ, 2–4‴ latæ, igitur auctæ, extus tenuissime sericeæ, haud a rachi separabiles.

Caryopses compresso-ovatæ, acutatæ, $1\frac{1}{2}'''$ longæ, dorso pilosulæ, toto margine villis cinctæ, facie interna glabræ.

Petrophila linearis mihi nota est a flumine cygnorum et promontorio Cape Naturalist, ubi vix ultra sesquipedem alta.

Petrophila anceps me reperta circum montes Stirlingi.

Petrophila ericifolia ad bases montium Stirling's Ranges fruticem pluripedalem sistit. Folia interdum pertenuia. Calyces flavi, circiter $5'''$ longi, non omnino in sepala soluti. Lobi sub anthesi tubo duplo breviores. Stigma fusiformi-cylindricum, haud distincte articulatum, potius continuum, medium versus puberulum.

Petrophila scabriuscula calycem non complete in sepala solutum profert. Lobi calycis perangusti, saltem ætate tubo paulo breviores. Stigma fusiformi-cylindraceum, continuum, linea paulo longius, præter basim puberulum. Caryopses vix sesquilineares, primum conico- demum rhombeo-ovatæ, dorso planiusculæ, ventre fere digonæ, margine villis fulvidis ciliosæ.

Petrophila phylicoides fortasse plantam includit me ipso circum montes Stirlingi collectam, quæ ibidem fruticulum simpliciusculum pedalem format, capitulis nec viscidis nec crebrifloris et calycibus glabris acutilobis a duabus speciebus præcedentibus sufficienter distinguendam. Sepala flava semipollicaria, ætate perfecte soluta.

Petrophila seminuda ostendit calycem in sepala, quæ mutica, omnino solutum. Caryopsis vix sesquilinearis, orbiculari-ovata, paulo trigona, margine villoso-ciliosa.

Petrophila Drummondi folia non sulcata, interdum scabra exhibet. Sepala secedentia ; ungues pertenues, laminis fere triplo longiores. Capitula hujus speciei iis P. biternatæ haud absimilia. P. triternata differe videtur sepalis dense lanuginoso-tomentosis, bracteolis fructiferis extus tenui-lanuginosis. Hujus caryopses ferme $2'''$ longæ, quadrato-obovatæ, leniter trigonæ, faciebus glabræ, margine dense longeque ciliosæ. P. crispata ad harum specierum formarumve cyclum pertinet.

Petrophila Serruriæ (Br. Suppl. p. 6 ; P. glanduligera, Lindl. Bot. Reg. xxv. app. p. 35) ad flumina Vasse, Kalgan, Gordon River neque non circum tractum montanum Stirling's Range nascitur. Calycis tubus non in sepala separans, limbo ter longior. Frutex pluripedalis.

Petrophila axillaris in systema locum prope speciem antecedentem tenebit. Calycis tubus haud in sepala secedens, lobis duplo longior. Stigma tenue, fusiformi-subulatum. Caryopsis $3\frac{1}{2}'''$ longa, inferne lenticulari- v. rhombeo-ovata, superne in acumen prælongum semilanceolatum producta, basi et margine inferiore longe villoso-ciliosa, aliunde glabra.

Petrophila chrysantha prope Dandaragan fruticulum 2–3′ sistit. Calyx in sepala mox perfecte divisus.

Petrophila inconspicua calyce prædita est haud in sepala soluto. Tubus limbo duplo longior.

Petrophila divaricata ad montes Stirlingi et rivum Kingii crescit. Frutex pluripedalis. Rami nonnunquam ab initio glabri. Calycis tubus limbo ter longior, non longitudinaliter fissus. Caryopsis utrinque parcissime et brevissime pilosula; nucleus cordatus, lineam longus, ala superne eidem æquilonga et apiculata inferne angustiore cinctus. Cilia nulla.

Petrophila circinnata ab antecedente longius distat propter caryopsem apteram; omnibus congeneribus involucro magno fere turbinato præstat. Bracteæ nempe interiores pollicares, elongato-oblongæ, chartaceæ, satis elasticæ, præter apicem acuminatum glabræ. Bracteolæ et flores mihi desunt. Caryopsis sesquilineam longa, trigono-ovata, sensim acuminata, in paginis parcius secus margines copiosius brevi-villosa.

Petrophila squamata a fluvio cygnorum ad promontorium Cape Arid extendit. Rupes graniticas sæpe incolit, et altitudinem 8′ attinet, etsi jam statu pedali floret. Calyx nunquam in sepala solutus. Indumentum calycis modo fulvescens, modo pallescens. Longitudo et latitudo segmentorum in foliis inconstantes. Tumescentia stigmatis evidenter varia; membrum ejus superius interdum leniter puberulum. Variat foliis inferioribus simplicissime linearibus. Distinctiones specificæ inter P. squamosam, P. bilobam, P. coloratam et P. propinquam mihi nondum claræ.

Petrophila trifida calycem non in sepala secedentem extus sericeum ostendit.

Petrophila plumosa sepala habet mox disjuncta.

Petrophila heterophylla in collibus rupestribus saltem a montibus Stirlingi usque ad rivum Oldfieldii invenitur. Bracteæ interdum toto dorso sericeo-tomentosæ. Calyx ut videtur nunquam in sepala secedit. Caryopsis sesquilinearis. Frutex 2′.

Petrophila diversifolia in amplo Proteacearum regno ob foliationem filicinam singularis est. Folia sæpe in eadem stirpe mire heteromorpha. Sepala mucronulata, tota longitudine extus vestita. A sinu Regis Georgi ad flumen cygnorum vergit, ceteris limitibus geographicis nondum definitis. Variat altitudine $\frac{1}{2}$–5′.

Petrophila carduacea circum montes Stirling's Range invenienda est. Capitula pedunculo plurilineari, bracteis rhombeo- v. deltoideo-ovatis squamato imposita, vix pollicem metientia. Sepala mutica, tantum 3‴ longa, inferne pilis ochroleusis sericea, apicem versus glabra et intense flava. Stigma fusiformi-cylindraceum, continuum, medium versus pilosulum. Stylus glaber.

Petrophila striata a pago Hamden et portu Gregori mihi suppetit. Bracteæ involucrantes interiores usque ad 4‴ longæ. Bracteolæ floriferæ semilanceolatæ, tenui-acuminatæ, 2–4‴ longæ, extus dense villoso-sericeæ, normaliter persistentes et receptaculo adnatæ, sed haud lignescentes. Calyx pallide sericeo-pubescens, sæpe unciam longus, non in sepala secedens, etiamsi basis in lobos 4 frangitur. Tubus lobis setaceo-mucronatis vix triplo longior.

Caryopsis tenui-conica, glabra, circiter 4‴ longa, inferne turgens, superne compressa et sensim in stylum longe acutata, basi villis perteneris albis patentibus pericarpii longitudinem attinentibus in penicilli modum cincta. Semen rotundum.

Petrophila biternata sepala fert semipollicaria, mox omnino libera. Caryopsis vix 2‴ longa, orbiculari-ovata, subito breviter acuminata, conspicue compressa, toto margine villis longis copiosis cincta. Aberrat foliis simpliciter pinnatisectis, segmentis ad 3‴ latis.

Petrophila macrostachya septentrionem versus usque ad Champion Bay crescit. Sepala 3–4‴ longa, mox separata.

Petrophila Shuttleworthii flumine Murchisonii tenus occurrit. Spicæ 1–2″ longæ. Sepala mutica, circiter 4‴ longa, glabra, cito disjuncta. Caryopses cordato-ovatæ, circiter 2‴ longæ. Reperitur etiam foliis tantum pollicem latis.

Petrophila fastigiata repræsentatur, quantum e brevissima diagnosi Brownii elucet, stirpe ad Eyre's Range occurrente. Frutex circiter 3′. Folia supra tenuiter unisulcata. Bracteæ pluriseriales, circum trientem capituli involucrum hemisphæricum formantes, parte emersa fusco-nigræ ; exteriores deltoideo-rhombeæ, 1–1½‴ longæ ; interiores magis lanceolato-ovatæ et ad 3‴ longæ ; omnes intus superne albo-velutinæ, extus præter marginem glabræ. Calyx flavus, circiter 4‴ longus, in sepala apice cuspidulata secedens. Stylus glaber. Stigma lineam paulo excedens, tenui-fusiforme, continuum, obtusiusculum, dimidio superiore scabro-barbellatum. Bracteolæ fructiferæ satis lignescentes, parte superiore late triangulari glabræ, parte inferiore extus tomentellæ. Caryopses trigono-ovatæ, conice acutatæ, 2‴ longæ, 1‴ latæ, facie interna et apice glabræ, facie externa imperfecte sed margine præter apicem perfecte villoso-ciliosæ. Foliorum segmenta stricta non compressiuscula, absentia pedunculorum, involucrum magnum e squamis spadiceis lanuginoso-limbatis constans, bracteolæ sub anthesi sensim tenuiter acuminatæ, stigma multo densius barbellatum, strobili majores copiosius bracteolosi et nucula angustior hancce plantam a P. pedunculata probe distinguunt.

Petrophila conifera caryopses cordatas sesquilineam longas brunneas facie ventrali turgentes et hinc parce sed margine et dorso dense fulvo-villosas gignit. Strobili circiter unciales, ætate sæpe glabrescentes, bracteolas haud copiosas continent. Frutex e notis Oldfieldii 1–4′. Folia aliquot tantum bilobata.

Petrophila rigida calycem in sepala disjungit. Vidi plantam ad Kalgan et in locis vicinis.

Petrophila acicularis a sequente foliis leviter unisulcis v. lenissime compressis vel supra planiusculis præcipue divellitur. Ad flumen Kalgan fruticulum ulnarem sistit.

Petrophila teretifolia calycem in petala dissolvit. Caryopsis rhombeo-orbicularis, sesquilinearis, basi styli setaceo-rostrata, dorso

glabra, ventre et toto margine villis dense compta. Diversitates specificæ, quibus P. filifolia, P. longifolia, P. crassifolia, P. juncifolia, P. media et P. brevifolia tuto a P. teretifolia distinguuntur, omnino obscuræ manebant. Calyx omnium facile in sepala delabitur. Nuculæ omnium persimiles. Una alterave hujus speciei forma orientem versus ad Cape Arid extendit. Folia interdum pedalia. Proportio longitudinis articulorum stigmatis notam tantum fallacem pro discrimine specierum offert.

Characteres cardinales, quibus Petrophila et Isopogon separantur, sequente modo tutius exprimendi apparent.

Petrophila: Calyx sæpe in sepala solutus; tubus fere semper crassiusculus, ante fructus maturitatem omnino deciduus. Bracteolæ cum receptaculo semper cylindrico nunquam plano connatæ, persistentes, ætate lignescentes. Caryopses compressæ, ciliosæ, raro fere glabræ. Basis styli valida, persistens. Pericarpium crustaceum vel tenui-cartilagineum. Cotyledones transverse ovales, fere renatæ, raro orbiculatæ.

Isopogon: Calyx nunquam in sepala solutus; pars tubi pertenuis ima fere usque ad fructus maturitatem persistens, expandentibus caryopseos villis decedens. Bracteolæ cum receptaculo cylindrico v. convexo v. plano articulatæ, separabiles v. sponte secedentes, ætate fere immutatæ, haud lignescentes. Caryopses semper minutæ, utrinque æqualiter turgentes, basi v. undique villosæ. Basis styli pertenera defrangens. Pericarpium membraneum. Cotyledones longitudinaliter ovatæ v. ellipticæ, sursum angustiores.

Forma et magnitudo valvarum, seminum et septorum pro diagnosibus Banksiarum invenio magni momenti. Tali modo B. serrata producit dissepimentum saltem unciam longum, inæquilaterale, chartaceo-crustaceum, fere medio tenus bilaminatum, infra apicem emarginatum, prope alterum marginem incrassatum; valvas magnas antice sensim rotundatas; alas fere pollicem longas, quarum alterum dimidium (longitudinaliter sumptum) cuneato-ovatum, alterum abbreviatum tantum modo 2–3‴ longum semi-ovatum; nucleum fere semipollicarem, deltoideo-ovatum. Banksia Cunninghami valvas habet satis parvas vertice valde depressas, septa æquilatera tenui-crustacea vix semipollicaria vertice tantum divisibilia, alas integerrimas 3–4‴ longas et latas, nucleum 2–3‴ longum anguste triangularem. Septa, quantum video, vix ullam testæ partem constituunt, quum seminum structura ei Hakearum et generum affinium simillima.

Grevillea paradoxa.

(Sect. Conogyne.)

Fruticosa, ramulis junioribus tomentosis, ***foliis teretibus glabris bi- v. triternatisectis exsulcis,*** segmentis divaricatis mucronatis,

spicis ellipsoideo-cylindricis sessilibus, bracteolis majusculis rhombeo- v. lanceolato-cuneatis extus lanatis, *rachi crassiuscule cylindracea dense tomentosa, pedicellis brevissimis, sepalis æqualibus* parvis cum stylo capillari longe exserto glabris, glandula hypogyna semiannulari satis procera, stigmate conico-cylindrico, germine sessili puberulo, *carpidiis oblique rotundo-ovatis* acutiusculis appresse tomentosis stylo diu terminatis brevissime stipitatis.

In Australia occidentali; J. Drummondi collectio num. 11.

Frutex facie quarundam Hakearum. Pars inferior foliorum indivisa, quasi petiolaris, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longa, cum segmentis circiter $\frac{2}{3}$‴ crassa; segmenta bi- usque plurilinearia, pungentia. Spicæ 1–2-pollicares, ante anthesin ob bracteolas dense imbricatas lanato-tomentosæ, basi bracteis lanceolatis acutis 2–3‴ longis stipatæ. Bracteolæ florigeræ 1–$\frac{1}{2}$‴ longæ, intus glabræ, superiores sæpe diminutæ et floribus perfectis orbatæ. Calyces brevissime pedicellati, scilicet gemini, circiter $2\frac{1}{2}$‴ longi; ungues laminis multo tenuiores. Stylus fere semipollicaris. Stigma tenui-cylindricum, basi incrassatum, vix $\frac{2}{3}$‴ longum. Fructus maturus ignotus; immaturus fusco-tomentosus, 3‴ longus, crustaceus, styli basi rostellatus, scilicet dispermus. Semina æquilatera, statu immaturo elliptica, planiuscula, pallide fusca, margine tenerrime membraneo albido nucleum latitudine fere æquante undique alata.

Inter congeneres quoad habitum proxime stat G. erinaceæ, G. biternatæ et præcipue G. intricatæ, characteribus autem datis eximie separanda.

Buckinghamia.

Flores bisexuales, racemosi, involucro destituti. Sepala 4 inæqualia, unilateraliter valde recurvata, denique delapsa. Stamina 4, apice dilatato sepalorum inclusa. Antheræ fere sessiles, biloculares, muticæ; loculi divergentes, longitudinaliter dehiscentes. *Glandula hypogyna solitaria*, fere semiannulata. Stylus filiformis, demum deciduus. Stigma orbiculare, terminali-laterale. Germen uniloculatum, pauci-gemmulatum. *Carpidium lignoso-coriaceum, latere anteriore dehiscens*, 3–6-*spermum*, oblique orbiculari-ovatum, compressum, fere sessile, breviter rostratum. *Semina paulo supra basim affixa, late ovata, plana, circumcirca anguste alata.* Pelliculæ interjacentes nullæ. Albumen absens. Cotyledones planæ, teneræ. Radicula brevissima, infera.

Arbor Australiæ boreali-orientalis umbrosa, foliis sparsis lanceolatis v. ovato-lanceolatis integerrimis, stomatibus hypogenis, racemis elongatis, pedicellis geminis solitarie et minute bracteolatis, floribus albidis valde fragrantibus.

Genus a Grevillea seminum pluralitate discedens ornavi illustri nomine Ducis nobilissimi procerisque de Buckingham et Chandos, nunc coloniarum serenissimæ Britanorum Reginæ supremi Administratoris.

Buckinghamia celsissima.

In silvis montium prope sinum litoreum Rockingham's Bay ; J. Dallachy.

Arbor ultra 60′ alta. Lignum haud durum. Cortex lævis. Petioli participes indumenti cano-fusci v. canescentis ramulorum, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longi. Folia crasso-chartacea v. tenui-coriacea, ætate 3–5″ longa, 1–2″ lata, tenui-pennivenia, tenuissime reticulari-venosa, supra nitentia fere glabra et saturate virentia, subtus splendoris expertia sed tenuissime sericeo-velutinella et cana, apice satis acuta, etsi mutica, basi in petiolum sensim angustata. Racemi terminales v. e summis foliorum axibus oriundi, breviuscule pedunculati, 3–8″ longi. Rachis densiuscule sericea. Bracteolæ vix lineam longæ, ovato-semilanceolatæ. Pedicelli tenues, 2–3‴ longi. Sepala si curvaturam addas, circiter 3‴ longa, extus tenuiter cano-sericea, intus alba et glabra. Antheræ fere cordatæ, $\frac{1}{3}$‴ longæ. Stylus semiuncialis v. paulo longior, cum germine perbreviter stipitato glaber. Glandula hypogyna fere semiovata, stipitem germinis unilateraliter stipans. Capsula circiter pollicaris, haud costata. Seminum nucleus late ovatus, ala lineam lata fragili sordide fusca concolore cinctus. Cotyledones 4–5‴ longæ, oblique cordato-orbiculatæ, basi perminute bilobæ.

Stirps ad Grevilleas facile trahenda, characteribus tunc G. Hillii proxima.

Lambertia ericifolia floribus scarlatinis ornata est. Frutices saltem decempedales circum montes Stirlingi vidi.

Lambertia uniflora æquo modo floribus scarlatinis superbit. Antecedentis comes et vix minus alta.

Lambertia echinata altitudine inter 2 et 10′ variat. Notavi speciem ad Albany, Porongerup, Mount Barker. Flores gilvi.

Lambertia inermis a montibus Stirling's Range ad East Mount Barren occurrit. Frutex usque 12′. Flores flavi. Folia interdum orbiculata.

Carnarvonia aralifolia foliolis variat ex parte pinnatisectis. Flores albidi.

Stirlingia capillifolia cum St. teretifolia vel specie persimili ad flumen Murchisoni crescit. Ad hunc fluvium quædam species Synapheæ extendunt ; abhinc iterum usque Russell's Range. Sed distributio perplurium generum et specierum austro-occidentalium orientem versus adhuc perfecte investiganda est.

Stirlingia paniculata ad Willyung, Porongerup, et Stirling's Range mihi obvenit. Frutex 3–5′, quasdam umbelliferas simulans. Flores flavo-virentes, basi rubelli.

Fascicul. XLIX. editus fine Decembris 1868.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

INTERPRETATIO LITHOGRAMMATUM.

Tabula XLV.—*Fitzgeraldia mitrastigma.*

1, alabastrum; 2, flos junior antice visus; 3, flos junior postice visus; 4, flos plane evolutus; 5, idem petalis partim demotis; 6, antheræ stigmati adhærentes; 7, flos petalis genitaliisque orbatus; 8, stigma cum parte staminum; 9, stamina separata; 10, fructus; 11, idem sectione verticali; 12, semen; 13, semen raphem ostendens; 14 et 15, sectiones seminis; 16, pistilla.—Figuræ ut in sequentibus tabulis vario gradu auctæ, nisi contrarium indicatur.

Tab. XLVI.—*Davidsonia pruriens.*

1, pili vestientes; 2, pars paniculæ junioris; 3, flos staminibus remotis; 4, calyx cum germine; 5, flos expansus; 6, antheræ; 7, germina; 8, fructus junior; 9 et 10, fructus senior sectus; 11, semen latere visum; 12, semen margine visum; 13, cotyledon; 14, embryo completus.

Tab. XLVII.—*Leschenaultia agrostophylla.*

1, partes totius floris; 2, stamina; 3, stylus varia positione; 4, fructus; 5, semina; 6 et 7, sectiones seminis; 8, embryo.

Tab. XLVIII.—*Leschenaultia filiformis.*

1, partes totius floris; 2, stamina; 3, stylus positione varia; 4, fructus; 5, semina; 6 et 7, sectiones seminis; 8, embryo.

Tab. XLIX.—*Stylidium Barleei.*

1, pili indumenti; 2, flos junior; 3, flos aperiens; 4, flos apertus; 5, labellum; 6, antheræ; 7, calyx fructifer; 8, fructus patefactus; 9, septum; 10, semina.

Tab. L.—*Velleya cycnopotamica.*

1, alabastrum; 2, flos apertus, cujus corolla remota; 3, calyx cum corolla; 4, idem, sepalo uno reverso; 5, stamina; 6, pistillum; 7–9, calyx cum fructu; 10, facies seminis; 11, margo seminis; 12 et 13, embryo.

TAB. LI.—*Goodenia Hassallii.*

1, pars ramuli cum barba axillæ ; 2, flos ante expansionem ; 3, corolla ; 4, calyx et genitalia ; 5, stamina ; 6, grana pollinis ; 7, stylus cum indusio ; 8, calyx fructiger ; 9, fructus patefactus ; 10, dissepimentum ; 11, facies seminis ; 12, margo seminis ; 13 et 14, sectiones seminis.

TAB. LII.—*Goodenia Stranyfordii.*

1, flos inapertus ; 2 et 3, corolla ; 4, calyx cum genitaliis ; 5, stamina ; 6, pollinis granula ; 7, stylus cum indusio ; 8, calyx fructifer ; 9 et 10, fructus patefactus ; 11, septum ; 12 et 13, sectiones seminis ; 14, facies seminis ; 15, margo seminis.

TAB. LIII.—*Goodenia Bonneyana.*

1, pili articulati ; 2, flos ante anthesin ; 3 et 4, corolla ; 5, stamina ; 6, pollinis granula ; 7, stylus cum indusio ; 8, calyx fructifer ; 9, fructus dimidiatus ; 10, valva capsulæ vacua ; 11, septum ; 12, semen a latere et a margine ; 13, ejus sectio.

TAB. LIV.—*Casuarina acuaria.*

1, articuli ramuli ; 2, ejus sectio transversa ; 3 et 4, ejus partes imperfecte separatæ ; 5 et 6, sectiones ; 7, amentum masculum statu juniore ; 8, bracteæ ; 9, valvæ seminiferæ ; 10, semen a latere et a margine visum ; 11, semen apertum, ut embryo videatur.

TAB, LV.—*Carnarvonia aralifolia.*

Ramulus fructifer cum suis foliis, magnitudine naturali.

TAB. LVI.—*Carnarvonia aralifolia.*

1, panicula magnitudine naturali ; 2, flos evolutus ; 3, stamina ; 4, pistillum ; 5, fructus dorsum ostendens ; 6, fructus apertus ; 7 et 8, ejus sectio transversa ; 9, fructus immaturus ; 10, ejus sectio longitudinalis ; 11, semina.

TAB. LVII.—*Cirrhopetalum Elisæ.*

1, pseudobulbus cum ejus sectione ; 2 et 3, flores ; 4, anthera ; 5, massæ pollinis ; 6, labellum ; 7, columna cum sepalis interioribus et labello.

TAB. LVIII —*Astrotricha Hamptoni.*

1 et 2, pili investientes ; 3, flos ; 4, petala ; 5, stamina ; 6, pollinis granula ; 7–9, fructus ; 10–13, ejus sectiones ; 14, semina ; 15, albumen ; 16, ejus sectio embryonem exhibens.

TAB. LIX.—*Pimelea Holroydi*

1, flos sub anthesi ; 2, flos patefactus ; 3, stamina ; 4, stylus cum stigmate ; 5, fructus parte calycis inferiore vestitus ; 6, fructus denudatus ; 7 et 8, semen ; 9 et 10, ejus sectiones ; 11, embryo.

TAB. LX.—*Melodorum Maccræi.*

1, bracteola ; 2, flos inapertus ; 3, petala exteriora ; 4, petala interiora ; 5 et 6, flos petalis orbatus ; 7, styli ; 8, stamina ; 9, fructus ; 10, ejus sectio longitudinalis ; 11, sectio seminis.

F. Schonfeld del & lith. F. Mueller direxit. De Gruchy & Leigh imp.

Fitzgeralda mitrostigma *F.M*

F Schoenfeld del & Lith

F Mueller direxit

De Gruchy & Leigh imp

Davidsonia pruriens *F. M.*

del & lith. F Mueller direxit De Gruchy & Leigh imp

Leschenaultia agrostophylla F.M.

F. Schonfeld del & lith. F. Mueller direxit De Gruchy & Leigh imp.

Leschenaultia filiformis *R. Br.*

T. Schonfeld del. & lith. F. Mueller direxit H.C. De Gruchy & Co imp

Stylidium Barleei *F. M.*

F Schönfeld del & lith F Mueller direxit H.G.De Gruchy & Co. imp

Velleya cycnopotamica *F. M.*

F Schonfeld del & lith. — T Mueller direxit — H.C.De Gruchy & Co imp

Goodenia Hassalli *F. M.*

F Schönfeld del & lith

F. Mueller direxit

H.G. De Gruchy & Comp.

Goodenia Strangfordii *F. M.*

Goodenia Bonneyana. F. M.

F Schoenfeld del & lith

H G.De Gruchy & Co imp

Castiarina acuaria F M

Carnarvonia aralifolia *F.M.*

Carnarvonia aralifolia *F. M.*

F Schoenfeld del. lith. F Mueller direxit. H.G.De Gruchy & Cº. Lith:

Cirrhopetalum Elisae *F.M.*

F. Schoenfeld del. & lith. F. Mueller direxit H. G. De Gruchy & Co. Lith.

Astrotricha Hamptoni *F. M.*

F. Schoenfeld, del & lith. F. Mueller direxit H. & De Grushy & Cie Lith.

Pimelea Holroydii *F. M.*

F. Schoenfeld del & Lith.

F. Mueller, direxit.

H. G. De Gruchy & Cº Lith.

Melodorum Maccreai F. M.

ADDITAMENTA AD VOLUMEN SECUNDUM.

Deeringia altissima.—p. 92.

Prope Rockhampton sec. O'Shanesy ; prope Rockingham's Bay ; Dallachy. Rami satis scandentes. Sepala recentia albida. Bacca rubra. Folia interdum fere glabra. Cortex tenax. D. celosioides extendit ad Darling's Downs sec. Lau et ad Rockingham's Bay.

Arthrocnemum triandrum.—p. 139.

Hoc sub nomine Salicorniæ robustæ in opere Plants of Victoria tab. lxxxiii. ad Salicornias reductum est, ita etiam Halocnemum cinereum.

ADDITAMENTA AD VOLUMEN TERTIUM.

Gossypium Sturtii.—p. 6.

Includit G. Australiense, Todaro Osservazione su talune Specie di Cotone (1868).

Crinum uniflorum.—p. 23.

Ad flumen Liverpool-River producit scapum gracilem, flore aliquoties longiorem ; folia 1–1½′ longa, ½–¾″ lata. Crescit etiam ad promontorium Cape York.

Coatesia paniculata.—p. 26.

Endocarpium perfecte secedens, inferne v. medio tenus saccatum. Semen fere basifixum, turgidum, pæne pyriforme ; testa brunnea, lævis, crustaceo-coriacea, non ossea. Endopleura membranea. Albumen nullum nisi emarcidum. Cotyledones rotundæ, plano-convexæ. Radicula brevissima, supera.

ADDITAMENTA AD VOLUMEN QUARTUM.

Podocarpus Drouyniana.—p. 86.

Pedicellus recens fructus cyaneo-niger, oblique truncato-ovatus, sæpe unciam longus, raro nuculam geminatam producens et tunc magis turbinatum. Fructus globoso-pyriformis, circiter ⅔″ longus, nunc magis flavidus, nunc magis rubellus.

ADDITAMENTA AD VOLUMEN QUINTUM.

Callicoma Stutzeri.—p. 32.

Stamina 10 v. passim 9. Planta habitu ad Pancherias approximatur.

Atkinsonia ligustrina.—p. 34.

Ab hoc genere Nuytsia divellitur pluribus fructus notis insignibus. Fructus maturus tripterus, alis additis pollicem latus, fragili-coriaceus, divisionibus formam semirenatum præbentibus. Semen unicum, acute trigonum. Albumen amygdalinum, haud sulcatum. Embryo rectus, clavato-cylindricus, axilis, dimidia albuminis longitudine. Cotyledones 4 (quod character videtur extraordinarius) passim 3, lineari-semicylindricæ, circiter $\frac{2}{3}'''$ longæ, radicula sæpe longiores. Species tam in montibus quam in planitiebus Australiæ occidentalis frequenter crescit.—Loranthus celastroides habet embryonem unicum, axilem, clavato-ellipsoideum, lineam longum, in cotyledones 3 v. 2 profunde divisum. Obvenit autem passim embryo alter. Pulpa vertice sulcis in massas 5 separata. Albumen amygdalinum, truncato-pyriforme, 2‴ longum, haud sulcatum. Radicula brevissima, supera.

Casearia Dallachii.—p. 107.

Frutex ætate arborescens. Fructus flavus vel sæpe ruber, ovato-globosus, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longus, statu sicco longitudinaliter 6-angulatus, indehiscens v. tarde in valvas tres ruptus. Semina circiter 8 maturantia, fusca, lævia, ovato-globosa, $1\frac{1}{2}$–2‴ metientia, sat angulata. Casearia esculenta, quæ habitu Glochidii prædita, nondum extra locum primo indicatum apud nos reperta est. Homalium Vitiense gaudet floribus albis.

Flindersia Brayleana.—p. 143.

Foliola usque 6-paria, latitudinem 3″ attinentia ; impar præsens v. absens. Fructus ellipsoideus, $2\frac{1}{2}$–3″ longus, pollicis diametro, verrucis parum prominentibus obtusissimis vel passim paulo acutis brevissime tuberculatus. Commissuræ carpidiorum læves. Carpidia disperma, igitur ad utrumque septi latus solitaria, undique sed basi et apice longius alata.

Mollinedia Wardelli.—p. 155.

Calyx fructifer fere orbiculatus, 2″ metiens. Carpidia 5 v. pauciora, globoso-ovata, statu nondum plane maturo 4‴ longa, brevissime stipitata.

Maba cupulosa.—p. 164.

Folia lanceolata frequenter producit. Calyx fructum interdum semiæquat. Omnes species in enumeratione arborum Australiæ (Documents of the Intercolonial Exhibition, p. 35) ad Diospyrum relegatæ. M. compacta gignit lignum album durum. Cortex lævis. Fructus purpurei, nativis edules. Calyx passim quadrilobus.

Cryptocarya Murrayi.—p. 171.

Hæc arbor dicata fuit præclaro Joanni Murray, Rockinghamensi.

Hyrtanandra lythroides.—p. 194.

Planta a sinu Rockingham's Bay nuper allata est. Folia occurrunt ternata et sparsa.

Callitris columellaris.—p. 198.

Congeneres numero cotyledonum variant. C. Actinostrobus, C. verrucosa, C. cupressiformis cotyledones duas frequentius gignunt, quam tres. Callitris Gunni, ut e seminibus multis germinantibus edoctus sum, cotyledones duas producit.

Anthistiria avenacea.—p. 206.

Huic et aliis speciebus me relatis adhuc comparandæ sunt A. cæspitosa et A. cuspidata, Anders. Monograph. Andropogon. i. 13 et 14 (C. Muell. Annal. Bot. Syst. vi. 1058), me supervisæ.

ADDITAMENTA AD VOLUMEN SEXTUM.

Gomphandra Australiana.—p. 3.

Fructus ellipsoideus, pollicem longus. Pericarpium statu recente flavescens, statu sicco fere coriaceum. Endocarpium cartilagineo-crustaceum, lividum, extus nervis crassis longitudinalibus prominenter striatum, intus lævissimum. Albumen inæqualiter et imperfecte divisibile. Embryo in parte superiore albuminis situs. Radicula supera, tenui-cylindrica, lineam paulo excedens. Cotyledones rotundo-ovatæ, membraneæ, planæ, circiter lineam longæ.

Stylidium crossocephalum.—p. 5.

Corollæ tubus 2‴ longus v. paulo longior ; lobi 2 obovato-cuneati ; 2 fere dimidiato-ovati, acuti, obliqui ; omnes flavescentes, 3–4‴ longi. Labellum 1½‴ longum, lanceolato-lineare, acutum, glanduloso-fimbriolatum ; faux lacinulis 4 semilanceolatis acuminatis appendiculata, quarum 2 exteriores majores. Columna glabra, lobis corollæ brevior.

Casuarina torulosa.—p. 17.

Stirps ad Rockingham's Bay ut C. suberosa penetrat. C. quadrivalvis rarissime monoica. C. Fraseriana est arbor minor, jam statu fruticoso fructifera. C. thuyioidem et C. trichodon circum montes Stirlingii notavi.

Styphelia.—p. 50 & 74.

Ad hoc genus, sensu ampliore acceptum, reduco Cyathopsidem (Ad. Brogn. et Gris in Annal. des Scienc. nat. 1865, ii. 152) et Mesotrichen, Phanerandram (Stschegl. in Bullet. de Mosc. 1859).

Epacris purpurascens.—p. 71.

Corollis plenis detecta est præclaro amico Woolls.

Carnarvonia aralifolia.—p. 81.

Arbor saltem 40′. Cortex lævis. Genus etiam Embothrio cognatum.

Ipomœa Davenporti.—p. 97.

Ad flumen Glenelg's River ; Dr. Martin.

Cirrhopetalum Elisæ.—p. 120.

Ad rivum Anne-River ; Dr. Beckler. Flores in racemo usque 15.

Villarsia geminata.—p. 137.

Ad hanc vix dubie pertinet V. sarmentosa, R. et S. Syst. Veg. iv. 180 ; Don. Gen. Syst. Dichl. Pl. iv. 169.

Villarsia reniformis.—p. 139.

Huic nomen V. exaltatæ, Don. Gen. Syst. iv. 169, substituendum.

Solanum Shanesii.—p. 144.

Folia ut ea S. Dulcamaræ decidua. Calyx cyatheus, 1½‴ longus, truncatus vel repandus. Corolla cœrulea, præter apicem glabra, profunde 5-loba ; lobi semilanceolati, circiter 3‴ longi. Stamina

libera. Filamenta brevissima. Antheræ lineari-oblongæ, sursum paulo attenuatæ, flavæ, 2‴ longæ; loculi poro terminali aperti. Stylus rectus, sursum incrassatus, glaber, fere 3‴ longus. Stigma minutum, capitatum. Solanum pterocaulon (scil. S. nigri forma) a Dunal et Walpers inter plantas Australianas ponitur. S. lasiophyllum Poiretii anno 1823 promulgatum plantæ homonymæ Humboldti jam anno 1818 descriptæ cedit. Recte igitur illi speciei nomen S. eriophylli Dunalio substitutum est.

Malaisia Cunninghami.—p. 193.

Huic pertinent Caturus Cunninghami, C. virescens, C. acuminatus, Seemann Flor. Vit. 254.

Taxotrophis rectinervis.—p. 192.

Rami, observante O'Shanesio, non lactescunt.

Pityrodia salvifolia.—p. 155.

Drupa superne exsucca, inferne paulo succulenta, ellipsoideo-obovata, valde obtusa, fere 2‴ longa, æqualiter quadriloculata, basi ample perfossa. Pericarpium durum, sed tenue. Septa tenuia. Loculi spurii v. vacui nulli. Semina ellipsoideo-clavata, lineam longa, pendula. Testa pallida, tenerrima. Embryo longitudine albuminis. Cotyledones ovales, radicula cylindrica dimidio breviores, intus planæ, extus leniter convexæ. Stratum albuminis satis tenue.

Aristolochia deltantha.—p. 179.

Fructus fere pyriformis, statu recente flavus, exsiccatione fulvescens, 2–3″ longus, vix ultra pollicem crassus, intus flavide pulposus; costæ 6 longitudinales prominentes. Semina rhombeo- v. cordato-deltoidea, 2–2½‴ metientia, e flavido canescentia, immarginata, lævia, altero latere perparum convexa.

Lambertia uniflora.—p. 248.

Planta optime illustrata est in Dietrich's Flora universali, Neue Folge tab. 73. In eodem opere illustrabantur: Eurybia erubescens, t. 89; Petrophila media, t. 71; P. longifolia, t. 71; P. biloba, t. 73; Anigosanthus bicolor, t. 74; Conostylis candicans, t. 74; Senecio megaglossus, t. 75; Phyllopappus lanceolatus, t. 76; Ozothamnus thyrsoideus, t. 78; O. obcordatus, t. 78; Johnsonia mucronata, t. 80; Laxmannia ramosa, t. 80; Astroloma macrocalyx, t. 1; A. divaricatum, t. 1; Goodenia albiflora, t. 2; G. pinnatifida, t. 2; Helichrysum leucopsidium, t. 5; Gentiana Diemensis, t. 7; Trichinium erubescens, t. 14; Lawrencella rosea, t. 15; Eurybia rosmarinifolia, t. 15; Leucopogon cucullatus, t. 19; L. polystachyus, t. 19.

INDEX ORDINUM, GENERUM ET SPECIERUM VOLUMINIS SEXTI.

(Nomina cursive impressa species descriptas indicant.)

	Page
Abroma augusta	173
fastuosa	173
Abrophyllum ornans	189
Abutilon lepidum	168
Acacia lophantha	23
ACANTHACEÆ	87
Achras Pohlmani	179
Acradenia Bosistoi	167
Franklini	167
Acrophyllum verticillatum ...	189
Acrostichum aureum ...	124
scandens	124
Acrotriche affinis	44
aggregata	44
cordata	44
depressa	44
divaricata	44
Manglesii	44
ovalifolia	44
patula	44
prostrata	44
ramiflora	44
serrulata	44
Actinotus *Gibbonsii*	23
minor	23
Adenanthos barbigera ...	205
cuneata	205
Dobsonii	204
linearis	205
obovata	205
procumbens	205
sericea	205
Ærva	234
Agrostis actinoclada	84
canina	86
parviflora	85
Virginica	84
Ailantus imberbiflora ...	166
Aillya umbellata	14
Ajuga Australis	109
Diemenica	109
sinuata	109
Albizzia Sutherlandii	22
Aldrovanda vesiculosa ...	104

	Page
Aleurites triloba	182
Allania Endlicheri	180
Alsomitra Hookeri	188
Alsophila Leichhardtiana ...	200
Alstonia constricta	117
ophioxyloides	117
scholaris	117
verticillata	116
villosa	117
Alternanthera Baueri ...	234
Alyxia buxifolia	117
capitellata	117
obtusifolia	117
ruscifolia	117
spicata	117
tetragona	117
AMARANTACEÆ	227
Amperea subnuda	182
Amphipogon laguroides ...	86
turbinatus	86
Andersonia aristata	63
brachyanthera ...	61
brachyota	62
brevifolia	61
cærulea	64
colossea	63
depressa	62
involucrata	62
latiflora	61
macrantha	61
micrantha	61
parvifolia	62
patricia	79
prostrata	62
spirophylla	62
sprengeloides	64
Andrachne fruticosa	183
Anigosanthus bicolor ...	255
Aniseia uniflora	99
Anisomeles moschata ...	109
salvifolia	109
Anodopetalum biglandulosum	189
ANONACEÆ	1, 176
Anopterus McLeayi	188

	Page
Anthistiria cæspitosa ...	253
cuspidata	253
Anthocercis albicans	143
amblyantha	143
anisantha	143
arborea	143
Eadesii	142
fasciculata	143
genistoides	143
glabella	143
gracilis	143
Hopwoodii	143
ilicifolia	143
Leichhardtii	142
litorea	143
microphylla	143
myosotidea	143
spinescens	143
Tasmanica	143
viscosa	143
Anthotroche pannosa ...	144
Antiaris macrophylla ...	194
Antidesma Bunium	184
Dallachyi	183
diandra	184
Ghæsembilla	183
Japonica	184
parvifolia	183
Zeylanica	184
APOCYNEÆ	116, 126
ARALIACEÆ	125
Archeria hirtella	71
serpillifolia	71
Traversii	71
Archidendron Lucyi	201
Ardisia *brevipedata*	163
Argophyllum Lejourdani ...	188
Aristolochia Baueri	180
deltantha ...	179, 255
Indica	180
prævenosa	179
pubera	180
saccata	180
strictiflora	180
Thozetii	180
ARISTOLOCHIEÆ	179
Artanema fimbriatum ...	104
Arthrocnemum triandrum ...	251
ASCLEPIADEÆ	135
ASPERIFOLIÆ	114
Astroloma Baxteri	35
Candolleanum	37
compactum	37
cuneifolium	37
divaricatum ...	37, 255
Drummondii	37
foliosum	37
glaucescens	37

	Page
Astroloma humifusum ...	37
juniperinum	36
lasionemum	40
latifolium	37
longiflorum	37
macrocalyx ...	37, 255
microcalyx	37
pallidum	37
xerophyllum	38
Astrotriche *Hamptoni*	125, 250
Astrotrichum calostachyum ...	231
Atherocephalus Drummondi	63
Balantium Antarcticum ...	199
Balfouria saligna	118
Baloghia lucida	182
Bambusa arundinacea ...	86
Bassia *galactoxyla*	27
Batatas paniculata	98
Beyeria lasiocarpa	182
Leschenaultii	182
opaca	182
tristigma	181
Billardiera cymosa	168
Bletia Paulinæ	95
Bolbophyllum Elisæ	120
Bonnaya veronicifolia ...	101
Brachychiton acerifolium ...	173
platanoides	173
Brachyloma concolor	39
ericoides	39
Preissii	39
Breweria media	100
pannosa	100
rosea	100
Bridelia faginea	182
Leichhardtii	182
tomentosa	182
Brochosiphon Australis ...	91
Brucea Sumatrana	166
Brunella vulgaris	109
Buchnera curviflora	104
gracilis	104
parviflora	104
urticifolia	104
Buckinghamia	247
celsissima	248
BUETTNERIACEÆ	158
Cadellia monostylis	166
Caladenia *flava*	83
Callicoma Stutzeri ...	188, 252
Callicomis verticillata ...	189
Callitris Actinostrobus ...	253
cupressiformis ...	253
Gunni	253
verrucosa	253
Calogyne *distylis*	6

	Page
Calogyne *pilosa*	7, 28
Calystegia marginata ...	99
sepium	99
Campynema lineare	96
Cananga	1
Canscora diffusa	136
Cansjera leptostachya ...	3
CAPPARIDEÆ	21
Carnarvonia	80
aralifolia	81, 248, 250, 254
Carumbium Sieberi	183
Caryospermum arborescens ...	202
Casearia Dallachii	252
esculenta	252
Casuarina *acuaria* ...	16, 250
Cunninghami	17
distyla	19
equisetifolia	17
Fraseriana ...	19, 254
glauca	18
Huegeliana	19
humilis	18
leptoclada	20
microstachya	17
Muelleriana	20
nodiflora	17
paludosa ...	... 19, 20
quadrivalvis ...	18, 254
stricta	... 19, 20
suberosa	20
Sumatrana	17
tenuissima	19
thuyoides ...	17, 254
torulosa ...	17, 20, 254
trichodon ...	17, 254
Webbiana	17
CASUARINEÆ	16
Caturus acuminatus	255
Cunninghami	255
virescens	255
Caulinia *Australiana*	198
Oceanica	198
CELASTRINEÆ	202
Celastrus bilocularis	203
Cunninghami	203
dispermus ...	167, 203
Celosia arborescens	234
Centranthera hispida ...	104
Centrotheca lappacea ...	85
Cephalotes follicularis ...	189
Ceratopetalum apetalum ...	189
Cerbera Odollam	117
Cheiranthera filifolia ...	168
linearis	168
Chilocarpus Australis ...	118
Chloanthes atriplicina ...	157
Bartlingii	156
bullata	156
Chloanthes coccinea	156
dilatata	157
hemigenioides	156
loxocarpa	157
Oldfieldii	157
stachyoides	158
Stœchadis	156
uncinata	156
verbascina	157
Chloris acicularis	85
digitata	85
divaricata	85
Moorei	85
scariosa	85
truncata	85
ventricosa	85
Choripetalum Australianum	164
Chrysophyllum *myrsinodendron*	178
pruniferum	26
Cibotium Billardierii	199
Cirrhopetalum *Elisæ* ...	120, 250, 254
Citriobatus multiflorus ...	168
pauciflorus	168
Claoxylon tenerifolium ...	183
Cleistanthus Dallachyi ...	182
Clerodendron inerme	152
Linnæi	151
ovatum	152
tomentosum	152
Coatesia paniculata ...	251
Codiæum chrysosticton ...	182
lucidum	182
Coldenia procumbens ...	115
Coleus scutellarioides ...	108
Commersonia echinata ...	175
Leichhardtii	175
COMPOSITÆ	27, 234
Conospermum amœnum ...	224
bracteosum	224
cœruleum	224
distichum	224
flexuosum	224
nervosum	224
patens	224
sphacelatum	223
taxifolium	224
tenuifolium	224
teretifolium	223
triplinervium	224
Conostephium minus ...	30
pendulum	40
planifolium	30
Preissii	40
Conostylis candicans ...	255
CONVOLVULACEÆ	97
Convolvulus Copticus ...	98
erubescens	99
marginatus	99

	Page
Convolvulus multivalvis ...	99
parviflorus	99
purpureus	99
reniformis	100
sepium	99
Soldanella	100
Corchorus Cunninghami ...	172
Walcottii	172
Cordia *aspera*	114
Brownii	114
dichotoma	114
orientalis	114
subcordata	114
Cordyline angustifolia ...	121
Murchisoni	121
Rumphii	120
stricta	121
Cosmelia	75
rubra	64
Cotula coronopifolia	114
filifolia	114
Covellia hispida	197
oppositifolia	197
Cressa Cretica	100
Crinum uniflorum	251
Crotalaria evolvuloides ...	225
humifusa	225
Croton acronychioides ...	186
Arnhemicus	186
triacros	185
Verreauxii	186
Cryptocarya Murrayi ...	253
Cryptostemma calendulaceum	114
Cucumis jucundus	187
picrocarpus	187
trigonus	187
CUCURBITACEÆ	186
Cucurbita *vacua*	186
Curculigo ensifolia	96
Cuscuta Australis	100
Cuttsia viburnea	188
Cyanostegia angustifolia ...	154
Bunnyana	153
intermedia	154
lanceolata	154
Turczaninowi	154
Cyathea *arachnoidea*	200
Cyathodes abietina	43
acerosa	43
adscendens	43
Banksii...	56
Colensoi	55
dealbata	43
empetrifolia	55
glauca	43
oxycedrus	43
robusta...	55
rubicunda	55

	Page
Cyathodes straminea	31
Cyathopsis	254
Cyclotheca Australasica ...	182
Cycnogeton Hugelii	83
lineare	83
Cynoglossum Australe ...	115
latifolium	115
suaveolens	115
CYPERACEÆ	93
Cyperus minimus	114
Cyphanthera albicans ...	143
cuneata...	142
microphylla	143
tomentosa	143
Cystanthe acerosa	69
procera	68
sprengeloides	68
Dampiera *Brownii*	29
Cunninghami	29
eriocephala	29
ferruginea	29
Lindleyi	13
Linschotenii	28
ovalifolia	29
purpurea	29
Reinwardtii	29
rosmarinifolia	29
rotundifolia	29
undulata	29
Dasymalla axillaris	158
terminalis	158
Datura alba	144
Davidsonia	4
pruriens	4, 249
Decaspora disticha	57
involucrata	57
pumila	57
thymifolia	57
Deeringia altissima	251
Dendrobium *bigibbum* ...	119
Smilliæ	94
Sumneri	94
tetragonum	119
Denhamia Oleaster	203
pittosporoides	203
Dianella angustifolia	123
Archeri	121
cærulea	123
congesta	123
divaricata	121
elegans	122
ensifolia	123
graminifolia	123
lævis	122
longifolia	122
odorata...	123
rara	122

	Page
Dianella *revoluta*	121
strumosa	122
Tasmanica	121
Diaspasis filifolia	16
Dichondra repens	100
Dicrastylis fulva	155
ochrotricha	155
parvifolia	155
reticulata	155
rosmarinifolia	155
Stœchas	155
Dicksonia *Antarctica* ...	199
squarrosa	200
Dicliptera *armata*	88
maculata	89
racemiflora	89
Diplopogon setaceus	86
Dipteracanthus Australasicus	91
Dischisma *capitatum*	114
Disoon Beckeri	150
cordifolius	150
floribundus	150
platycarpus	150
Distylis Berardiana	7
Donatia Novæ Zealandiæ ...	189
Dracæna *reflexa*	120
Dracophyllum	75
Milligani	65
minimum	65
secundum	65
Dryandra floribunda	92
Duboisia myoporoides ...	144
Duperreya sericea	100
Earlia excelsa	87
Ebermayera glauca	88
Echinocarpus Macbrydei ...	170
Woollsii	171
Echinospermum concavum ...	116
Echinus Philippinensis ...	183
Ehretia membranifolia ...	115
Elæocarpus Arnhemicus ...	172
cyaneus	172
foveolatus	172
grandis	172
holopetalus	172
obovatus	172
sericopetalus	171
Elæodendron Australe ...	204
melanocarpum ...	204
Epacrideæ	29, 79
Epacris ceriflora	70
cerinthoides	69
grandiflora	70
Gunnii	70
heteronema	71
hirtella	71
impressa	70

	Page
Epacris lanuginosa	71
longiflora	70
micranthera	72
nivalis	70
nivea	70
obtusifolia	71
pulchella	71
pumila	57
pungens 70,	80
purpurascens ... 71,	254
Traversii	72
Ephielis simplicifolia ...	153
Epicarpurus microphyllus ...	193
Orientalis	193
Eranthemum variabile ...	91
Eremophila alternifolia ...	148
Behrii	150
bignoniflora	148
Brownii	148
crassifolia	148
Drummondi	147
Duttoni	148
Freelingii	148
gibbosifolia	150
Goodwinii	148
latifolia	148
longifolia	148
MacDonnellii	150
Mitchellii	148
scoparia	148
Sturtii	148
Woollsiana	151
Eremosyne pectinata	189
Eriochloa punctata	85
Eriostemon *ambiens*	166
elatior	166
lepidotus	22
Nottii	22
nudus	166
Erycibe paniculata	100
Erythræa Australis	136
chlorifolia	136
Eucalyptus *ficifolia*	25
Eucryphia Billardieri ...	189
Moorei	189
Euphorbiaceæ	181
Euphorbia Chamæsyce ...	182
Mitchelliana	182
Euphrasia arguta	104
Eupomatia Bennettii 2,	177
laurina	2
Eurybia erubescens	255
rosmarinifolia	255
Euthales macrophylla ...	11
Evolvulus alsinoides	100
argenteus	100
decumbens	100
heterophyllus	100

	Page
Evolvulus linifolius	100
villosus	100
Exacum vaginale	132
Exarrhena suaveolens ...	115
Faradaya splendida	153
Festuca Billardieri	85
bromoides	85
ovina	85
pectinata	85
scabra	85
viscida	85
Ficus annulata	195
aspera	195
Australis	194
Beckleri	196
Benjaminea	195
caricoides	197
conglomerata	197
coronulata	196
eugenioides	195
flavescens	197
Fraseri	195
humilis	195
Leichhardtii	195
leucotricha	195
macrophylla	194
magnifolia	196
Muelleri	195
nesophila	195
nitida	195
opposita	196
oppositifolia	197
pilosa	195
platypoda	194
racemiflora	197
retusa	195
rubiginosa	194
salicina	196
scabra	196
stipulata	196
vesca	195
Filices	124, 199
Fitzgeraldia	1
mitrastigma ...	... 1, 249
Flindersia Brayleana ...	252
Franklandia fucifolia ...	223
Fugosia Australis	169
hakeifolia	169
populifolia	169
punctata	169
thespesioides	169
Gardneria angustifolia ...	131
fagræacea	130
ovata	131
Geissois Benthami	188
Gentiana Diemensis	255

	Page
Gentiana saxosa	136
Gentianeæ	136
Gillbeea adenopetala	188
Glossodia *Brunonis*	83
Glossostigma Drummondi ...	104
Glyceria ramigera	83
Gomphandra *Australiana* ...	3, 253
polymorpha	3
Gomphrena firma	234
Maitlandi	234
Goniotriche	234
Goodenia albiflora	255
amplexans	14
arthrotricha	226
barbata	15
Bonneyana ...	226, 250
calcarata ...	14, 227
corynocarpa	15
cyanea	11
cycloptera	14
disperma	15
elongata	14
filiformis	14
flagelligera	14
geniculata	14
glauca	14
grandiflora	14
Hassallii ...	10, 250
hederacea ...	... 13, 15
heterochila	12
heteromera	14
hispida	... 12, 28
humilis	227
leptoclada	227
leptotheca	13
macrophylla	11
microptera	227
mollis	13
ovata	15
pinnatifida ...	14, 255
pubescens	16
pulchella	14
quadrilocularis ...	13
rotundifolia	13
spicata	13
stelligera	14
Strangfordii ...	11, 250
strongylophylla	12
Goodeniaceæ ...	6, 28, 225
Gossypium Australiense ...	251
Sturtii	169, 251
Gramineæ	84
Grammatotheca erinoides ...	114
Grammitis decurrens ...	124
elliptica	124
Muelleri	124
pinnata	124
Graptophyllum *Earlii* ...	87

	Page
Gratiola latifolia	103
pedunculata	103
pubescens	103
Grevillea acanthifolia	204, 212
acrobotrya	213
Alphonsiana	210
anethifolia	209
annulifera	212
argophylla ...	208, 211
asparagoides	212
aspera	211
Banksii	210
Baxteri	212
biformis	208
bipinnatifida ...	204, 212
biternata ...	213, 247
brachystachya	211
Brownii	213
buxifolia	213
callipteris	209
Candolleana	213
chrysodendron ...	210
cirsiifolia	204
coccinea	212
commutata	207
concinna	212
confertifolia	211
crithmifolia	207
ctenophylla	212
depauperata	206
didymobotrya	208
disjuncta	206
Dryandri	209
Endlicheriana	211
erinacea	247
eriostachya	213
fasciculata ...	208, 213
gibbosa	210
Goodii	211
grammatophylla ...	214
heliosperma	210
heterophylla	209
Hewardiana	212
Hillii	191, 248
Hookeriana ...	208, 212
Hueglii	212
ilicifolia	212
intricata ...	209, 247
leptobotrys	209
leucopteris	212
Lindleyana	212
longifolia	210
longistyla	211
lorea	189
macrostylis ...	204, 211
Martinii	208
Meissneriana	213
mimosoides	210

	Page
Grevillea monticola	209
neglecta	211
nematophylla	208
nudiflora ...	208, 212
obtusifolia	208
oligantha	206
paradoxa	247
pauciflora ...	206, 211
pedunculosa	212
petrophiloides	209
phylicoides	213
Pinaster	212
pinifolia	208
pityophylla	208
platypoda	205
plurijuga	212
polybotrya	208
polystachya	210
Preissii	212
pterosperma	210
pulchella	209
quercifolia	213
rigidissima	212
robusta	210
sericostachya	210
singuliflora ...	92, 206
sparsiflora	206
sphacelata	213
striata	209
Sturtii	209
tetragonoloba ...	207, 212
trachytheca	207
trifida	209
triloba	213
trinervis	211
tripartita	213
venusta	211
vestita	213
Grewia latifolia	172
multiflora	172
Guichenotia ledifolia	174
Gumillea	4
Gymnogramme pinnata ...	124
Gymnopogon digitatus ...	85
Gynandropsis *pentaphylla* ...	21
Hakea acicularis	218
amplexicaulis	217
arborescens	190
auriculata	217
bipinnatifida	220
brachyptera	217
Candolleana	214
carinata	215
ceratophylla	217
chordophylla	190
circumalata	218
clavata	216

	Page
Hakea commutata	219
conchifolia	216
corymbosa	216
crassifolia	216
cucullata	216
Cunninghami	190
cycloptera	217
dactyloides	215
elliptica	216
epiglottis	218
eriantha	217
erinacea	220
eucalyptoides	216
flexilis	215, 216
florulenta	217
gibbosa	218
grammatophylla	214
Hookeriana	216
Kippistiana	219
laciniosa	217
lasiantha	215
lativalvis	219
Lehmanniana	218
leucoptera	219
lissocarpha	219
lissosperma	218
longicuspis	219
longifolia	190
lorea	189
macrocarpa	190
marginata	216
Meissneriana	219
microcarpa	215, 217
mimosoides	217
multilineata	215
nitida	217
nodosa	217
obliqua	218
oleifolia	215
orthorrhyncha	214
Pampliniana	218
pandanocarpa	216
patula	219
Preissii	219
pugioniformis	217
pycnobotrys	217
pycnoneura	215
recurva	218
repanda	216
rostrata	218, 219
rugosa	218
saligna	217
semiplana	217
smilacifolia	217
stricta	219
strumosa	219
suaveolens	214, 220
subsulcata	219

	Page
Hakea sulcata	219
tricostata	216
trifurcata	214, 220
trineura	216
ulicina	215
undulata	216
varia	219
verrucosa	218
vittata	219
Halgania andromedifolia ...	115
Bebrana	115
litoralis	115
Preissiana	115
solanacea	115
strigosa	115
tuberculosa	115
Halocnemum cinereum ...	251
Hannafordia *Shanesii* ...	175
Heleocharis capitata	94
fistulosa	93
sphacelata	94
Helichrysum leucopsidium ...	255
oligochætum	235
rutidolepis	235
Helicia ferruginea ...	191, 224
prælta	224
ternifolia ...	191, 224
verticillata	191
Helicteres Isora	173
Heliotropium arenarium ...	116
asperrimum	116
Curassavicum	116
Coromandelianum ...	115
elachanthum	116
erosum	116
Europæum	116
gracile	116
lacunarium	115
ovalifolium	116
undulatum	115
Helopus annulatus	116
Hemichroa divisa	85
pentandra	234
Hemicyclia sepiaria	234
Hemigenia canescens ...	182
diplanthera	112
humilis	111
microphylla	111
pimelifolia	112
podalyrina	112
purpurea	112
sericea	111
Sieberi	112
teretiuscula	112
Hemisteirus psilotrichoides ...	111
Heritiera litoralis	231
Herpestis cuneifolia	173
floribunda	104

	Page
Hibiscus Abelmoschus ...	169
brachysiphonius ...	169
diversifolius	169
heterophyllus	170
Krichauffii	169
leptocladus	169
Normani	169
panduriformis	169
pentaphyllus	169
radiatus	169
splendens	170
tiliaceus	170
vitifolius	169
zonatus	170
Howittia trilocularis	169
Hydrocharis Morsus Ranæ ...	199
Hygrophila angustifolia ...	88
Hymenosporum flavum ...	168
HYPOXIDEÆ	96
Hypoxis hygrometrica ...	96
glabella	96
Hyptiandra Bidwillii	165
Hyrtanandra lythroides ...	253
Ichnocarpus frutescens ...	118
leptodictyus	118
Ipomœa angustifolia	97
carnosa	97
chryseides	98
coptica	98
cymosa	99
Davenportii ...	97, 254
denticulata	97
dissecta	97
diversifolia	98
eriocarpa	98
filicaulis	97
gracilis	99
hederacea	99
heterophylla	98
hirsuta	98
insularis	99
litoralis	99
longiflora	98
luteola	98
maritima	97
modesta	100
Nil	99
palmata	98
paniculata	98
pannosa	98
pendula	98
pes capræ	97
plebeja	99
purpurea	99
Quamoclit	97
quinata	98
reptans	97

	Page
Ipomœa sessiliflora	98
tridentata	97
triloba	99
tuberculata	98
Turpethum	98
uniflora	99
Iresine Brownii	234
conica	234
Cunninghami	234
macrocephala	234
tenella	234
Isopogon	246
adenanthoides	241
anemonifolius	238
anethifolius	238
asper	240
attenuatus	237
axillaris	237
Baxteri	240
ceratophyllus	238
crithmifolius	239
divergens	241
formosus	240
heterophyllus	241
linearis	236
longifolius	237
Loudoni	238
petrophiloides	241
polycephalus	236
Protea	237
roseus	240
scabriusculus	240
spathulatus	237
sphærocephalus ...	236
teretifolius	241
tridens	239
trilobus	239
uncinatus	237
villosus	241
JASMINEÆ	86
Jasminum acuminatum ...	87
æmulum	87
calcarium	87
Dallachii	87
divaricatum	87
Forstenii	86
ligustrinum	87
lineare	87
molle	87
pubescens	87
racemosum	87
scandens	87
suavissimum	87
subelongatum	87
syringifolium	87
undulatum	87
Johnsonia mucronata ...	255

	Page
Josephinia Eugeniæ	163
grandiflora	163
imperatricis	163
JUNCAGINEÆ	81
Justicia *cavernarum*	91
eranthemoides	90
hygrophiloides	89
procumbens	91
Keraudrenia Hillii	174
Hookeriana	174
integrifolia	175
lanceolata	174
Kunzea *calida*	23
capitatæ	24
opposita	24
parvifolia	24
LABIATÆ	105
Lachnostachys albicans ...	159
ferruginea	159
verbascifolia	158
Walcottii ...	153, 159
Lactaria calocarpa	118
Moorei	118
Lambertia echinata	248
ericifolia	248
inermis	248
uniflora ...	248, 255
Lasianthera Australiana ...	3
Vitiensis	3
Lasiopetalum Baueri	174
cordifolium	174
dasyphyllum	174
Drummondi	174
parviflorum	174
parvuliflorum	174
Lawrencella rosea	255
Laxmannia ramosa	255
Leea sambucina	178
Leeuwenhoekia *stylidioides* ...	77
LEGUMINOSÆ	22, 201, 225
LENTIBULARINÆ	160
Lepturus repens	86
Leschenaultia *agrostophylla* ...	8, 249
filiformis	9, 249
formosa	226
hirsuta	9
longiloba	10
oblata	226
superba	10
tubiflora	226
Lestibudesia arborescens ...	234
Leucas flaccida	109
Leucocarpon celastroides ...	203
obscurum	203
Oleaster	203
pittosporoides	203

	Page
Leucopogon Allittii	34
amplexicaulis	45
apiculatus	31
assimilis	31
astrolomoides	46
Australis	33, 43
biflorus	45
blepharolepis	48
Bossiæa	47
brachycephalus ...	34
breviflorus	33
capitellatus	31, 36
ciliatus	45
Colensoi	55
concurvus	36
conostephoides ...	34
cordatus	32
cordifolius	45
crassiflorus	40
crassifolius	33
cucullatus ...	32, 255
cymbiformis	34
cymbula	55
distans	32
elatior	32
elegans	34
Epacridis	38
ericoides	45
exarrhenus	31
exolasius	34
exsertus	31
fasciculatus	55
flavescens	33
Fraseri	46
glabellus	32
glacialis	42
gracillimus	34
grandiusculus	47
hirsutus	31
Hookeri	45
juniperinus	46
lanceolatus	43
linifolius ...	31, 36
lissanthoides ...	33, 48
Malayensis	56
Macræi	46
margarodes	36
megacarpus	32
microphyllus	45
multiflorus	32
muticus	45
obovatus	31
obtusatus	45
opponens	48
oppositifolius	32
pendulus	33
pleiospermus	41
pleurandroides ...	32

	Page
Leucopogon plumuliflorus ...	29
pluriloculatus	32, 42
polymorphus	31
polystachyus ...	31, 255
pulchellus	34
pungens	34
racemulosus	33
reflexus	32
revolutus	31
Richei	33, 42
rotundifolius	33, 45
rubicundus	33
rudis	32
rufus	46
semiopositus	49
setiger	45
squarrosus	31
strongylophyllus ...	33, 40
subulatus	33
tetragonus	31
trichocarpus	45
variifolius	32
verticillatus	43
virgatus	42
LILIACEÆ	120, 180
Limnanthemum crenatum ...	137
exiguum	137
Fraserianum	137
geminatum	137
Kleinianum	137
minimum	137
Limnophila gratioloides ...	104
Morgania	104
Limosella aquatica	105
Drummondii	104
Lindernia alsinoides	102
Capensis	102
clausa	102
dilatata	102
plantaginea	102
pyxidaria	102
scapigera	102
subulata	102
veronicifolia	101
Linschotenia discolor ...	28
Liparophyllum Gunnii ...	137
Lippia asperifolia	151
lantanifolia	151
nodiflora	151
Lissanthe ciliata	42
Cunninghami	42
daphnoides	42
depressa	42
intermedia	42
montana	45
sapida	42
strigosa	42
subulata	42

	Page
Lobelia anceps	114
Lobopogon ericoides	39
Logania angustifolia	131
bracteolata	131
buxifolia	132
callosa	134
campanulata	133
centaurium	133
cordifolia	132
crassifolia	132
elliptica	132
fasciculata	131
floribunda	137
hispidula	133
hyssopioides	133
latifolia	132
linifolia	131
longifolia	132
micrantha	132
nuda	131
pusilla	131
revoluta	131
serpillifolia	133
spermacocea	134
stenophylla	132
vaginalis	132
LOGANIACEÆ	130
Lomaria articulata	124
euphlebia	124
Muelleri	124
scandens	124
Lomatia silaifolia	191
tinctoria	224
Loranthus celastroides ...	252
Lycopodium laterale	124
Lycopus Australis	109
Lyonsia Langiana	128
Leichhardtii	128
reticulata	129
straminea	129
Lysinema brevilimbatum ...	70
ciliatum	70
conspicuum	70
elegans	70
fimbriatum	70
pentapetalum	69
pungens	70, 80
Lysiosepalum Barryanum ...	174
Maba compacta	252
cupulosa	252
Macadamia ternifolia ...	191
Macaranga asterolasia ...	185
involucrata ...	183, 185
mallotoides	183
tanaria	183
Malaisia acuminata	193
Cunninghami ...	193, 255

	Page
Malaisia tortuosa	194
viridescens	193
Mallophora corymbosa ...	154
globiflora	154
Mallotus Apelta	184
Chinensis	184
chlaoxyloides	184
Dallachii	184
Furetianus	185
nesophilus	184
paniculatus	184
Philippinensis	183
polyadenos	184
pycnostachys	184
repandus	185
ricinoides	184
MALVACEÆ	168
Malvastrum spicatum ...	170
Marsdenia *araujacea*	135
rostrata	135
Maundia triglochinoides ...	83
Mazus Pumilio	104
Melhania incana	174
Melichrus adpressus	39
erubescens	39
medius	39
rotatus	39
urceolatus	39
Melochia corchorifolia ...	173
pyramidata	173
Melodinus acutiflorus ...	118
chilocarpoides ...	118
Guilfoylei	118
Melodorum Leichhardtii ...	2, 176
Maccreai ...	176, 250
Uhrii	2
Melothria Baueriana	188
Cunninghami	188
trifoliata	188
Mentha Australis	109
gracilis	109
grandiflora	109
laxiflora	109
saturejoides	109
Menyanthes exaltata	139
sarmentosa	137
Mercurialis tenerifolia ...	183
Mesotriche	254
Michiea symphyanthera ...	74, 80
Microcarpæa muscosa ...	104
Microcorys brevidens ...	112
lenticularis	113
loganiacea	113
longiflora	113
purpurea	112
selaginoides	112
virgata	112
Milium punctatum	85

	Page
Mimulus debilis	103
gracilis	103
prostratus	103
pusillus	103
repens	103
Uvedaliæ	103
Mimusops parvifolia	178
Mitrasacme distylis	131
laricifolia	131
montana	131
nuda	131
paradoxa	131
pilosa	131
polymorpha	131
Mitreola oldenlandioides ...	131
Mollinedia Wardelli	252
Molloya cynanchocarpa ...	223
Momordica Balsamina ...	187
dioica	187
Monotoca albens	58
elliptica	58
empetrifolia	58
lineata	58
scoparia	58
tamariscina	79
Morgania floribunda	104
glabra	104
pubescens	104
Morus Brunoniana	192
pendulina	192
Moschosma polystachya ...	108
Mukia scabrella	187
MYOPORINÆ	147
Myoporum acuminatum ...	149
brevifolium	150
Cunninghami	149
debile	149
deserti	148
diffusum	149
dulce	148
ellipticum	149
floribundum	150
gracile	149
humile	150
insulare	149
montanum	149
oppositifolium ...	149
parvifolium	150
platycarpum	150
rugulosum	148
salsoloides	150
serratum	149
subserratum	149
Tasmanicum	149
tenuifolium	149
tuberculatum	149
Myosotis Australis	115
staminea	115

	Page
Myosotis suaveolens	115
Myriocephalum Rudalli ...	235
MYRSINEÆ	163, 235
Myrsine *achradifolia* ...	164
campanulata	235
capitellata	164
rapanea	164
subsessilis	164
urceolata	235
MYRTACEÆ	23
NAJADEÆ	198
Needhamia	74
Nelsonia campestris	88
Neurachne alopecuroides ...	86
Mitchelliana	86
paradoxa	86
Newcastlia cladotricha ...	155
Nicotiana suaveolens ...	144
Niemeyera stylidioides ...	96
Nuytsia floribunda	252
NYCTAGINEÆ	197
OLACINEÆ	3
Oligarrhena	74
Ophioglossum pendulum ...	124
vulgatum	124
Opilia amentacea	4
ORCHIDEÆ	83, 94, 119
Orites excelsa	223
lancifolia	223
Orthosiphon stamineus ...	108
Orthostemon erectus	136
Ottelia alismoides	199
Ourisia integrifolia	105
Ozothamnus obcordatus ...	255
thyrsoides	255
Panicum decompositum ...	86
gracile	86
Papaver aculeatum	114
Parsonsia diaphanophleba ...	130
eucalyptophylla ...	130
glaucescens	126
induplicata	129
lanceolata	127
Langiana	128
Leichhardtii	128
lilacina	127
mollis	127
reticulata	129
straminea	129
velutina	130
ventricosa	130
Paspalum annulatum ...	85
Pedalium Murex	163
Pennantia Cunninghami ...	4
Pentachondra involucrata ...	57

	Page
Pentachondra pumila ...	57
Pentaptelion involucratum ...	155
Pentataphrus Behrii	36
Peplidium humifusum ...	105
Persoonia acerosa	222
acicularis	220
arborea	221
brachystylis	220
chamæpithys	222
dillwynioides	222
elliptica	222
falcata	222
Fraseri	222, 223
graminea	222
hakeiformis	223
hirsuta	222
juniperina	220
lanceolata	222
Laureola	222
linearis	222
longifolia	222
macrostachya	223
microcarpa	222
microphylla	221
mollis	221
myrtilloides	221
nutans	222
oxycoccoides	221
pinifolia	222
revoluta	221
rigida	221
saccata	223
scoparia	223
striata	223
sulcata	223
teretifolia	223
thymifolia	221
Petalostigma quadriloculare	182
Petrophila	246
acicularis	245
anceps	243
axillaris	243
biloba	244, 255
biternata	245
carduacea	244
chrysantha	243
circinata	244
colorata	244
conifera	245
divaricata	244
diversifolia	244
Drummondi	243
ericifolia	243
fastigiata	245
heterophylla	244
inconspicua	243
linearis	243
longifolia	255

	Page
Petrophila macrostachya ...	245
media	255
multisecta	242
pedunculata ...	242, 245
phylicoides	243
plumosa	244
pulchella	242
rigida...	245
scabriuscula	243
seminuda	243
Serruriæ	243
Shuttleworthi	245
squamata	244
striata	244
teretifolia	245
trifida	244
Phanerandra	254
Pharbitis hispida	99
insularis	99
Nil	99
Philoxerus conicus	234
diffusus	234
Phyllanthus Ferdinandi ...	183
Gunnii	183
Phyllopappus lanceolatus ...	255
Physalis parviflora	144
Physopsis spicata	154
Picrophyta calcarata	14
Pimelea *Holroydii* ...	159, 250
myriantha	160
Pipturus propinquus	197
Pisonia *aculeata*	197
alba	198
Brunoniana	198
excelsa	198
grandis	198
inermis	197
morindifolia	198
procera	198
silvestris	198
umbellifera	198
villosa	197
Pithecolobium Lucyi ...	201
Hendersoni	202
PITTOSPOREÆ	167, 186
Pittosporum eugenioides ...	167
melanospermum ...	167
ovatifolium ...	167, 186
phillyroides	167
revolutum ...	167, 186
rubiginosum	167
tenuifolium	167
undulatum	167
venulosum	186
Pityrodia Drummondi ...	157
salvifolia ...	155, 255
Plagianthus microphyllus ...	170
sidoides	169
Plagianthus spicatus	170
Plectranthus Australis ...	108
congestus	108
graveolens	108
moschatus	108
parviflorus	108
Poa annua	86
ramigera	85
Podocarpus Drouyniana ...	251
Poiretia cucullata	59
Polyalthia nitidissima ...	2
Polymeria *angusta*	100
calycina	100
pusilla	100
Polyosma Cunninghami ...	189
Polypodium Gheisbrechtii ...	124
pœcilophlebium ...	124
Polypompholyx Endlicherii ...	162
latiloba	162
multifida	162
tenella	160, 162
Ponceletia sprengelioides ...	60, 76
Porana sericea	100
Poranthera corymbosa ...	183
Premna serratifolia	153
Prionotes	74
cerinthoides	69
Pronaya Muelleri	168
Prostanthera aspalathoides ...	108
atriplicifolia	106
Baxteri	106
Behriana	106
Caleyi	108
canaliculata	105
coccinea	108
cœrulea	106
cotinifolia	107
cuneata	108
decussata	105
denticulata	105
euphrasioides	108
eurybioides	105
incisa	107
lasianthos	105
linearis	106
lithospermoides	107
marifolia	105
melissifolia	107
microphylla	108
nivea	106
ovalifolia	106
phylicifolia	105
pimeloides	107
prunelloides	106
retusa	107
rhombea	105
ringens	107
rotundifolia	107

	Page
Prostanthera saxicola ...	105
Sieberi	107
spinosa	108
striatiflora	106
violacea	107
PROTEACEÆ ... 80, 92, 189, 204,	236
Prunella vulgaris	109
Pseudopholidia brevifolia ...	150
Psilotrichum helichrysoides...	231
Pterospermum acerifolium ...	173
Ptilotus ærvoides ...	231, 234
alopecuroides ...	227, 233
arthrolasius	232
astrolasius	233
Beckeri	233
cæspitulosus ...	231, 234
calostachyus ...	231, 234
corymbosus ...	233, 234
declinatus	229
distans	228, 233
divaricatus ...	229, 233
Drummondii ...	229, 233
erubescens ...	229, 230
floribundus	233
gomphrenoides ...	234
gracilis	228, 233
grandiflorus ...	231, 234
helichrysoides ...	231, 233
helipteroides ...	231, 233
hemisteirus ...	231, 233
holosericeus ...	229, 233
humilis	229, 234
incanus... ...	228, 233
latifolius ... 231,	234, 233
lepidus	231
Lindleyi	233
macrotrichus ...	233, 234
Manglesii ...	230, 233
nobilis	227, 233
obovatus ...	228, 233
pachocephalus...	228, 233
parvifolius ...	229, 233
polystachyus	233
pyramidatus ... 230,	233, 234
rotundifolius ...	230, 233
sericostachyus ...	230
spatulatus ...	228, 233
Pycnolachne ledifolia	153, 159
Quamoclit vulgaris	97
Quintinia elliptica	92
Fawkneri	92
serrata	92
Sieberi	189
Verdoni	189
Quoya atriplicina	157
cuneata	157
dilatata...	157
Quoya hemigenioides... ...	156
loxocarpa	157
racemosa	158
verbascina	157
Rhamphicarpa fistulosa ...	104
Richea	75
acerosa	69
dracophylla	67
Gunnii	67
pandanifolia	67
procera	67
scoparia	68
sprengelioides	68
Ricinocarpus glaucus ...	182
pinifolius	182
Rottbœllia formosa	85
Rottlera Chinensis	184
tinctoria	183
RUBIACEÆ	25
Ruellia acaulis	91
Australis	91
bracteata	91
pumilio...	91
Rulingia densiflora	175
RUTACEÆ	22, 166
Salacia *prinoides*	202
Salicornia cinerea	251
robusta...	251
Salvia plebeja...	109
Samara Australiana	164
SAPOTEÆ	26, 178
SAXIFRAGEÆ	4, 92, 188
Scævola goodeniacea ...	16
Groeneri	15
microcarpa	16
Oldfieldii	16
oppositifolia	225
phlebopetala	16
spinescens	16
Schizomeria ovata	189
Scoparia dulcis	104
SCROPHULARINÆ	101
Scutellaria humilis	109
mollis	109
Sebæa albidiflora	136
ovata	136
Selagineæ	114
Senecio *Daltoni*	27
macranthus	28
megaglossus	255
Sentis rhynchocarpa	150
Seringea platyphylla... ...	175
SESAMEÆ	163
Sicyos angulatus	187
Sida crispa	169
geranioides	169

	Page
Sida *lepida*	168
micropetala	169
pleiantha	169
SIMARUBEÆ	165
Sloanea Australis	172
Macbrydei	170
Woollii	171
SOLANEÆ 27,	142
Solanum armatum	146
aviculare	144
biflorum	145
campanulatum ...	146
chenopodinum ...	146
corifolium	147
diversiflorum	146
echinatum	145
eremophilum	146
eriophyllum ... 145,	255
fasciculatum	144
furfuraceum	147
Hystrix	146
lacunarium	146
lasiophyllum	255
leptophyllum	147
lithophilum	145
magnifolium	27
nigrum	145
Oldfieldii	145
oligacanthum	145
orbiculatum	145
petrophilum	146
pterocaulon	255
pulchellum	145
pungetium	146
repandum	145
semiarmatum	146
Shanesii ... 144,	254
simile	145
stelligerum	147
Sturtii	146
verbascifolium ...	145
vescum	144
violaceum	147
viride	145
Soleniscia elegans	46
Sowerbæa *alliacea*	180
juncea	180
laxiflora	180
Spartothamnus Hookeri ...	153
junceus	153
Spathoglottis *Paulinæ* ...	95
plicata	95
Sphenotoma dracophylloides	65
gracile	66
squarrosum	66
Spiræopsis	4
Sponia aspera	194
Sporobolus elongatus ...	84

	Page
Sporobolus Indicus	84
pallidus	84
pulchellus	84
Sprengelia Andersonii ...	64
aristata	63
brachyanthera	61
brachynema	61
brachyota	62
brevifolia	61
cœrulea	64
colossea	63
depressa	62
incarnata	59
involucrata	62
latiflora	61
macrantha	59
micrantha	61
montana	59
parvifolia	62
patricia	79
Ponceletia	60
propinqua	59
spirophylla	62
Stemonurus Vitiensis ...	3
Stenanthera brachyloma ...	39
conostephoides ...	36
ericoides	39
pinifolia	36
squamuligera	36
Stenocarpus Moorei	224
salignus	224
sinuosus	224
STERCULIACEÆ	172
Sterculia fœtida	173
laurifolia	172
Stirlingia capillifolia	248
paniculata	248
Stomarrhena serratophylla ...	38
xerophylla	38
Strangea linearis	223
Streblus aspera	193
Brunoniana	192
pendulina	192
rectinervis	192
Striga curviflora	104
parviflora	104
Strychnos psilosperma ...	131
STYLIDEÆ	5, 77, 91
Stylidium alsinoides	6
Barleei	5, 249
bryoides	91
calcaratum	6, 78
capillare	92
crossocephalum ...	5, 254
debile	6
eglandulosum	6
eriorrhizum	6
Floodii	6

	Page
Stylidium floribundum ...	6
graminifolium ...	6
Lindleyanum	78
obtusatum	6
perminutum	78
scandens	79
soboliferum	6
uniflorum	6
Styphelia abietina	43
acerosa	55
adscendens	36
aggregata	44
Allittii	39
amplexicaulis	44
androstoma	55
apiculata	31
Australis	43
Baxteri	35
Billardieri	43
blepharolepis	48
blepharophylla	34
Bossiæa	47
brachycephala	34
brachyloma	39
Brownii	32
Candolleana	38
capitellata	31
ciliata	42
collina	45
compacta	38
conantha	30
concurva	36
conostephoides	40
cordata	44
crassiflora	40
crassifolia	33
cucullata	32
cuneifolia	37
Cunninghami	38
cymbiformis	34
cymbula	56
daphnoides	42
dealbata	43
depressa	42
distans	32
divaricata	44
Drummondii	37
Epacridis	38
elegans	46
elliptica	58
ericoides	45
erubescens	33
exarrhena	31
exolasia	34
flavescens	33
Fraseri	56
geissoloma	39
glabella	32

	Page
Styphelia *gracillima*	34
grandiuscula	47
Hainesii	47
hirsuta	31
Hookeri	44
humifusa	37
juniperina	46
læta	47
lanceolata	43
lasionema	40
latifolia	47
Leucopogon	31
Lindleyi	40
linifolia	36
lissanthoides	33
lobopogona	39
MacCræi	46
Malaica	56
margarodes	36
megacarpa	32
melaleucoides	30
Michiei	30
microcalyx	37
microphylla	45
montana	45
multiflora	32
mutica	45
obovata	31
opponens	48
oppositifolia	32
oxycedrus	43
pallida	37
patula	44
pendula	33
pentapogona	36
pinifolia	36
platyphylla	37
pleiosperma	41
pleurandroides ...	32
plumuliflora	29
pluriloculata	32
polymorpha	31
polystachys	31
Preissii	40
pulchella	34
pumila	57
pungens	34
racemulosa	33
ramiflora	44
Richei	42, 55
reflexa	32
rotata	38
rotundifolia	45
rudis	32
rufa	46
rubicunda	31
sapida	42
scoparia	58

	Page
Styphelia *semiopposita* ...	48
serrulata	44
setigera	45
Sonderi	36
squarrosa	31
straminea	43
strigosa	42
strongylophylla ...	33
subulifolia	33
Tameiamea	55
tenuifolia	46
tetragona	31
triflora	47
tubiflora	47
urceolata	38
variifolia	32
verticillata	43
virgata	42
viridiflora	47
xerophylla	38
Swertia parnassifolia ...	140
Symphyonema montanum ...	223
paludosum	223
Tabernæmontana Orientalis	117
pubescens	118
Tarrietia Argyrodendron ...	173
Taxotrophis microphylla ...	193
rectinervis ...	192, 255
Zeylanica	193
Telanthera longipes	234
Tetracarpæa Tasmanica ...	189
Tetralobus Preissii	162
pusillus	162
Tetraphylax quadrilocularis	13
Teucridium parviflorum ...	153
Teucrium argutum	110
corymbosum	110
petrophilum	110
racemosum	109
sessiliflorum	110
Thelymitra *ovata*	84
Thespesia populnea	170
Thomasia cognata	175
macrocalyx	175
rhynchocarpa	175
Thuarea sarmentosa	86
Thunbergia alata	91
THYMELEÆ	159
Thyrsacanthus Earlii ...	87
Indicus	88
TILIACEÆ	170
Torenia crustacea	102
flaccida	102
scabra	102
Tournefortia acclinis	116
argentea	116
mollis	116
Tournefortia Orientalis ...	116
Tragia Novæ Hollandiæ ...	183
Trichinium ærvoides	231
alopecuroides	227
angustifolium	228
atriplicifolium ...	228
Beckerianum	228
brachytrichum ...	231
candicans	227
corymbosum	231
dissitiflorum	228
distans	228
divaricatum	229
Drummondii	229
eriocephalum	229
erubescens ...	229, 255
floribundum	230
fusiforme	228
gnaphaloides	228
gracile	228
helipteroides	231
holosericeum	229
humile	229
incanum	228
lanatum ...	228, 233
macrocephalum	227, 230
Manglesii	230
mucronatum	228
nanum	229
nobile	227
obovatum	228
pachocephalum ...	228
parvifolium	229
polystachyum	230
Preissii	227
pyramidatum	230
roseum	230
rotundifolium	230
semilanatum	227
sericostachyum ...	230
spathulatum	228
spectabile	230
variabile	228
Trichodesma Ceylonicum ...	115
sericeum	115
Trichomanes squarrosum ...	200
Trichosanthes palmata ...	187
Triglochin calcarata	82
calcitrapa	82
centrocarpa	82
decipiens	82
dubia	83
filifolia	83
linearis	83
Maundii	83
minutissima	82
mucronata	81
nana	82

	Page
Triglochin Neesii	82
procera...	83
striata	83
trichophora	83
Triumfetta plumigera ...	172
procumbens	172
Trochocarpa	74
Clarkei	57
disticha...	57
involucrata	57
laurina	57
pumila	57
thymifolia	57
UMBELLIFERÆ	23
Unona Fitzgeraldi	1
Urena lobata	169
Urostigma Backhousii ...	196
Benjamineum	195
Cunninghami	195
eugenioides	195
Fraseri	195
Leichhardtii	194
leucotrichum	195
macrophyllum... ...	194
Muelleri	195
nesophilum	195
nitidum	196
pilosum	195
platypodum	194
psychotrifolium ...	195
retusum	195
rubiginosum	194
vitellinum	194
URTICEÆ	193
Utricularia Australis ...	161
Billardieri	161
chrysantha	161
cyanea	161
dichotoma	161
exoleta	162
fulva	160
graminifolia	161
Hookeri	162
inæqualis	162
lateriflora	162
linearifolia	161
macroceras	160
Menziesii	160
minor	162
monanthes	162
multifida	162
oppositiflora	161
parviflora	162
perminuta	160
simplex	162
speciosa	161
stellaris	161

	Page
Utricularia tenella	162
uniflora	161
violacea	160
volubilis	160
vulgaris	161
Uvedalia linearis	103
Vandellia alsinoides	102
clausa	102
crustacea	102
lobelioides	102
plantaginea	102
subulata	102
Velleya *connata*	227
cycnopotamica	7, 249
paradoxa	11
pubescens	11
Ventenatia humifusa ...	37
Verbena Bonariensis... ...	155
officinalis	153
VERBENACEÆ	151
Vernonia *vagans*	234
Veronica arenaria	102
arguta	102
calycina	103
decorosa	102
densifolia	103
Derwentia	102
distans	102
Drummondi	102
formosa	102
gracilis	103
Gunnii	103
Hillebrandii	102
imperfoliata	102
labiata	102
nivea	102
Novæ Hollandiæ ...	103
peregrina	103
perfoliata	102
plebeja	102
serpillifolia	103
stolonifera	103
Vilfa *actinoclada*	84
Capensis	84
diandra	84
elongata	84
ioclados	84
Indica	84
Matrella	84
Virginica	84
Villarsia albiflora	138
capitata	142
calthifolia	140
congestiflora	141
crenata	137
exaltata ...	140, 254
exigua	137

	Page
Villarsia exiliflora	137
geminata ...	137, 254
Gunnii	137
hydrocharoides	139
involucrata	142
lasiosperma	137
latifolia	141
minima	137
nymphæifolia	136
parnassifolia	139
reniformis ...	139, 254
sarmentosa	254
trachysperma	136
violifolia	138
VINIFERÆ	177
Vitex acuminata	153
Cunninghami	153
Leichhardtii	153
macrophylla	153
melicopea	152
ovata	152
trifolia	152
Vitis acetosa	177
acris	178
adnata	178
Baudiniana	178
cardiophylla	178
clematidea	177
hypoglauca	177
nitens	178
oblonga	178
opaca	177
penninervis	177
Roxburghii	177
Vitis saponaria	178
sarmentosa	254
trifolia	177
Volkameria scandens ...	151
Waltheria Indica	173
Webera Dallachiana	26
expandens	25
Weinmannia Benthami ...	188
paniculosa	188
rubifolia	188
Westringia angustifolia ...	110
brevifolia	110
cephalantha	110
cinerea	110
Dampieri	110
glabra	110
grevillina	110
rigida	110
rosmarinifolia	110
rubiifolia	110
senifolia	110
violacea	110
Wilsonia Backhousii	101
humilis	101
rotundifolia	101
Ximenia Americana	3
Xylomelum angustifolium ...	220
pyriforme	220
Scottianum	220
Xylopia Maccreai	176
Zehneria Baueriana	188

Auctoritate Gubernii Coloniæ Victoriæ. Ex Officina JOANNIS FERRES.